Est. 54
n.º 75

R.14
3/15

D. CYRILLI PATRIAR-
chæ Alexandrini.

AD CALOSYRIVM EPISCOPVM ARSENOITEM,

Aduersus Anthropomorphitas

LIBER.

Eiusdem,

DE ADORATIONE IN
Spiritu et veritate Dialogi. XVII.

AD PALLADIVM.

BONAVENTVRA VVLCANIO
Brugensi Interprete. Auctore damnato

Expurgose con comision de los Señores Inquisidores segun el indice de 1640

fr. Ant.º Blanca

Toleti,

Apud Iacobum ab Ayala.

Anno. M. D. LXXVI.

Cum Priuilegio.

¶ Esta tassado a tres marauedis el pliego.

Iussu patrum inquisitorum hic liber purgatus est iuxta censuram catalogi aediti anno 1583.

IESVS.

LIber hic, etsi paruus, dignus certè tanto auctore: ne quis tamen minus in antiquorum Patrum lucubrationibus volutatus hæreat, id quod in proœmio de monachis dicitur, vt laborent proprijs manibus, ad illa tempora referēdum putet: quod verò subobscurè de peccato originis dicitur cap. 8. apertiùs traditur cap. 9. Illic enim de peccato actuali loquebatur, quòd videlicet sic cū primo parente, quasi ab ipso iam procreati non peccarunt, sed veluti in ipso existentes, quod ad originale pertinet. Cap. 14. de ignoratione Christi Domini, quam cum natura assumpsit, eam håbet cognitionem siue intelligentiam, quam Basilius, Athanasius, et reliqui Patres illius seculi. Quamobrem dignissimum iudico hunc libellum, qui prælo mandetur. Matriti, in collegio Societatis Iesu. 15. die Iulij. 1575.

A. Sandoual
Theol. professor.

YO Ihoan Gallo de Andrada Secretario del Consejo de su Magestad doy fee, que visto por los Señores del Consejo el libro hecho por Ieronymo Torés Bibliothecario de la sancta Yglesia de la ciudad de Toledo, de sant Cyrillo Patriarcha de Alexandria, intitulado Aduersus Anthropomorphitas, traduzido de Griego en Latin, de que se dio licencia y priuilegio por su Magestad al dicho Ieronymo Torés para le imprimir, fue tassado por los dichos Señores a tres marauedis el pliego: y a este precio le dieron licencia para lo poder vender: con que primero que se venda, ponga al principio del dicho libro esta tassa. Y para que dello conste firme de mi nombre. En Madrid a diez de Março, de mill y quinientos y setenta y seys años.

Iuan Gallo de
Andrada.

EL REY.

POr quanto por parte de vos Ieronimo Tores Bibliotecario de la ſancta Ygleſia de la ciudad de Toledo, nos fue fecha relació diziendo, que vos pretendiades imprimir vn libro de ſant Cyrillo Patriarcha de Alexandria, que ſe intitulaua Aduerſus Antropomorphitas, nueuamente traduzido de Griego en Latin por Buenauentura Vulcanio natural de Bruxas, e impreſſo en Colonia, e juntarle en forma mayor có otro libro del miſmo ſant Cyrillo, intitulado de Adoratione et cultu in Spiritu et veritate, que al preſente auiades acabado de imprimir con licencia nueſtra, por ſer la materia de ambos los dichos libros muy conformes, ſuplicandonos mandaſſemos ver el dicho libro, y daros licencia y facultad para lo poder imprimir, y preuilegio para lo poder vender por el tiépo que fueſſemos ſeruido, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia que la Prematica por nos hecha ſobre la impreſsion delos libros diſpone, por os hazer bien y merced, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, e nos touimoslo por bien. Y por la preſente os damos licencia y facultad para q̃ vos, o la perſona q̃ para ello vueſtro poder ouiere, y no otra perſona alguna, podays hazer imprimir y vender el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion, en eſtos nueſtros Reynos de Caſtilla, por tiépo y eſpacio de diez años, q̃ corran y ſe cuenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula. So pena que qualquier perſona o perſonas que ſin tener para ello vueſtro poder, lo imprimiere o vendiere, o hiziere imprimir y vender, pierda toda la impreſsion que hiziere, con los moldes y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mill marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena ſea, la tercia parte para la perſona que le acuſare, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentéciare, y la otra tercia parte para la nueſtra Camara e Fiſco. Con tanto que todas las vezes que ouieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiépo de los dichos diez años, le traygays al nueſtro Conſejo, juntamente con el oreginal que en el fue viſto, que va rubricada cada plana y firmado al fin de Iuan Gallo de Andrada nueſtro Eſcriuano de Camara de los que reſiden en el nueſtro Conſejo, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme a ella, y ſe os de licencia para lo poder vender, y ſe taſſe el precio a como ſe vuiere de vender: ſo pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha Prematica. E mandamos a los del nueſtro Cóſejo, y a otras qualeſquier juſticias deſtos Reynos, guarden y cumplan y executen y hagan guardar y cumplir y executar eſta nueſtra cedula y todo lo en ella contenido. Fecha en el Pardo, a ſiete dias del mes de Agoſto, de mill y quiniétos y ſetenta y cinco años.

Yo el Rey.

Por mandado de ſu Mageſtad,
Martin de Gaztelu.

Hieronymus Torés Pintianus,

ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ Bibliothecarius, candido Lectori. S.

SAnctiſsimi Patris CYRILLI Archipreſulis Alexandrini libellum aduerſus Anthropomorphitas nūc recens à Bonauētura Vulcanio Brugenſi è Græco in Latinum verſum, ac vnà cum primo eiuſdem ſanctiſsimi Cyrilli [illegible] dialogo de Adoratione et cultu in ſpiritu et veritate Coloniæ paruis formis excuſſum, viſum eſt, candide Lector, grandioribus iterum prælo mandare, atq; ſequentibus decem et ſeptem eiuſdem Cyrilli de Adoratione libris adiungere, eodem, quo ille, vſus conſilio: nempe quòd huius libelli argumentum mirum in modum cum primo de Adoratione libro ſiue dialogo congruat. In illo namq; de creatione hominis, quodq; ad ſimilitudinem et imaginem Dei factus ſit, agit: in hoc verò, qua ratione, quoq; cōſilio imago illa Dei per peccatum abolita, per Chriſtum reſtituta ſit, pulcherrimè oſtendit. In hoc igitur libello Anthropomorphitas ſui temporis hæreticos, Deo humanam effigiem tribuentes, validiſsimis rationibus, ſanctarumq; ſcripturarum apertiſsimis teſtimonijs impugnat. Huius ſectæ auctor Audæus quidā fuit, natione Syrus: à quo et Audeani eius ſectatores dicti. In hos itaque beatiſsimus Pater Cyrillus libellum hunc edidit, tanta eruditione et doctrina, vt omnibus ſemper fuerit admirationi. Cuius etiam auctoritate nonnulli ex recentioribus Theologis in rebus hodie de religione controuerſis maximè nituntur. Quem grandioribus quàm antea formis excuſſum eo etiam conſilio hic adijciendum curaui, ne ob voluminis paruitatem temporum iniuria aliquando è manibus elaberetur, ac penitùs interiret. Bene vale candide Lector, ac noſtram hanc in tuam gratiam et vtilitatem exhibitam diligentiam boni conſule.

SANCTI PATRIS NOſtri CYRILLI Patriarchæ Alexandrini,

Ad CALOSYRIVM Epiſcopum Arſenoitem, aduerſus eos, qui DEO humanam formam affingunt, Liber vnus.

BONAVENTVRA VVLCANIO BRVGENSI, INTERPRETE. Authore damnato

CVM ad nos quidam ex monte Calamone veniſſent, ſciſcitatus ſum de monachis eius loci incolis, quo pacto vitam traducerēt, aut cuiuſmodi inſtitutum ſectarentur. Quiquidem retulerunt, multos ex ijs ſtudio, exercitationeq; claros eſſe: vitāq; degere, quæ monachos quàm maximè deceat. Eſſe verò nonnullos, qui ſuis ineptijs ſolitariæ vitæ ſtudioſos interturbent, mendacia ijs obtrudentes, atq; huiuſcemodi quædam aſſerentes. Dicebant enim: Cum ſacra ſcriptura hominem iuxta imaginē Dei factum eſſe dicat, credendū eſſe, Deum humanum quid, ſiue humana forma præditum, eſſe. Quod omnino ſtultum eſt, et extremæ impietatis, eum, qui ita ſentire velit, cōuincens. Prę ſe fert ſanè, et quidem citra vllam controuerſiam, homo imaginem Dei. Similitudo verò hæc non eſt corporea. Deus enim corporis expers eſt: quod et Saluator ipſe docet, inquiens: Deus ſpiritus eſt. Nō itaq; (Deus ſpiritus eſt. Ioan. 4.) incorporeus, ſi ſpiritus eſt, nec formā corporis præ ſe fert. Quod enim corpore præditum non eſt, forma etiam careat, neceſſe eſt. Neq; enim quantitas aut figura in Deum cadit. Si verò iuxta humani corporis naturam totius vniuerſi Deum formatū eſſe contendunt, dicant, obſecro, an et pedes habeat, vt ijs inambulet: manus, vt ijs operetur: et oculos, vt eorum ope videat? Quonam igitur abit? aut è quibus locis in quæ tranſit, qui omnia implet? Ait enim: At nō cœlum, et terram ego impleo? (Hier. 23.) Aut quales ad operādum manus admouet, qui per viuens Verbum operatur, et creat? Et ſi perinde ac nos, oculos in facie ſitos habet, quæ à tergo ſunt, omnino nō videt. Sed cùm Orientem verſus ſpectat, non videt, quid ij, qui Occaſum verſus ſunt, agant: nec rurſùs ſi in Occaſum oculorum aciem conijciat, eos, qui ad Ortum ſunt, cōſpiciat. Pudet me certè hæc ſcribere: at verò ob quorūdam ineptias, ego etiā ineptio: nō quidem volens, ſed ab ijs eò adactus. Qui ergo huiuſcemodi nugas effutiunt, tanquam ſtulti, atq; ignorantes reprimantur: et ab ijs,

quæ vires excedunt, tractandis absistant, immò potiùs nè aduersus Deũ deblateret. Deus enim omnem creaturam excedit: neque corpus est, neque simulacro siue forma corporeis cõtinetur, cùm sit simplex, materiæ et formæ expers: neque compositus ex partibus, nec membris, vt nos, cõstans: immò verò spiritus, secũdùm scripturas: et omnia intuens, vbiuis existens, omniaq; implens, et à nullo absens. Implet enim cęlum ac terrã. Illud verò, Hominem ad imaginem Dei factum esse, alium sensum ac significationem in se habet. Solus enĩ ipse præ cæteris omnibus, quæ in terris sunt animantibus, ratione præditus est, misericors, et ad omne virtutum genus bene comparatus. Imperium etiam obtinet in omnia, quę orbis complectitur, iuxta similitudinem, atque imaginem Dei. Quatenus igitur est animal particeps rationis, et qua ratione est amãs virtutis, orbiq; terrarum imperans, ad imaginem Dei factum esse dicitur. Si verò secundum formam corporis imaginem dici censent, nihil obstiterit, quo minùs eâdem cum brutis animantibus Verbum Deus forma fuerit. Videmus enim ea ijsdem quibus nos, partibus constare; cùm pedibus, oculis, naribus, lingua, alijsq; corporis membris sint prædita. Coërceat itaque tua pietas eiuscemodi homines: immò verò animaduertat in eos qui tales nugas comminisci solent.

Deus simplex, materiæ et formæ expers.

Hieremi. 23.

Homo quo pacto ad imaginẽ Dei factus esse intelligatur.

Porrò alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicãt, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur: sed benedictionis vis, ac facultas, et viuificans gratia perpetua in ipso existit.

An quod ex Eucharistia fit reliqui in alterum diẽ, sanctificãdi vim habeat.

Christus non alteratur.

Oberrant verò etiam alij quidã, quos aiunt solos ociari orationi addictos, et nihil operantes, segnitiei suę, victusq; quærendi facilitati, pietatem prætexentes, neque rectè sentiẽtes, quãdo meliore cõditione, quàm sancti Apostoli, esse volunt: qui quidem operabantur, cùm eis ocium ad id suppeteret. Laborabant verò etiã in sermone Dei propagãdo. At quo pacto obliti sunt beati Pauli, ad quosdam ita scribentis? Audio enim ambulare in vobis nonnullos nihil operantes, sed curiosè agentes. Ecclesia igitur eos, qui hoc faciunt, non admittit. Oportet enim proculdubio assiduæ orationi vacare eos, qui in monasterijs solitariam uitam degũt. Nihil autem obstat, immò verò consultissimum est operari, ne alijs sis oneri, alienos sudores in priuatam tuam vtilitatem cõuertens, cùm possis tuis ipsius laboribus viduæ et pupillo subuenire, ijsq;, qui ex fratribus sunt infirmiores. At si pulchrum existimant, vacuum esse ac liberum ab opere, cùm ociantur, quisnam ipsos alit? Sunt, qui ignauiam suam et ingluuiem eo prætextu pallient, quòd orationi tantùm vacare oportere cõtendant: ab opere verò in vniuersum abstinent. Cœterum nè permittas cùm ijs, qui Meletiani vocantur, Orthodoxos communicare, ne illorum apostasiæ defectionisque participes fiant. At verò si resipiscentes illi ad Orthodoxos se contulerint, admittantur. Nemo autem, omni discrimine sublato, cũ ijs versetur, nisi prius conuersi fuerint: ne, vt dixi, prauæ illo-

2. Thess. 3.

[redacted]

illorum opinionis socius efficiatur. Hæc, pietas tua in illis monasterijs recitari curet:in eorum, qui ibi degunt,instructionem : moneatq; , vt ea obseruent: ne Orthodoxi languidæ dissolutæq; conscientiæ labem accipiant:omnisq; ijs,qui ociosè ali volunt,aditus ad probitatis opinionem præcludatur. Opto te,amice dilectissime,rectè in Domino valere.

Eiusdem aduersus Antropomorphitas.

CAP. I.

QVI sanæ mentis sunt,et subtili mētis acie ineffabilis diuinitatis rationes contemplantur, vidēt ipsum omni quidē creatura eminētiorem, omnemq; etiam acutissimum intellectum exuperantem,et corporea imaginatione superiorem:et quemadmodum sapientissimus Paulus inquit,Lumen inaccessibile. Porrò si lumē, quod ipsam circūfulget,inaccessum est, quo pacto ipsam intueri quispiam possit?Cernimus enim in speculo,et in figura, et ex parte cognoscimus. Est igitur Diuinitas incorporea,quantitatis, magnitudinisq; expers:neq; forma circumscripta continetur. Quod verò ita propria sua natura se habet, quo pacto intelligi potest ex partibus et membris constare? Nam si quis det hoc verum esse,non amplius intelligetur incorporeus.Cui enim omninò forma tribuitur,huic etiā et quantitas,et locus tribuēdus fuerit. Quod verò in loco esse intelligitur,non vtique extra circūscriptionem est. Atqui hæc corporum quidem sunt propria, ab incorporea verò natura pr̄sus aliena. Nō igitur oculi,vel aures, vt neque pedes,et manus,aut alæ in Deo sūnt statuendæ,etiam si quispiā fortasse nolit hæc ipsa,vt in tangibilibus,crassisq; corporibus imaginari, sed tanquam in subtili et materiæ experti,nimirum iuxta Dei naturam. Siquidem absurdum planè fuerit,tale quid cogitare. Spiritus enim est Deus,atque hoc cum sit,omnia nouit,omnia speculatur ac prouidet:nihil ipsum eorum,quæ sunt, latet. Si verò partium,siue membrorum Sacra scriptura meminit,de rebus diuinis ad nos loquens;sciendū est,quod ex ijs,quę in intellectum nostrum cadunt,et ex quibus constare solemus, nobiscum loquitur. Neque enim aliter fieri poterat,vt res diuinas intelligeremus. Vera igitur causa,atq; occasio,cur scriptura diuino spiritu afflata corporaliter de Deo nobiscū loquatur,est et intellectus,et linguę in nobis inopia. Ineffabilia enim prorsus sunt,quæ Dei sunt. Neq; fieri poterat,vt nos in crassis, et palpabilibus corporibus constituti,quę necessaria sunt intelligeremus, nisi exemplorum loco nostra ipsorum mēbra sumētes,vix tādem hoc pacto ad subtiles de Deo notiones eueheremur.

1.Tim.6

Diuinitas lumē inacessibile.

Ioan.4.

Scriptura sacra cū Deo membra tribuit, quo pacto intelligenda.

Scriptura de rebus diuinis loquens, se intellectui humano accommodat.

ADVERSVS EOS, QVI dicunt, creatam esse animam ab insufflatione,vt corpus à manibus. Et aduersus affirmantes,quòd insufflatio illa facta sit anima. Et cōtra alios,quòd homini creato omnibus suis partibus constanti, insufflatio illa vitalem facultatem indiderit, dicentes, Mentem esse insufflationem:atque

hãc diuisam esse ab anima: atque hoc esse, iuxta imaginem factum esse, ita vt ex tribus hisce homo sit compositus, corpore nimirùm, et anima, et mente separata in vnitate. Et an propria Dei essentiæ, aut aliena sit hæc insufflatio.

CAP. II.

SVbtiles huiusmodi, neq; admodum tritæ quæstiones, non tam demonstratione dogmatica, quàm dubitatione et discussione coniecturali indigent: neque committendum est, vt sermo in ea, quæ parùm cõsentanea sunt, prolabatur, aut à veritate aberret. Scriptum est enim: Quæres quære, et iuxta me habita. Quod verò ipsa Sacra scriptura apertè nõ dixit, quo pacto quisquã apertè declarârit? Cuius generis censeo id, quod scriptũ est in libro de creatione mundi, Quòd in principio fecit Deus cœlum et terram. Et quidem quòd fecerit, Sacra scriptura dicit: et reuera hoc Fide complectimur. Quomodo autem, aut vnde, aut quanam ratione cœlum et terra, et reliqua creata ad esse sint traducta: curiosiùs indagare, non vacat. Altioribus enim, atque abditioribus mentem immergere, non oportet. Quæcunq; igitur Sacra scriptura apertè non dicit, latêre oportet, et silentio præterire. Si autẽ ratiocinatione et coniectura ad veritatem contendendum est, dicimus Creatorem totius vniuersi, creasse hominem, corpus videlicet, ex terra. Animans autem illud anima viuẽti, et intellectu prædita, eo modo, qui ipsi cognitus est, omnis boni desideriũ simul et notitiam ipsi naturaliter indidit. Hoc enim arbitror significare,

[redacted]

Gene.1.

quod per beatum Euãgelistam Ioañem dictum est: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Nascitur enim animal naturali ad bonum aptitudine præditum. Atque hoc apertè nos docet sapientissimus Paulus, quòd ipsius sumus factura, creati in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in ijs ambulemus. Gubernatur enim homo libero animi sui arbitrio, suęq; ipsius mentis habenæ in eius manu ac potestate sunt positæ, vt in quod placitũ fuerit, ferri possit, siue in bonum, siue in malum. Habet autẽ natura immissam sibi, atque innatam ad omne boni genus propensionem cupiditatemq;, et probitatis atque iustitiæ studium. Siquidem hominem ita secundum imaginem, et similitudinem Dei factũ dicimus, quatenus natura comparatum est, animal bonum, et iustum esse. Cum verò non tantùm ratione præditum esse oporteret, sed etiam sancti Spiritus particeps, vt illustriores in se haberet diuinæ naturæ characteres, insufflauit ipsis spiritum vitæ. Hic autem est Spiritus, qui per Filium rationali creaturæ est suppeditatus: qui quidẽ ipsam transformat in formam eminentissimam, hoc est, diuinam. Quòd enim Spiritus homini insufflatus, nõ cesserit ipsi in animam, neque etiã in mẽtem, vt quidam existimant, hinc videre licet: Primùm quidẽ, qui insufflauit, Deus intelligitur. Quod verò ex ipso insufflatũ est, proprium omninò censendum est eius, nimirùm substãtiæ eius. Atqui quonam pacto Spiritus ex Deo emissus, mutatus est in naturam animæ? aut quo pacto mens effectus fuerit? Fieri siquidem non

Ioan.1.

Ioãnis locus explicatus.

Ephes.2.

Libertas arbitrij homini data a Deo.

Homo naturaliter ad virtutis et iustitiæ studium ac cultũ propendet.

Homo quatenus naturaliter est bonus et iustus, ad Dei imaginem factus esse dicitur.

Spiritus homini a Deo post creationem insufflatus quid sit.

non potest, vt spiritus mutetur. At vt maximè quis det fieri posse, concedatq; spiritū mutatum in animam aut mentem (quod quidem nulla ratione fieri potest) vide statim rei consequentiam. Si enim in animam homini diuinus spiritus cessit, profectò in animam, aut mentem peccatum cadere non possit. At verò si peccato succubuit Spiritus Dei in animam mutatus, duplex ei accusatio à nobis intendi potest. Primùm quidē quòd mutationem subierit in id, quod nō erat. Deindè, etiam peccati ipsum capacem fuisse dicemus.

Anima quo pacto homini immissa sit.

Quocirca anima quidem in animal immissa est ineffabili Dei vi, atq; efficatia: quod quidē similitudinem cum eo est nactum, ea ratione, qua natum est bonum et iustum, omniumq; virtutū capax. Sanctificatum verò est, diuini Spiritus particeps declaratum.

Spiritus Dei per peccatū repudiatus. Gen. 6.

Quem etiam per peccatum repudiauit. Ait enim alibi Deus: Quia non manebit Spiritus meus in hominibus his, ideo quòd sint caro, hoc est, ea tātùm, quæ carnis sunt, cogitent. Cùm autem placitum fuit Deo ac Patri instaurare omnia in Christo, hoc est, ad pristinam integritatem reuocare: Spiritum sanctum, qui recesserat, iterum nobis restituens, sanctis Apostolis insufflauit, dicens: Accipite Spiritum sanctum.

Ioan. 20.

Insufflatio Spiritus in Adam deperdita, Apostolis per Christū restituta fuit.

Instauratio enim veteris illius doni, et insufflationis nobis datæ, insufflatio ꝑ Christum fuit, transformans nos in pristinam illam sanctificationem, euehensque humanam naturam veluti in primitijs sanctis Apostolis in eam, quæ olim et in prima creatione data fuerat, sanctificationem.

SIMILITER AD DEI imaginem factus est homo. CAP. III.

CVM etiam alios quærere aiunt, quo pacto consentaneum sit intelligere, hominem iuxta imaginem Dei factum, nonnulli imperitè admodum corporis imaginem, et quæ in aspectū cadit, formam ipsam, neque aliud quicquam, similitudinem cum Deo esse contendunt. Quibus respōdendum dixerim, quòd errēt, mentemque habeant à veritatis contēplatione alienam. Cum enim Deus apertè dicat: Deus spiritus est. ipsi diuinam naturam, corpoream naturam præ se ferre, aiunt; eâdemque qua nos, effigie præditam esse. Corpus itaque etiam ipse, et nō amplius Spiritus, est censendus. Annexæ siquidem omnino sunt formæ corporibus. Cum verò Deus sit spiritus, formæ et effigiei ac figuræ planè expers est, neque vlla circumscriptione continetur. Formam autem adepti sumus ei similem, iuxta primam illam, et maximè propriam, quę quidem intelligi possit, rationem, secundùm virtutem et sanctificationem. Sanctus enim est Deus, et omnis virtutis principium, fons, atque origo. Quòd verò ita potius intelligēdum sit, hominē ad imaginē Dei factū esse, docebit etiā sapiētissimus Paulus, ad Galatas ita scribens: Filioli, quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis. *Galat. 4.*

Christus quo pacto in nobis formetur.

Formatur enim etiā in nobis per sanctificationē, quę est per Spiritū: ꝑ vocationē fidei in ipsum. Porrò in transgressoribus fidei, effigies illa non rectè elucet. Idcirco alio partu indiget, spirituali nimirum et intelle-

intellectuali regeneratione, vt irradiante in ipsis Spiritu sancto per sanctificationem diuinā imaginem, rursus in Christum reformentur. Neq; verò dissentrneum veritati fuerit, dicere etiam ratione principatus homini similitudinem cū Deo inesse. Datum enim illi est imperium in omnia, quæ in terra sunt. Atq; hæc quidem est secūda similitudinis cum ipso ratio. At si in humani corporis natura simul et facie situm esset, factū esse ad imaginē Creatoris, siue creatum, quo pacto fieri posset, vt in quopiam ea similitudo dissolueretur, atque interiret? Nihil enim amisimus eorum, quæ substantialiter nobis insunt. Cum autē nos sanctificatio et iustitia in Deum trāsformet, qui virtutis cultum deseruēramus, neq; amplius in sanctificatione viuebamus, dicimur, hanc vsque adeò venerandam atq; eximiam pulchritudinem amisisse. Quocirca recuperatur illa per sanctificationē et virtutem piāq; vitam. At si nōnulli, insigni stultitiā acti, existimāt diuinam naturam humanam figuram præ se ferre, quo pacto Saluator dixerit de Deo ac Patre: Amen amen dico vobis, neq; vocem eius audiuistis vnquam, neq; faciem eius vidistis? Si enim erat, vt dixi, humana forma præditus, quomodo non Iudæi solùm, verum etiā omnes homines faciem eius non viderint?

Homo, ratione principatus, quē obtinet in creaturas, Deo similis dicitur.

Homo, quo pacto similitudinē Dei amiserit.

ADVERSVM DICENTES, an et Angeli ad imaginem Dei.

CAP. IIII.

CVM hoc, Ad imaginem Dei, explicamus de homine, nō figuram corporis in ipsum transformatam dicimus. Corporis enim et materiæ expers est Diuinitas, neque tactu apprehendi potest, nullaq; quantitate et circūscriptione, formaq; ac figura continetur. Cum verò hominem diuinitati ex imagine comparamus, diximus, quòd iuxta indolis ac morum qualitatē, et secūdum formā spiritualem (quæ quidē per virtutū fragrantiam sese exerit) ad similitudinē Creatoris esse factū. Omne siquidē bonū Diuinitati propriū est: quippe quæ fons et radix est omnis virtutis. Inde verò etiam in nos bona promanāt. Si ergo ratione figuræ, quam virtutes nobis conciliant, eandem cū Deo formam nacti sumus, inest autem hoc etiam sanctis angelis, et quidem ita inest, vt nos cum ipsis conferri nequeamus: nequaquam arduū intellectu fuerit, quòd et omnis creatura ratione prædita, per sanctificationem et iustitiam, atque adeò per omnem virtutem, eandem cum Deo formam cōsequatur. Si enim nobis, qui humì versamur, diuina ac super mundana pulchritudo quadrat, quo pacto non potiùs supernis potestatibus ratione præditis, in quibus acquiescit Deus? Idcircò enim diuinū etiam ipsius cœlum Sacra scripta vocant.

Angeli ad imaginem Dei facti.

Cœlū cur diuinum in Scriptura sacra vocetur.

ADVERSVS EOS, QVI DIcunt, Nos hoc, Iuxta imaginem, accepisse statim ac creati sumus: Iuxta similitudinē verò, nequaquam. Seruatum verò nobis esse in futurum seculum. Idcirco scriptum esse, Quando Christus apparuerit, similes ipsi futuri sumus. Et rursus dictum esse: Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram: et post creationem hominis dictū esse: Fecit Deus hominem ad imaginem suam, suppressa ibidē hoc, Ad similitudinem: vt ostendat, nos hoc

Ioan. 3.

Gen. 1.

Ibidem.

nondum adeptos esse: Seruatum verò nobis esse in beatam illam vitam.

CAP. V.

Error eorum, qui hominē ad imaginem, nō autē ad similitudinem Dei factū esse dicunt.

SI quidem diuersa inter se esse dicunt, Ad imaginem et ad similitudinem, doceant differētiam. Nostra enim sententia est, nihil aliud significare, ad imaginem, quàm ad similitudinem: et similiter, ad similitudinē, quàm ad imaginem. Similitudinem verò cum Deo nacti sumus in prima creatione, et sumus imago Dei. Capax enim est, vt dixi, hominis constitutio, aut potiùs natura, et bonitatis, et iustitiæ, et sanctificationis, eorūq; insitum sibi habet à Deo desiderium. Quod quidem vel hoc argumēto colligi euidēter potest. Accidit enim humano intellectui mutatio, nō ex malis in bonum, sed ex bono in malum. Necesse igitur est, primum præsupponi, quo quidem amisso, mutati sumus. Quòd enim infusa sit hominis naturę ex prima creatione omnis boni appetentia, et propensio, atq; notitia, declarat sapientissimus Paulus, dicens: Quando enim Gentes legem non habentes, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt: hi legem non habētes, sibi ipsi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testificante ipsorum conscientia. Si verò etiam Gentibus extra legem naturaliter cōstitutis, inest notitia legis, hoc est, si mentem legislatoris intelligūt: manifestum cuilibet deinceps fuerit, quòd iusta et bona in principio fuerit hominis natura, et ad hoc à Deo esse ꝑducta, nimirùm bonitatis eius imaginem prę se ferens. Sancta enim erant prima humanæ vitæ tēpora. Cum verò peccatum irrepsit, characteres similitudinis cum Deo nō amplius illustres ac splendidi in nobis permanserunt. Posteaquàm verò rursùs homo factus est vnigenitus Verbum Patris, sancta denuò est effecta humana natura, et ad eius similitudinem per iustitiam sanctificationemq; reuocata. Ita alibi sapientissimus Paulus inquit: Quia omnes nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eadem imaginem trāsformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Dñs autem spiritus est. Instauratio igitur, ac veluti reformatio humanæ naturæ facta est in Christo, coaptata carne nostra in sanctam vitam in spiritu. Si verò sacra Scriptura dixit, quòd fecerit Deus hominem ad imaginem suam, reticuerit verò, ad similitudinem: intelligendū est, hoc, Ad imaginē, suffecisse, quippe quod nihil aliud significet, quàm, ad similitudinem. Superuacaneum autem est dicere, quòd hoc nobis in futurum seculum sit seruatum. Dicente enim Deo, Faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinē: quisnam ita temerarius fuerit, vt dicat, factum quidem esse ad imaginē, nō tamen ad similitudinem? Similes autem futuri sumus Christo, prout corruptionis expertes, et interitu ac morte superiores sumus, necnon iuxta gloriam, quam ipsemet nobis est largiturus. Scribit eni rursus. B. Paulus: Mortui siquidem estis, et vita vestra abscōdita est cū Christo in Deo. Cū Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cū illo apparebitis in gloria. Alibi verò rursus: Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori gloriæ ipsius. quandoquidem ne nunc quidem alieni sumus

Imago et similitudo, eadē sunt.

Iustitiæ et sanctificationis desideriū, hominis naturæ à Deo insitum est.

Hominis natura ab initio bona et iusta fuit.

Peccatū similitudinē hominis cū Deo offuscauit.

Humana natura per incarnationē Verbi sanctificationē semel amissam recuperauit.

2.Cor.3.

Gen.1.

Gen.1.

Homines quo pacto similes Christo sint futuri.

Colos.3.

Philip.3.

mus ab eo, vt ad similitudinem eius facti dicamur. Scribit enim rursum ad Galatas Paulus; Filioli, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Quando enim nosmetipsos fideles ac sanctos præstamus, tunc Christus in nobis formatus videtur, mentibusq́; nostris characteres suos ac typos spiritualiter irradiat.

Galat. 4.

ADVERSVS DICENTES, Quòd non imago Dei sumus, sed imago imaginis. Filius enim et Verbum Dei ac Patris, imago eius est: homo autem, non archetypi imago est, sed imaginis, nimirũ filij Dei, ita vt simus imago imaginis. Neque enim dictum est, aiunt, quòd Deus fecerit hominem suam ipsius imaginem, sed iuxta imaginem, vt homo sit secundũ imaginem Dei ac Patris, hoc est, imago Filij, quod quidem est imago imaginis.

CAP. VI.

SANCTA et consubstãtialis Trinitas excellẽtior est, quàm vt vlla specie, aut simulacro corporeo contineatur. Certa autẽ fide comprehendẽdum est, quòd Pater in Filio, et Filius in Patre: et qui vidit Filium, vidit et Patrẽ. Cernitur autẽ et Filius in consubstantiali Spiritu. Scriptũ est enim: Dominus autem spiritus est. Vbi verò in vniuersum identitas est essentiæ, ibi nulla planè differẽtia status poteſt: sed id, quod Patrem esse intellexeris, hoc etiam est Filius, pręter vnum id, quod Pater est: et quod Filium esse cognoueris, hoc est etiã Spiritus, citra id, quòd Filius est. Vnumquodque enim eorum, quæ nominauimus, in propria sua hypostasi subsistit, vereq́; est id, quod dicitur. Similitudo autẽ Trinitatis inter se differẽter se habet. Quocirca etiã si factus sit ad imaginem Filij homo, etiã sic factus est ad imaginem Dei. Totius enim Trinitatis typi ac figuræ in ipso effulgent, quẽadmodum etiã vna est secundum naturam Deitas in Patre, et Filio, et Spiritu sãcto. Scribit itaque Moyses diuino numine afflatus; Et dixit Deus: Faciamus hominẽ ad imaginem nostram, et similitudinem. Hoc autem, nostram, nõ vnius personæ significationem habet, cùm in tribus hypostasibus diuinæ, atque ineffabilis naturę plenitudo cõsistat. Superuacaneum igitur est, anxiè curioseq́; inquirere, et argutijs verborum nitentes dicere, Quòd non Dei, neque archetypi sumus imago, sed imago imaginis Dei. Sufficit enim cum simplicitate credere, quòd ad diuinã imaginem facti simus, similem naturaliter cum Deo formam nacti. Si verò oportet his aliud quid minimè dissentaneũ adijcere: necessariũ erat, nos, qui filij Dei appellandi eramus, ad imaginẽ Filij potius fieri, vt et filiationis typus nobis cõueniret.

Homo non ad imaginẽ imaginis Dei, hoc est, Filij, fact⁹ est, vt quidã volunt.

2. Cor. 3.

Homo ad imaginem totius Trinitatis factus est.

Homo, qua ratione ad imaginẽ Filij potissimũ factus dicatur.

ADVERSVS DICENTES, Quòd in futuro statu anima ratione prædita, ac proinde cognitionis non expers, incrementum accipit. Et quòd si incrementum, immutationem etiam sustinere et passionem: atque ex hoc, interitum quoque et mortem, rursumque reuiuiscere.

CAP. VII.

QVI hęc animo cõcipiũt, ignorare vidẽtur gratiã, quę hominis naturę, postquam à morte reuixerit, cõfertur. Si enim oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, interitũq́; exuere, deponuntur profectò vnà cũ corruptione affectiones, quæ ex ea oriuntur. (Hę autẽ sunt, omnis concu-

1. Cor. 15.

Humanæ naturæ status post resurrectionẽ quis.

concupiscentia carnalis) ac deinceps in sanctam spiritualemq; vitam traducemur, tribuente nobis, quod his conueniat, omnium nostrûm Saluatore Domino. Si enim nunc arrhabonem spiritûs habentes, sanctè viuimus, quinam tandem futuri sumus, cùm plenitudinē acceperimus? Vbi verò plenitudo Spiritus est, ibi omninò mentis firmitas, et cordis stabilitas respiciētis in omne bonum, et ad puram ac synceram Dei visionem. Quocirca præstantiores quidem nobis ipsis sumus futuri, cùm interitū exuerimus, corpus spiritualiter affectum habentes, hoc est, solis ijs, quæ Spiritûs sunt, intēti. Motus verò, qui nos in malum propellat, nullus tunc est futurus, continente nos in sua voluntate Creatore, per Spiritum sanctum, quēadmodum ferè et sanctos Apostolos. Eiusmodi quid Christus nobis significauit, cùm dixit: In resurrectione neq; nubēt, neq; nubentur; sed tanquā angeli Dei sunt in cœlo. Mar.12.

CVR IN ADAM MORIENTES, paternam quidem pœnam exoluant, et illius transgreßioni vnusquisque nostrûm obnoxius fiat. In Christo autem viuificatus meus parens, et per Spiritū purgatus à debito primi parentis, et à suo ipsius peccato, non transmisit in me filium suum puritatem suam: neque mihi vllo adiumento fuit gratia iustitiæ, quæ ipsi collata fuit, cùm alioqui peccato præualeat.

CAP. VIII.

Adam, quo pacto penā peccati in posteros transmiserit. Gene.3.

INQVIRENDVM est, quo pacto in nos primus parens Adam, pœnam sibi, ob transgreßionem illatam, transmiserit. Audiuit enim: Quia terra es, et in terram reuertéris. Et ex incorrupto factus est corruptioni obnoxius, mortisq; vinculis submissus. Posteaquàm verò in hæc prolapsus, liberis creādis operam dedit, nati ex ipso, vtpote ex mortali, mortales effecti sumus. Hoc pacto sumus execrationis in Adam heredes. Neq; enim omninò veluti cum ipso præceptum, quod ipsi iniunctū erat, infringētes, punimur: sed quia, vt dixi, mortalis factus, execrationem in progeniem suam transmisit. Mortales enim effecti sumus ex mortali. Dn̄s autem noster Iesus Christus, secūdus Adam declaratus, et principiū generis nostri; secundum nimirum post primū; in incorruptionem nos reformauit, opponēs se morti, et propria carne ipsam euacuans atque dissoluens, solutaq; est in ipso pristinæ execrationis vis. Idcirco inquit sapiētissimus Paulus: Quod quēadmodū per hominem mors: ita etiā per hominem resurrectio mortuorum. Et rursùm: Sicut in Adam omnes moriūtur; ita et in Christo omnes viuificabuntur. Vniuersos itaq; cōprehendens, generalisßimaq; pęna, ob transgreßionem Adę inflicta, interitus ac mors est. Similiter etiā omnium et quidem generalisßima redemptio in Christo pręstita perfectaq; est. Exuit enim humana natura in ipso mortē sibi immissam, ex eo quòd mortalis redditus esset primus homo. At verò priuatus vniuscuiusq; nostrûm pater, etiā si per Spiritum sanctum sit purificatus, et peccatorum veniam cōsecutus, donū hoc in nos nō transmittet. Vnus enī est, qui omnes sanctificat, et iustificat, et ad incorruptionem traducit, Dn̄s noster Iesus Christus, et [redacted] Aliud autē est

Christus secūdus Adā, execrationē prioris dissoluit

1. Cor. 15.

Ibidem.

Parentes sanctificationē in filios trāsmittere neque unt. [redacted]

b peccati

peccati remissio, et aliud mortis dissolutio, et vnusquisq; quidē propriorum peccatorum remissionem consequitur in Christo per Spiritū sanctum. Generaliter autem liberamur omnes à pœna iam olim nobis inflicta: à morte, inquam, quę omnes peruaserat ex primo nostri generis, nobisq; simili in mortem prolapso. Idcirco enim inquit sapientissimus Paulus, Quòd mors regnauit ab Adam, et vsq; ad Moysen, etiam in eos, qui nō peccauerūt in similitudinem præuaricationis Adæ. Tandiu ac Lex, durauit mortis pœna. Postquam verò Christus illuxit, ingressa est iustitia, iustificans gratia, et interitum à corporibus nostris profligans.

Rom. 5.

Mortis pœna tā diu durauit ac Lex.

AN FACTA SIT RESVRrectio, quam propheta Ezechiel vidit, quādo accessit os ad os, et iunctura ad iuncturam, et caro, et cutis, et capilli, et spiritus: et visa est resurrectio multitudinis multæ: aut imaginem futuræ vniuersalis resurrectionis nobis sacra Scriptura ostēdit in prophetica visione.

CAP. IX.

RES arduas, quæq; ob miraculi, quod in se habēt, magnitudinem, existimandæ sunt à nonnullis esse remotæ, non per solam annūtiationem Prophetę opportunè edocti fuerunt, Spiritu sancto vniuscuiusq; rei cognitionem ipsis irradiante: verumetiam re ipsa viderunt, vt quæ ipsi præ alijs fide complexi essent, reliquis ea testata relinquerent. Deus itaq; totius vniuersi, mortuos in terra Babyloniorum Hierosolymam referre iubens, non in terra, sed supernam, quæq; in cœlis sit, resurrectionem Prophetæ manifestè ostendit, et quonam modo suo tempore esset facienda; quam quidem etiam diuinus Dauid prædixit, de nobis, siue de quouis homine, dicens: Auertente te faciem, turbabuntur, et in puluerem ipsorum conuertentur. Emittes spiritum tuum, et formabuntur, et renouabis faciem terræ. Cùm enim offendissemus in Adam propter transgressionem, auersi fuimus à Deo: atque eadem de causa, in nostrum ipsorum puluerem conuersi sumus, execrabiles facti. Audijt enī à Creatore: Quoniam terra es, et in terram reuerteris. Cæterùm in vltimis seculi temporibus, vi atq; efficacia viuificantis spiritûs, Deus Pater in Christo omnes mortuos suscitabit. Quòd verò resurrectio mortuorum nondum facta sit, sed stato tempore sit futura, sapientissimus Paulus fidem facit, dicens: Quia circa fidem naufragium fecerunt Hymenæus, et Alexander, dicētes, resurrectionem iam factam esse: Si verò hic testatur, eos circa fidem naufragiū fecisse, manifestum deinceps fuerit, quòd vim resurrectionis veluti in prophetica visione beatus propheta Ezechiel vtiliter sit cōtemplatus.

Prophetę donū quale sit

Resurrectio ab Ezechiele visa, quo pacto intelligenda.

Psal. 130

Gen. 3.

Resurrectio mortuorum per Deū in Christo vi atque efficacia spiritûs futura est.

Resurrectio mortuorum nōdum facta est.

1. Tim. 1

Ezec. 37.

ADVERSVS EOS, QVI INterrogant, an aliquid adiecerit humanę naturæ, cùm ad illam accesit in carne Christus. Et quo pacto ad imaginem Dei factus sit homo.

CAP. X.

QVOD verò omne bonū naturæ humanæ cōciliārit Christi ad carnem accessus, quisnā dubitauerit? aut quis negauerit? inutilemq; nobis fuisse dixerit ipsius in mundum

Christi incarnatio quid carni humanæ cōtulerit.

dum

dum missionem? Factus enim est initio ad ipsius imaginem homo, naturaq; aptitudinem habuit, ad amplectendū omne bonum, virtutemq; colendam, atque exercendam. Creauit enim nos ad opera bona, queadmodum sapiētissimus Paulus scribit.

Ephes.2.

Labefactauit autē diuinæ imaginis pulchritudinem peccatū, sordibusq; oppleuit splendidā humanitatis faciem Satanas. Ceterū instaurator exortus est, qui id, quod deprauatū erat, pristinæ formæ restituit, nosq; de integro in suā imaginem transformauit, vt diuinę ipsius naturæ characteres nobis cōueniāt per sanctificationem et iustitiā, vitāq; ad virtutis normam bene compositam. Ipse enim est et ianua, et vita, per quam ad quoduis bonum admitti potuimus, rectasq; vias facere.

Ioan.10. et.14.

Quocirca in nobis quidē, qui in Christo sumus, pulchritudo præstātissimæ imaginis resplēdet, si operibus ac rebus ipsis bonos ac probos nos præstemus.

In Adam aptitudo ad bonū inerat: Actus autem non item.

In primo autē parente omnis quidem aptitudo inerat, deferens facultatem ad amplectendum virtutem, nō tamen omnino actus siue operatio ipsa aderat. Idcirco Christus ipse de nobis, siue de ꝓprijs suis ouibus dixit: Ego veni, vt vitam habeant, et abūdantius habeant.

Ioan.10.

Redditum enī est humanæ naturæ id, quod Adam initio preditus fuerat, nimirū sanctificatio. Hoc verò, abundātius, mea quidē sententia significat, quòd actu ipso sancti videamur, quodque operibus ipsis illustres declaremur.

Ioannis locus explicatus.

QVOD CARNALES SIVE naturales voluptates truncare quidem possimus: eradicare autem in vniuersum nequeamus.

CAP. XI.

VIDETVR nonnullis sapientissimus Paulus ardua quædam, intellectuq; difficilia dicere, iuxta sanctorum Apostolorum vocem.

2.Pet.3. Iudæ.1.

Quòd verò hęc superna sapientia sint referta, dubitare fas non est. Loquitur enim Christus in ipso.

2.Cor.13 Rom.7.

Ait igitur. Quia cōsentio legi Dei secūdum interiorem hominem. Video autē aliam legem in mēbris meis, repugnātem legi mētis meæ, et subijcientem me legi peccati. Et rursus: Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratiæ autem Deo, per Iesum Christum Dn̄m nostrum. Confligit enim cum mente, cōtinentiæ ob Dei metum studiosa, irritamentū carnis; et viribus conatibusq; nostris, quibus vitæ puritatē sectamur: resistit, acriterq; repugnat.

Cōcupiscētia carnis sobrietate et metu Dei facilè reprimitur.

Ceterum qui ea, quæ par est, sobrietate vtuntur, et Deum reuerentur, castigant motus carnis, peccatiq; stimulum hebetāt, atq; retundunt, meditatione rerum diuinarum, et laboribus, alijsq; moderationibus vtentes.

Cōcupiscētia ab homine eradicari non potest: retūdi sobrietate potest.

Fieri itaq; non potest, vt insitam carni concupiscentiam eradicemus. Sobrietate autē obuiam ire, quominus petulantius in nos agat, in nostra potestate est sitū. Idq; præcipuè, quia homo factus est Vnigenitus; qui ferocientem legem peccati, quæ est in mēbris nostris, nō amplius in nos sæuire grassariq; permisit.

Carnales appetit* per Christi incarnationē mitiores effecti sunt.

Atq; hoc quidem docet optimus Paulus, dicens: Quod enim impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Filium suum mittēs Deus in similitudinem carnis peccati, et de peccato condēnauit peccatū in carne, vt iustificatio Legis in nobis impleretur, non secundum carnem

Rom.8.

ambulātibus, sed secundum spiritū. Superiores igitur euademus insitis motibus, nō quidem in vniuersum, neq; omni ex parte (hoc enim in beatissimam illam vitam seruatur, quæ futura expectatur in venturo seculo) possumus autem fortiter obsistere, et castigare motus carnis, opitulante Deo, facultatemq; nobis cœlitus suppeditante. Et validior quidem est in vecordibus concupiscentia, et absolutam quodammodo in eorū animos potestatem exercens. Remissior verò atq; debilior, queq; facilè reprimi et ex animo eijci posit in ijs, qui diuino metu præditi sunt. Et scriptum est: Quòd lex Dei pura est, hoc est, puros efficiens.

Cōcupiscentia in vecordibus valida est: in ijs, qui Deum timent, remissior.

QVOD EVCHARISTIAM in solis catholicis ecclesijs celebrare oporteat. CAP. XII.

DONVM verò, siue oblationem, quam mysticè celebramus, solis Orthodoxorū sanctis ecclesijs offerri oportet, neq; alibi omnino. Qui autem hoc faciūt, apertè Legem violant. Atq; hoc quidem facile est videre ex sacris scripturis. Iussit enī Lex sacrificari ouem, ipso die, siue festo Paschæ, quod quidem typum Christi præ se ferebat. Sed in domo vna comedetur, inquit, neque efferetur quicquam carnium eius foras. Efferunt igitur foras donum, qui non in vna, atq; eâdē catholica domo Christi, hoc est, ecclesia, ipsum celebrant. Et per aliam etiam legem eiusmodi quid significatur. Scriptum est enim rursùs: Et si quis obtulerit vitulum, aut ouem in castris, et nō adduxerit intra ostia tabernaculi, pereat anima illa è populo suo. Qui ergo extra tabernaculum celebrant, non alij celebrant, quàm hæretici: certaq; pernicies, et mors ijs impēdet, qui id facere veriti non fuerint. Quocirca oblationes, quæ in ecclesijs fiunt, sanctificari, benedici, et cōsecrari a Christo credimus.

Eucharistia, in solis catholicis ecclesijs celebrāda.

Exod. 12

Ouis, festo Paschæ in vna domo sacrificari iussa, typ⁹ fuit Eucharistię, in solis ecclesijs catholicis celebrandæ.

Hæretici extra tabernaculū, id est, ecclesiā, celebrāt.

Oblationes, in ecclesijs oblatæ à Christo consecrātur.

AN DEVS VNIVERSI POSsit ea, quæ iam contigerunt, et facta sunt, efficere, vt nunquam cōtigerint, aut facta sint, iuxta illud: Non erit ipsi impossibile omne verbum. Nō enim dicimus, tanquā non contingentia, sed vt omninò non cōtigerint. Veluti, An meretricem possit virginem efficere ex vtero matris, ita vt meretrix nunquam fuerit, quæ fornicata est: quia quæ impossibilia sunt hominibus, possibilia sunt Deo. CAP. XIII.

Luc. 1.

POTENTIA Dei neq; quam à nobis est inuestigāda, quæ certè magna, atq; admirāda est: quia id, quod factum est, à diuina gloria alienū nō est. Neq; enim quia omnia potest, idcirco eum absurdorum operatorem cerni par est. Intelligis enim absurdū esse, An Deus possit prestare, vt ipsemet nō sit Deus: An possit efficere se ipsum peccati capacem: An possit facere, vt ipse nō sit bonus, aut vita, aut iustitia. Oportet igitur summo studio absurdas huiusmodi quæstiones detestari. Cur verò Deus eam, quæ fornicata sit, facere nō possit, vt meretrix non fuerit, in causa est, quòd mendacium non potest, sed veritatem, efficere. Neque verò hoc impotentiæ eum arguit, sed demonstrat naturam, quæ ab eo, quod ipsam nō deceat, præstando abhorreat. Alienum autem omninò ab ipso est mendacium. Porrò mendacium est effi-

Potentia Dei ab hominibus inuestiganda non est.

De⁹, cur id, quod factū est, infectū facere nequeat.

cere,

tere; vt fornicata meretrix, fornicata non fuerit. Oportet autem, vt dixi, stultas huiusmodi, multumq; absurditatis in se habentes quæstiones, ne admittere quidem initio.

ADVERSVS EOS, QVI dicunt, Quòd ignorauit Filius extremum diem, iuxta imperitos.

CAP. XIIII.

Cõsummationis seculi diẽ, an Filius norit.
Mar. 13.
Matt. 24

AIVNT verò etiã alios audientes dicentem Christũ; De die illa, siue hora, nemo nouit, neq; angeli celorum, neque Filius, nisi solus Pater, stultißimè imperitißimeq; affirmare, diem illam, siue horam ignotã esse reuera Verbo, quod ex essentia Dei ac Patris genitum est, vt angelis cõparetur, nullaq; ratione differre videatur ab ijs, qui p ipsum facti sunt. At verò quo pacto eiusdem ordinis, eiusdéq; naturæ censeri possunt creatura et creator? quo pacto autem nõ potiùs immenso interuallo disiungantur? Hic enim longè vltra omne vniuersum est constitutus: illi verò vniuersitatis finibus continentur. Si verò existimant, reipsa Christum aliquid latére, quatenus est Deus, aberrant ab scopo, et in scopulos impingũt; Diuinamque gloriam in angustos limites cogunt. Euadet enim, (si ita se res haberet, vt ipsi comminiscuntur) non iam consubstantialis Deo ac Patri Filius. Si enim nouit Pater, ignorat autem Filius, quonam pacto æqualis ei, siue consubstantialis dici poterit? Oportet enim id, quod ignorat, inferiore, deterioreq; loco esse, quàm id, quod nouit. Et quod his admirabilius est, cõsilium, ac voluntas Dei ac Patris, vocatus est Filius. Paulus enim de ipso ait: Qui factus est nobis à Deo sapientia. Et rursùs: In quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ et cognitionis abscõditi. Quin et diuinus Dauid canit, ad cœlestem Patrem ac Deum: Domine, in voluntate tua deduxisti me: voluntatem appellans Filium ex se genitum. Præterea quomodo non ridiculum fuerit existimare, ignorari aliquid eorum, quæ ad Patrem pertinent, ab ipsius sapientia et voluntate? Et qui solus nouit Patrem, quo pacto consummationis diem ignoret? Quanto verò excellentior notitia est, scire quid sit Pater, quàm extremum diem nôsse? Scriptum autem est rursùm; Quòd spiritus omnia scrutatur, etiam abdita, et occulta Dei. Cum igitur spiritus nôrit abdita Dei, et omnia, quæ spiritui insunt, ipsius etiam filij sint, quo pacto nõ nouerit, quæ in Patre sunt? Cum igitur multæ rationes stolidas deprauatasque illorum ratiocinationes absurditatis arguant, necesse est, vt ad œconomiam veniamus, dicentes, Quòd vnigenitus Verbum Dei gestauit quidem vnà cum humanitate omnia, quæ eius sunt, præter peccatum. Conuenit autem meritò humanitatis rationi ignoratio futurorum. Quocirca qua quidem ratione Deus est, nouit omnia, quæcunque et Pater. Qua verò ratione homo etiam ipse est, ab ignoratione futurorum, quippe quæ humanitati conuenit, non abhorret. Quemadmodum verò ipse, cùm sit vita et facultas omnium, alimentum suscepit, exinanitionis mensuram non despiciens (scribitur enim et dormîsse, et labo

Christũ, quaten° Deũ, nihil latet.

Filius voluntas, et cõsilium Patris.
1. Cor. 1.
Col. 2.
Psal. 72.

1. Cor. 2.

A Christo, vt homine ignoratio futurorũ non est aliena.

Matt. 8.
Mar. 4.
Ioan. 4.

laboraſſe) ita etiam ignorationis futurorum, quæ humanæ naturæ conuenit, cum non puduit, quam quidē in ſe recepit. Omnia enim, quæ humanitati annexa ſunt, ipſi communicata ſunt, præter peccatum. Cum verò diſcipuli ea, quæ ipſorum vires excedebant, ſcire cuperent, conſultò ignorantiam ſuam ea ratione, qua homo erat, prætexit: dicitq́; ea ne ipſis quidem angelis cœleſtibus eſſe cognita; ne videlicet mœrore afficerentur, vtpote quibus arcanum illud cōmiſſum ac creditum non eſſet.

Christo omnia humana ſunt cōmunicata, excepto peccato.

Matt. 24. Mar. 13.

QVO PACTO INTELLIgendum ſit, Verbum caro factum eſt.

Ioan. 1.

CAP. XV.

CVM verò nonnulli etiā, (vt intelligo) interrogēt, quidnam ſit, aut quonā modo intelligendum ſit hoc, Verbum caro factum eſt, illud rurſùm vtiliter monebimus: conſuetudinem eſſe Scripturæ, diuino ſpiritu afflatæ, etiam à ſola nōnunquam carne hominem nominare. Sic enim Prophetis promiſit Deus, ſe Spiritum ſuum effuſurum in omnem carnem: Quia videbit omnis caro ſalutare Dei. Neque verò dicimus, quòd in ſolam carnem diuinus ſpiritus effunditur: ſed neque quòd ſola caro ſalutem per Christum vidit, ſed quòd in homines effuſus ſit Spiritus ſanctus, et ipſi viderint ſalutare. Quando igitur Euangeliſta dicit, Et Verbum caro factum eſt, non Verbum Dei in carnem transmutatum docet: (immutabilis enim eſt, vtpote ex immutabili Patre) ſed quòd carnem inanimatam manifeſtè peculiarem ac propriam ſibi faciens, admirabili ratione proceſſerit homo ex ſacroſancta Virgine. Neque enim prius exiſtens homo Deus eſt effectus: at potius cum natura eſſet Deus, factus eſt homo.

Carnē ſacra ſcriptura hominem vocat.

Ioel. 2. Act. 2. Eſai. 40. Luc. 3.

Ioan. 1. Verbum caro factū, quo modo intelligēdū

ADVERSVS DICENTES, Quòd vnuſquiſque dignam retributionē ſortiatur. Neque enim dixit Saluator, quòd pauper quidam homo, ſed Lazarus: vt appellatione nominis oſtēdat, reipſa, ac reuera eam factam fuiſſe.

CAP. XVI.

IVDICIVM, poſt reſurrectionem à mortuis, futurum Sacra ſcriptura teſtatur. Reſurrectio verò futura non eſt, niſi accedente rurſùs ad nos ex cœlo Christo in gloria Patris cum ſanctis angelis. Ita enim ſapientiſsimus Paulus inquit; Quòd Dominus ipſe in mandato, in voce Archangeli, et in tuba Dei deſcēdet de cœlo. Clanget enim tuba, et mortui in Domino ſuſcitabuntur incorrupti. Cùm igitur nondum è cœlo deſcenderit vniuerſorum iudex, ne reſurrectio quidem mortuorum facta eſt. Quo pacto verò non abſurdū cogitatu fuerit, factam iam eſſe aliquibus aut bonorum, aut malorum operum retributionem? Eſt igitur ſimilitudinis ratio eleganter expreſſa ijs verbis, quæ de diuite et Lazaro à Christo dicūtur. Ratio autē rei ita ſe habet, vt Hebræi tradūt: Lazarum eſſe quēdam, qui tū tēporis Hieroſolymis extrema paupertate egritudineq́; laborabat: cuius etiā Dn̄s meminerit, veluti in exēplum proponēs ad mani-

Retributio bonorum, aut malorū operum in extremo iudicio futura.

Reſurrectio quādo futura ſit.

Luc. 16. Lazarus in ſinu Abrahæ ſedens, quid ſignificet.

manifestiorem sermonis explicationem. Cum itaq; nondum è cœlo descendisset omnium Saluator Christus, nec resurrectio quidem facta fuit, neque operis alicuius retributio consecuta est: sed veluti in imagine per parabolam describitur diues delitijs affluens, et immisericors; et pauper ægrotus: vt intelligant ij, qui diuitijs in terra abũdant, nisi benigni esse velint, ac liberales, promptiq; ad impartiẽdum, et pauperum necessitati subueniendum, graui se, atque ineuitabili supplicio affectum iri.

Diues opibus affluens in Euangelio, quid significet.

ADVERSVS DICENTES, Quo pacto dæmones, cùm incorporei sint, cum mulieribus coierint.

CAP. XVII.

Qvandoquidem verò nonnullos dicere aiunt, Quo pacto incorporei cũ sint praui dæmones, commercium habuerint cũ mulieribus: quæ quidem ex ipsis procreârunt gigantes: oportet nos etiam ad hoc breuiter respondere, non totam historiæ seriem repetentes, sed rei ipsius sensum compendiosè declarantes. Ait igitur, prima illa secula siue tẽpora distinxisse progeniem Caim à progenie Enos; qui ob eximiam iustitiam vocatus est ab illius temporis hominibus Deus. Sperauit enim, inquit, vocari nomine Dei sui. Posteri itaq; Enos, cum essent iustitiæ cultores, omnisq; probitatis sectatores, paternos mores referebât, eiusq; vestigijs insistebant. Posteri verò Caim, feroces atq; execrabiles, nullum prauitatis genus prętermittebât. Talis enim fuerat etiam eorum pater. Quandiu igitur inter se progeniem nõ cõmiscuerunt, posteri Enos optimè, laudatissimeq; vitę splendorem integrum conseruârunt. Postquã verò, inquit, filij eius, cui Deo cognomen erat, hoc est, Enos, filijs Caim oculum adiecerunt (quas etiam Scriptura filias hominum appellauit) deinceps eas deperierũt, turpibusq; desiderijs succubuerunt, et ad illarum mores desciuerũt. Indignatus autem Deus, pręparauit mulieres ab eis acceptas, deformia monstra parere, quæ et gigãtes nominârunt, ob morum, quibus præditi erât, turpitudinem, atq; asperitatem, implacabilemq; ferocitatẽ. Qui itaq; post Septuaginta extiterũt quatuor interpretes, ea, quæ ad mores pertinent, explicantes, nõ scripserunt, quòd filij Dei vidẽtes filias hominũ: sed hi quidem δυναστευόντων, id est, præpotentium, hi verò δυναστῶν, id est, dynastarum. Stultum verò est existimare, dæmones incorporeos corporis officia exequi posse, quodq; à natura propria alienũ est, efficere. Nihil enim eorum, quæ in rerum natura existunt, quidquã pręter suam naturam præstare potest. Sed vnumquodq; vt factũ est, ita manet, suum cuiq; munus præscribẽte Deo. Ipse enim est auctor, ac Dominus omnium ortûs: cuius arbitrio vnũquodq; eorum, quæ sunt, est id quod est. Sciendum verò etiam hoc est, quædam exẽplaria habere, Quia videntes angeli Dei filias hominum. Hæc autem annotatio est foris adiecta. Vera autẽ ac genuina lectio est, Videntes filij Dei filias hominum.

Dæmones cum mulieribus commerciũ habere non possunt. Gen. 6.

Enos, ob eximiam iustitiã, vocatus est Deus, eiusque progenies filij Dei.

Gen. 6. Filiæ hominũ vocãtur filiæ Cain.

Gigãtes vocati posteri Cain, et cur.

Dæmones corporea officia exequi nequeunt.

Gen. 6.

ADVERSVS DICENTES, Quod Filius quidem quoad dignitatem diuinitatis aderat Patri, quando factus est

homo, et versabatur in terris: secundũ hypostasim verò nequaquam.

CAP. XVIII.

INTELLIGO quosdam temerariè, atq; incõsideratè etiã in grauissimis, maximeque serijs rebus nugantes, huiusmodi quidpiam asserere, Quòd vnigenitus Dei filius, iuxta quidẽ dignitatem diuinitatis, vnà erat cum Patre, quando in terris egit, cumq; hominibus versatus est, vtpote consubstantialis ipsi existens: iuxta hypostasim autem, nequaquã. Exinanita enim est, vt ipsi dicũt, omnis filialis hypostasis ex cœlo, et ex paterno sinu. Neq; enim copulandã esse hypostasim hypostasi: ne eas quidem, quæ in vna eâdemq; essentia existũt. Ego verò præcipitem illorũ, qui ita sentiũt, inscitiam admiratus, hoc necessariò dicẽdum existimaui, quòd ab ipsis essentiæ Dei quantitas attribuatur: quodq; eam comprehẽsibilem et terminatam statuãt, et nõ amplius interminatã, neq; incõprehensibilem, sed quæ iam locis cõprehẽdi, et spacijs circũscribi possit. Hęc verò corporũ rationibus conueniũt. Quocirca corpus etiam est, omnino autẽ etiã forma præditũ, neq; absq; corpore. Nam eiusmodi comitãtur corpora. At quo pacto Saluator, Spiritus, inquit, Deus est? Spiritũ enim ipsum esse dicit, vt eximiam ineffabilemq; naturam à corporeo simulacro eximat. An non verò ijs, qui huiusmodi diuulgãt, aut sentire audẽt, meritò quis dixerit: Iustificata est ex te Sodoma? Græcorum enim sapientes magis piè de Deo sentiunt, qui illum corporis, formæ, quãtitatis, partium, et figuræ expertem esse affirmant, et vbiuis locorum esse, neq; ab vlla re abesse. Quo pacto verò etiam illud ipsos latuit? Si enim, cum sit Filius cõsubstantialis Patri, euacuauit sua præsentia cœlum, quando factus est homo, et cum mortalibus est versatus: consentaneum est, terram quoque fuisse vacuam hypostasi Patris, quia ipse non est factus homo, neque cum hominibus versatus est, sed, vt quidpiam, iuxta ipsorũ imperitiam, dicam, mãsit in cœlis. Quomodo igitur Saluator dixit, Quia in me manẽs Pater, ipse facit opera? Quo pacto autẽ per Prophetam ait: An non cœlum et terram ego impleo, inquit Dominus? Et rursus: Deus propinquãs sum ego, dicit Dñs, et nõ Deus è lõge. Omnia enim prope se habet, omnia implens simul cum Patre, genitus ex ipso secundũ naturam Christus. Idcirco et propheta Dauid; Quo ibo, inquit, à Spiritu tuo? et à facie tua quo fugiam? Neq; enim cœli vspiam, neque terra inueniri possunt ineffabilis diuinitatis vacua. Nam, vt dixi, omnia implet diuina et consubstantialis Trinitas. Meminerint autẽ eius, quòd et Saluator omnium et Dñs sanctis Apostolis dixit: Expedit vobis, vt ego vadam. Nisi enim abiero, Paracletus nõ veniet ad vos. Cum autẽ abijt, præstãs id, quod promiserat, misit nobis ex cœlo Paracletum, hoc est, Spiritum. Est autem is consubstantialis Patri et Filio. Cum ergo descẽdit in terram Paracletus, vt nos sanctificaret, Spiritus in cœlis etiam non erat? Atqui illud etiam dicendum esset, Quòd cùm nos sanctificasset, rursus in cęlum conscẽdere, neq; amplius nobis adsit. Porrò scriptum

Error eorum, qui Filij cũ in terris ageret, hypostasim Patri in cęlis adfuisse negãt.

Ioan. 4.

Ezec. 16.

Gręcorũ poetarũ de Deo sentẽtia.

Ioan. 14.

Ierem. 23.

Deo omnia sunt plena.

Psal. 138.

Trinitas omnia implet.

Ioan. 16.

Sap.1. ptum est, Quòd Spiritus Domini repleuit orbem. Quin et ipse Christus
Matt.28 ad Patrem conscensurus, dixit: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, et vsq; ad cõsũmationem seculi. Si verò nobiscũ est, vacui sunt omnino etiã nunc, vt ipsi loquũtur, Filialis hypostasis cœli: et deserto Patris sinu, seorsim potius cum hominibus agit. Huiusmodi enim friuolas ineptasq; rationes effutiũt. At interim quisnam illorum inscitiam ferat? aut quis paulò cordatior nõ iugiter illis illachrymetur? qui sacras ac diuinas scripturas ignorantes, quidquid in mentem ipsis venit, temerè eructãt; et à rectis Ecclesiæ dogmatibus excidũt. Quid Philippo de Patre dicenti respondit
Ioan.14. Christus? Nõ credis, quòd ego in Patre, et Pater in me est? Impossibile igitur est, vt alterum absq; altero subsistat: sed vbi Pater esse intelligitur, ibi etiã omnino est Filius: et vbi Filius, ibi et Pater. Si enim est splendor Patris Filius, et Verbum ipsius, et Sapiẽtia, et potentia: quo pacto absq; Verbo, et Sapientia, et potentia fieri potest, vt percipiatur Pater? Quomodo autẽ Sapientia Dei, Verbumq; ipsius ac potentia separari intellectu possit à Patre? aut quo pacto nõ existat ipsi character ipsius? Quomodo verò etiam character separetur à Patre? At nõ est character, inquiunt. Nec enim copulãdam esse hypostasim hypostasi, ne eas quidem, quę in vna essentia existunt. atq; ita cõfestim humanas rationes, ad nugas suas demonstrãdas, transferunt. At verò quo pacto non illos intelligere oportuit, quòd quæ diuinæ naturæ sunt propria ac peculiaria, non nostro modo metienda sunt, sed propriam rationem obtinent, fideq; suscipiuntur, neq; curiosiores ratiocinationes admittũt. Vna enim est ineffabilis diuinitatis in tribus et peculiaribus hypostasibus natura, diuersa planè à nobis ratione, neq; creaturarum cõditionem sequitur. Atq; hoc quidem ex multis videre licet. Nos enim filiorum nostrorũ patres sumus per seminis emissionẽ et separationem. Quod enim procreatur, propriam quandam ac peculiarem in vniuersum diuersitatem nanciscitur. Nõ autẽ ita ex Deo et Patre Filium genitũ dicimus. Effulsit enĩ ex essentia ipsius, et luminis instar splenduit. Neq; verò extra ipsum factus est, sed ex ipso est, et in ipso. Et parẽtes quidem nostri filijs suis sunt seniores. In Deo autem hoc nequaq̃; ita se habet. Vnà enim semper existit cum Patre, et coæternam habet cum Genitore subsistẽtiam, vt et semper Pater declaretur. Nullum enim tempus vnquam fuit, quo nõ hoc, Pater nimirum, fuerit. Est igitur idem natura cum Patre diuinum, atq; supermundanum germen. Discernitur tantùm filiationis ratione. Neque enim est Pater, quia neq; ille, Filius. Cum itaq; omnia suprema omnium essentia impleat, quia et omnem creaturam, et mentem rationẽq; excedant, desinant obblaterare nõnulli, qui ex corde ipsorum loquuntur, et non ex ore Dñi, quemadmodum scriptum est, ne veritatem opprimentes, suis ipsorum animabus pęnam, huic peccato debitam, accersant. Iere.23.

Marginal notes: Vbi Pater, ibi et Filius, et contrà. — Hebr.1. — 1.Cor.2. — Sapiẽtia, potentia et character Dei, hoc est, Filius, à Deo nũquã separari possunt. — Diuinæ naturæ proprietas fide suscipiendæ sunt, nõ curiosius indagandæ. — Diuinitatis in trib^9 hypostasibus vna est natura. — Deus aliter genuit Filiũ, quã homo. — Pater et Filius in diuinis quo differant.

ADVERSVS DICENTES, Quòd Vnigenitus homo factus, cœlos diuinitatis suæ vacuos reliquit.

CAP. XIX.

SVNT

SVNT, qui absurda quædam, vt audio, summeq; ridicula effutiunt, loquẽtes ex corde ipsorum, et non ex ore Domini, sicut scriptũ est. Ubi enim veritatis splendor ac pulchritudo non elucet, ibi omninò pater mendacij exitiale prauitatis suæ virus effundit. Intelligo igitur quosdam, extrema inscitia grauatos, sentire ac dicere, Quòd vnigenitus Verbum Dei, cum factus est homo, et cum hominibus in carne versatus, vacuos diuinitatis suę cęlos reliquit. Hoc autem nihil aliud est, quàm si dicas, quòd quãtitate mensurari possit, quod comprehensibili sit natura, et loco cõtineatur, quemadmodum corpora, reliquæq; creaturæ. Ignorãt autem fortasse Diuinitatem incorpoream esse, figuræ et partiũ expertem, quæq; quantitate mẽsurari, et loco circumscribi nõ posit: sed implere quidem omnia in omnibus, immẽsamq; esse, iuxta propriam suam naturam. Scriptũ est enim: Quonam ibo à spiritu tuo? et à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero alas meas diluculo, et habitauero in extremis maris. Etenĩ illic manus tua deducet me. Oportebat igitur eos, non præ inscitia temerarias hasce voces eructare, sed secum perpendere, qualis ac quãta, et quàm excellens sit diuina atque immẽsa, ineffabilisq; Dei natura. Quo pacto enim Deus Verbum seiunctus fuerit aliquando à Patre, aut in ipso esse desierit? Si enim fieri potest, vt à lumine excidat, vtq; separetur splendor, qui ab ipso procedit, verisimile etiam futurum erat, posse fieri, vt Filius cum Patre nõ sit. Quomodo autem non intellexerunt, quòd creatura, vt Sol (opus enim est, quòd per Verbum ipsum creationis suæ principium accepit) per Zodiacum, præscriptam ipsi in cœlo viam, in orbem fertur: immittit autem quouis locorum suum lumen; cumq; omnia impleat splendore, quem ex se effundit, nihilominus illũ etiam in se retinet. Aliquãdo ne igitur non fuerit in Patre splendor gloriæ ipsius? Separata ne fuerit aliquãdo ab hypostasi eius imago ipsius? Et cùm omnia impleat Pater, an non hoc etiam, iuxta propriam suam naturam habebit Filius? quòd omnia impleat, inquã, et vbiuis locorum sit, neque ab vllo absit? Diuersæ igitur naturæ ab ipso erit. Quocirca in Arrianorum erroneam opinionem prolabuntur, qui hæc de ipso dicere audent. Si enim verè crediderũt, quòd et Deus, et ex Deo Patre secundum naturam genitus sit Filius, cur non adscribunt illi, quę diuinæ naturæ conueniunt? Si verò nomen quidem Dei ipsi obducunt, Diuinitatis verò dignitatibus, atq; insignibus ipsum priuãt, ignorãt se Creatorem ad creata deturbare, omniũq; ortûs auctorem ac Dominum, eodẽ cum creaturis ordine collocare. Fuit igitur visus quidem in terris homo iuxta carnem; pleni autem nihilominus ipsius diuinitatis erant cęli. Omnia enim implet Deus existens Verbum.

Iere. 23. Psal. 138.

ADVERSVS DICENTES, Quòd seorsim Verbum miracula operetur, sancta ipsius carne nihil ad hoc præstante.

CAP. XX.

EOS

An Christus etiã per carnem suã miracula ediderit.

NOS autem, qui affirmãt, non oportere cõmunem facere carnem cum diuinitate Vnigeniti, neq; diuinitatem cum carne in editionibus miraculorum: aut etiam quòd Lazarum è monumẽto suscitârit: clamãs, nõ homo, sed Deus Verbum: et quòd cum iter faceret, Deus lassitudinem nõ senserit, sed homo assumptus, qui etiam famem ac sitim est expertus, Cruciq; affixus, et mortuus est, in vniuersum à veritate aberrare dicimus, et Incarnationis mysteriũ ignorare. Neque enim dicimus duos esse Filios, neq; duos Christos, sed vnum Christum et Filium ex Deo quidem Patre ante omnia secula et tẽpora genitum, substantiale Verbum ipsius, in vltimis autem seculi temporibus, eundem secundum carnem ex muliere natum. Ne igitur tanquam duabus animabus cõstantem distinguãt, ac partiantur, ne ve duos nobis inducant filios, sed vnum illum, atq; eundem profiteãtur, vtpote incarnatum Dei Verbum, eiusdemq; esse omnia, et voces, et actiones. Cum enim ipse simul et Deus sit et homo, loquitur et diuinè et humanè. Operatur autẽ similiter et diuina et humana. Cum igitur non fatentur vnum Filium et Dominum, reijciãtur ineptè eum diuidẽtes, partiẽtesq; in duos: vt vnus quidem seorsim et distinctè Filius intelligatur: Verbũ nimirum ex Deo Patre: alius verò rursus seorsim et distinctè Filius, vt ipsi quidem dicunt, qui hominem assumpsit. Nos enim nequaquã ita dicimus: neq; ita credimus: sed quòd Deus existens Verbũ, caro factus est, non desinens esse Deus: sed permanens id, quod erat, absq; vlla immutatione, siue alteratione, et carnis et sanguinis particeps est effectus, secũdum scripturas. Carnem verò ipsi vnitam propriamq; ipsius effectam, anima intellectuali animatam fuisse dicimus.

Ioan. 11.

Diuinitas et humanitas in Christo separãdæ nõ sunt.

Ioan. 4.

Christus vnus, nõ distinct⁹ in se.

Verbum caro factus non desijt esse Deus.

ADVERSVS DICENTES, Quòd non assumptus est cum carne sibi vnita. Et aduersus dicentes, Quòd corpus assumptum, sanctæ Trinitati cõmistum fuerit.

CAP. XXI.

QVOD verò etiã assumptus sit cũ vnita sibi carne, quo pacto quispiã dubitauerit? Suscitatum enĩ ipsum à mortuis, planè sicut apparuit et intelligitur homo, collocauit eum Pater in dextra throni maiestatis in excelsis supra omne principatũ et potestatem et dominationem, et supra omne nomen quod nominatur. Veniet autem ita rursus suo tẽpore. Suffecerit autem ad huius rei fidem sanctorum Angelorum vox, qui ipsum in cœlos ascendẽtem postquam è mortuis reuixisset, viderũt, aperteq; clamarũt; Hic est Iesus assumptus à vobis, hic veniet eo modo, quo ipsum vidistis euntem in cœlum. Si igitur qui assumptionis eius spectatores fuerunt, Verbum carne exutum viderunt, etiã ita ipsum venturum nonnulli suspicentur. Cum autem sanctis Apostolis certissimam fidem fecerit, palpabile corpus suum ostẽdens, et sic assumptus est: ita rursum venturus est, neque mendax inuenietur Apostolorum de ipso sermo. Porrò neque illud nonnulli perperam imaginẽtur, sed ne suspicetur quidem, quòd corpus Verbo naturaliter

Christus cũ carne sibi vnita assumptus.

Ephes. 1.

Act. 1.

Luc. 24.
Ioan. 20.

Corpus Verbo vnitum, post assũptionem Trinitati cõmistum nõ fuit.

Corpus Verbo vnitum, post assũptionem Trinitati cõmistũ nõ fuit.

liter vnitum, sanctæ Trinitati cõmistum fuerit. Fieri enim nõ potest, vt ad ineffabilem illam et immensam, omniq; intellectu et ratione superiorem essentiam accesio aliqua, ac potissimum extraneæ, atq; alterius naturę, fieri posit. Etenim in seipsa omni ex parte perfectissima, nulliq; imminutioni obnoxia: ideò quòd in ipsam nulla mutatio, siue alteratio, cadat, neq; augmento, vt dixi, vllo indigeat. Vana itaq; et inanis est eorũ opinio, qui præ nimia inscitia secundum cõmistionem siue coïtionem, in ipsa sanctæ Trinitatis natura corpori locum esse cõtendunt. Neq; enĩ nos ita sentimus, sed rectã sequimur de omniũ nostrũm Saluatore Christo sententiam. Dicimus enim vnigenitũ Dei Verbum incarnatũ esse, nõ propria sua natura in carnem trãsmutata, sed ea ex sacrosancta virgine accepta, venturũq; cum ipsa rursum in gloria cum sanctis angelis.

Trinitati, aut diuinitati nihil addi potest

QVOD PER PROPRIAM carnem miracula edat Deus existens Verbum.

CAP. XXII.

HOMINEM verò, vnigenitum Dei Verbum, factum fuisse dicimus, non vt desineret esse Deus, sed neq; vt nudum intelligatur Verbum, sed potius vt incarnatum, propriũ sibi quod ex Virgine assumpsit, corpus efficeret. Quocirca qui Christum nominat, neq; nudũ Verbum significat, neq; hominem vulgarem, vel tanquã vnum ex nobis: sed, vt dixi, tanquam incarnatum, ex Deo Patre Verbum, et vnctum in apostolatum. Neq; enim homo, vt quidã voluit, Deus est effectus, vnitus Verbo, sed Verbum ipsum, carne assumpta, homo factum, mansit etiã ita Deus. Quãdo igitur miracula edit, ne seorsim separãs à sancta ipsius carne Verbum Dei, soli ipsi miraculi editi vim tribuas: sed ita potius piè cõgita: quod vnigeniti Dei Verbum homo factũ, etiam per propriam suam carnem sępenumero efficax fuerit, vtpote propriam ac specialem ipsam habẽs, nõ per cõfusionem et cõmistionem. At quemadmodũ intelligi potest de fabro, lignario putà aut ferrario, quod operetur quidẽ anima per proprium corpus (nemo tamen dixerit, solius animæ esse opera, tametsi inciret, ac moueat corpus ad opus, sed vtriusq;) ita etiã sentiendum est de Deo. Nam ante incarnationem nudum existẽs per se Verbum, opera edidit diuina. Homo autẽ factum, per carnem etiã suam, opera (vt dixi) edidit. Ita enim admouit manum cœcis: ita rursũm suscitauit viduæ filium extẽsa manu loculum attingens: Ita luto ex sputo facto vnxit oculos cæci ab ortu. Si autem etiam spiritualiter vixit, cogita rursũm quòd traducens mores nostros ad spiritualem viuendi ationẽ, ipse rem humano more est aggressus, vt via, atq; principium humanæ naturæ fieret, ad non amplius carnaliter voluptuoseq; viuẽdum. Omnis enim boni principium, fons et origo nobis fuit. Idcirco enim apparuit, extititq; homo, vt naturam nostrã ab imbecillitate, quæ ab Adam in eam propagata fuerat, liberaret: ac veluti in ipso, et quidẽ primo, spiritualem declararet.

Christi appellatione qd contineatur.

Homo, p incarnationẽ Verbi nõ est factus Deus; sed Verbum caro, id est, homo factũ mansit etiã Deus.

Miracula p Christum edita nõ soli eius diuinitati, sed carni etiam adscribẽda sunt.

Matt. 9. Mar. 8. Luc. 7. Ioan. 9.

ADVERSVS DICENTES, An fieri potuerit, vt peccaret Christus gestãs similitudinem Adæ propter carnem.

CAP.

CAP. XXIII.

STOLIDI verò, ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmãt, eam ob causam, quòd in eâdem atque nos, specie fuerit versatus: quodq; forma serui accepta, cum hominibus in terra egerit. Si enim desijt esse, quod erat, aut ex diuina natura in humanam tãtùm: ac nostri similem naturam abijt, humanam imbecillitatem illi obijciant. Si verò idcirco humanam naturam gestauit, vt eam, quæ ab Adã imbecillitatem acceperat, in se validam et peccato superiorem declararet, cur frustra id anxiè inquirunt, quod inueniri non possunt? Quo pacto verò ipsius obliti sunt, dicentis: Venit princeps mundi, et in me non habet quicquam? Arguit quidem omnem carnem peccati auctor: sed stulta atque operosa ipsius indagatio, in Christo ociosa fuit, nullũq; locũ habuit. Nihil eni omnino in ipso inuẽtum fuit. Etenim ad Iudæos inquit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, cur non creditis mihi? Quemadmodum igitur in Adam cõdemnati sumus, ob inobedientiam, mandatique transgressionem: ita in Christo iustificati sumus, ꝓpter omnimodam peccati carentiam, et irreprehensibilem prorsus obediẽtiam: naturaq; humana in hoc pristinam gloriam, dignitatemq; acquisiuit. Obturatum itaque est os peccati, et enim ipso mortis imperium deletũ, ac quodãmodo cum sua radice emarcuit. Si enim peccatum omnium malorum fons, atque origo nobis fuit, demolitio etiam eorum, quæ nobis acciderant, fuerit iustificatio in Christo per inobedientiam ingressa, omniq; labe carens. Quocirca etiam si Adamum, vt ipsi dicunt, gestauit: nõ tamen illi similis erat, ex terra terrenus; sed vt cœlestis incomparabiliter præstantior terreno. Porrò innocentiæ laudibus humanam naturam in ipso ornatam, facilè quis contempletur, cum Scriptura, diuino spiritu afflata de ipso testetur; Quia peccatum non fecit, neque inuentus est in ore eius dolus.

Christus an ideo ꝙ formã Adæ gesserit, peccare potuerit.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

Adæ inobediẽtia damnati, Christi obediẽtia iustificati sumus.

1. Pet. 2.

CVR NON STATIM AB initio apparuerit Dominus, sed vltimis tẽporibus humanæ vitæ tribuerit diuinitatis suæ apparitionem.

CAP. XXIIII.

QVIA cum humanæ vitæ miscendus esset, vt nequitiam expurgaret, vtiliter præstolatus est, donec omnis nequitia, quæ inimici opera radices egerat, germinasset, ac fructificata esset. Deinde, vt Euãgelium inquit, securim radici admouit. Etenim medici, qui in arte sua excellũt, cùm interius in corpore æstuat febris, et paulatim ex causis morbificis ægritudo inflammatur, supersedent curatione, donec ad summum incrementum siue vigorem morbus processerit, nullã ex cibis opem ęgroto adferẽte. Vbi verò morbus ad statum peruenerit, tũc primùm artem suam adhibet, cũ iam morbus se exeruerit, totũq; se prodiderit: ita etiam in ijs, qui animæ vitijs laborant, qui morbum ex nequitia curat, tantisper medelam distulit, donec coacta est natura, quidquid in se vitij habebat, patefacere, ne quid occulti incuratũ relin-

Christus cur vltimis humanæ vitæ tẽporibus incarnatus fuerit.

relinqueret, cum medicus ea tãtùm; quæ appárent, curet. Idcirco neq; tẽ poribus Noë, cùm omnis caro in iniquitate corrupta esset, apparitione sua medicinam adfert, quia nondum Sodomiticæ nequitiæ germen epullulârat. Neq; eo tempore, quo Sodomorum vrbs euersa fuit, Dñs apparuit, quia multa adhuc in humana natura vitia delitescebant. Vbi enim Dei hostis Pharao? Vbi Ægyptiorũ indomita malitia? Porrò ne tum quidem totius vniuersi instauratori opportunum visum fuit, (ob Ægyptia, inquã mala) vitæ misceri. Sed oportebat etiam Israëlitarum inobedientiam edi: oportebat et regni Asyriorum, et Nabuchodonosor flagrantissimam superbiam manifestam fieri: oportebat sanctorum cædem, veluti prauũ aliquod, spinisq; obsitum germen, excitari. Oportebat Iudęorum aduersus sanctos Dei rabiem manifestari, occidẽtium Prophetas: et eos; qui missi erant, lapidibus obruentium, ac tandem piaculare scelus in Zachariam, inter ipsum altare et tẽplum, cõmittentium. Adde etiàm catalogo prauorum germinum, infantium cædem ab Herode perpetratã: Cum igitur omnis in vniuersum nequitiæ vis ex praua radice emersit, multisq; modis excreuit in voluntatibus ac studijs, malitia promiscuè luxuriante, tum demum (sicut ait ad Athenienses Paulus) ignorantiæ tẽpora detestatus Deus, vltimis temporibus aduenit, cum non esset, qui intelligeret, neq; inueniretur, qui quæreret Deum. quando omnes declinã rant, simulq; inutiles facti erãt: quã do omnia implicata fuerunt malitia: quando abundauit peccatum; quando ad summam nequitiæ caligo excreuit: Tunc, inquam, apparuit gratia, tunc veri luminis radius effulsit, tunc exortus est Sol iustitiæ in tenebris atq; vmbra sedentibus. Tũc multa capita draconis cõtriuit, pede illa proculcans per humanam carnem, terræq; illisit, atq; protriuit. Neq; verò quispiam in præsenti vitæ statu sermonem hunc veritati repugnare arbitretur, quo asserimus Dominũ vltimis tẽporibus humanæ vitæ illuxisse. Dicet enim fortasis aduersarius, quòd qui tempora præstolatus est ad nequitię manifestationem cõmoda, vt illam, cùm ad summum excreuisset, tolleret, verisimile esse, omnem illam semel funditùs sustulisse, ita vt nullæ amplius eius in vita reliquiæ hærerent. Nunc verò et cędes, et rapinæ, et adulteria, et quid non pessimorum flagitiorum perpetratur? Qui verò eò respexerit, similitudine quadã à rebus notioribus sumpta, dubium soluat. Quemadmodũ enim videre est in reptilium peremptione, nõ statim cum capite, tractus etiam et gyri colliduntur, atq; intereunt: sed illud quidem emollitur, hi verò adhuc animæ in se agitationẽ habent, vitaliq; motu non sunt destituti: ita etiam interfector draconis cum iam bellua per omnes hominũ generationes grassata, in immensam magnitudinem excreuisset, caput illi præscindens, hoc est, malorum inuentricem facultatem, multis capitibus præditam adimẽs, de gyrorum et tractuum volutatione parùm laborauit, motum in belua relinquẽs; qui ijs, qui postmodũ venturi essent, ansam certaminis præberet.

Margin notes: Gen. 6. — Gen. 19. — Exod. 1. 2. 3. &c. — Matt. 23. — Matt. 2. — Act. 7. — Christus apparuit cum malitia ad summũ gradum esset. — Caput serpẽtis cõterere quid sit.

QVOD

QVODNAM SIT caput collisum. CAP. XXV.

QVOD prauo suo consilio mortē inuexit: quod exitiale venenum homini per dogma misit: Qui ergo mortis imperium dissoluit, potestatem in capite serpentis sitam, sicut ait Propheta, collisit. Reliqui verò serpentis tractus, per humanam vitam dispersi, quandiu humanitas motibus, ad prauitatem vergentibus est obnoxia, cortice peccati vitam exasperant. Ac potestas quidem eorum mortua est, cum nimirùm caput sublatum sit. Cùm verò tempus prætererit, et ea, quę mouentur, substiterint, in ea videlicet, quam expectamus, vitæ consummatione; tunc etiam extremum inimici volumen, hoc est, mors, exolescet; atque ita in vniuersum bellua hæc, siue nequitia de medio tolletur, omnibus ad vitam reuocatis per resurrectionē, iustis quidem, statim ad cœlestem quietem traductis: ijs verò, qui peccatis fuerint obnoxij, igni gehennæ traditis.

NVPTIARVM EXPERTEM, incorruptam vocare, hominum consuetudo est. CAP. XXVI.

MAGNVS ille Moyses, quando rubus exarsit, neque tamē rubus flammę vi marcesceret: Transiēs videbo, inquit, magnam visionem hanc, non localem, vt arbitror, motum per transitum significans, sed trāsitoriam temporis euolutionem. Quod enim in flamma et rubo figuratum fuit, id elapso intermedio tempore manifestè in Virginis mysterio reuelatum fuit. Quemadmodū enim illic virgultum et a lumine accenditur, neque tamen aduritur; ita etiam hic virgo et parit lumen, neque tamen corrumpitur. Si verò rubus figuratè significat Deiparum Virginis corpus, ne te offendat comparatio. Omnis enim caro propter peccati susceptionem, ea solùm ratione, qua caro est, peccatum est. Peccatū verò a Scriptura spinæ appellatione nominatur.

Rubus accensa, typ⁹ virginis matris.

Caro, peccatū dicitur, et quare.

Peccatū spina in Scriptura sacra vocatur.

ZACHARIAM INTER TEMplum et altare interfectum, non fuisse idoneum, qui in testimonium eximiæ virginis matris statueretur. CAP. XXVII.

ZACHARIAS hic sacerdos erat, et prophetiæ donoclarus. Prophetiæ autem vis descripta in libro Euangeliorum prædicatur, quòd diuina gratia hominibus viam sternēs, ne partui virgineo fidem derogaret, incredibilemq; illum existimarent, minoribus miraculis incredibilium assensionem ac fidem prius stabilire nititur. Anui decrepitæ nascitur filius. Hoc veluti procemiū est partûs virginei. Quemadmodum enim Elizabeth, nō naturæ beneficio, ac facultate fit mater, cū sterilis per omnem vitā cōsenuisset, sed diuinæ volūtati filij generatio accepta refertur: ita etiam virginei partûs incredibilitas ad Deum relata, fidem inuenit. Cum igitur partus anûs sterilis virgineum

Luc. 1.

gineum partum præcedat, simulac is, qui ad vocem eius, quæ Dominũ vtero gestabat, priusquam in lucem prodiret, in materno vtero exultabat, natus est Verbi Præcursor, tunc demum soluitur Zachariæ per propheticam afflationem silentium, et quæcunque recenset Zacharias, prophetia futurorũ erant. Hic ergo prophetico spiritu ad occultorum cognitionem deductus, cum mysterium virginis de eximio partu probè intelligeret, non arcuit incontaminatam purissimamq́; matrem ab eo templi loco, qui virginibus ex lege designatus erat: docens nimirum Iudæos, ꝙ creator totius vniuersi, et omnis creaturæ Rex humanam naturam (vt reliqua etiã omnia) sibi subiectam habet, pro suo arbitratu, eam ad quodcũque velit, ducens: non autem ipse creaturæ astrictus: adeò, vt in ipsius potestate sit situm, nouam naturam creare, quæ matrem effectam virginitate non priuet. Idcircò non arcuit eam à loco tẽpli virginibus dicato.

Deo, nouã creaturam creare difficile nõ est.

Erat autem locus hic spacium inter altare et templum, intermedium. Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanam natiuitatem diuino consilio procedere, veriti, ne in eius Regis potestatem atque imperium veniret, eum, qui hęc de partu testificatus erat, interficiũt; sacerdotem sacrificantes.

Virginibus quisnam loc⁹ in tẽplo dicatus.

CVR GLORIFICET VOX angelorum deitatem in excelsis visam, dicens: Gloria in excelsis Deo? quia inquit, et in terra pax.

CAP. XXVIII.

INGENTEM lætitiã conceperunt angeli, pace terris ostensa, quæ priùs sublata fuerat: quæ spinarum, et tribulorum ferax, quæ belli sedes, et damnatorum exilium fuerat, hæc ipsa pacem consecuta est. O ingens miraculum. Veritas ex terra orta est. Eiusmodi fructum dedit hominum terra. Atque hæc quidem fiunt prę beneplacito erga homines. Deus se humanæ naturæ contemperauit, atque admiscuit, vt altitudine, excellentiaq́; Dei, simul etiam ad perfectionem subuehatur humanitas.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, q̃d significet.

Psal. 84. Veritas ex terra orta est.

D. CYRILLI, ARCHIEPIscopi Alexandrini,

De Adoratione in ſpiritu et veritate:

Et, Quòd Lex ſit vmbra, ac figura vitæ in Chriſto, atque Euangelicæ.

LIBRI. XVII.

BONAVENTVRA VVLCANIO BRVGENSI INTERPRETE. Auttore damnato —

Cum epiſtola nuncupatoria.

Ad Perilluſtrem, ac Reuerendum admodum Dominum D. FERDINANDVM A MENDOZA ARCHIDIACONVM TOLETANVM. &c.

Toleti.

Apud Ioannem ab Ayala.

Anno. 1575.

Eſta taſſado a tres marauedis el pliego.

El Rey.

POr quanto por parte de vos don Pedro de Mendoça hẽ
redero de don Hernando de Mendoça, ya difunto, Arce
diano que fue de la ciudad de Toledo ſe nos ha hecho rela
cion: diziendo que el dicho don Hernando vueſtro her-
mano auia hecho traduzir vn libro de Griego en Latin dẽ
ſant Cirilo Arçobiſpo de Alexandria, intitulado de Ado
ratione in ſpiritu et veritate. En el qual auia tenido mucho
trabajo y gaſto. Suplicandonos vos dieſſemos licencia y
facultad para q̃ por el tiempo que nueſtra merced y volun
tad fueſſe, lo pudieſſedes imprimir y vender ſin que otra
perſona alguna lo pudieſſe hazer ſin tener para ello licencia y poder vueſtro, o como
la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro cõſejo: por quãto en el dicho
libro ſe hizo la diligencia que la pregmatica ahora por nos nueuamente hecha diſpone.
Fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon. E yo tu
uelo por bien, por la qual vos doy licencia y facultad, para que vos o quien vueſtro po
der ouiere podays imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze mincion ſin que vos ni
los impreſſores que le imprimieren, incurran en pena alguna: y mandamos que la tal
impreſsiõ ſe haga del dicho libro original que va rubricada cada plana e firmada al fin
del de Domingo de çauala nueſtro eſcriuano de camara de los que reſiden en el nueſtro
conſejo, juntamente con el original para que ſe vea ſi la dicha impreſion eſta conforme
a el: y ſe taſſe el precio porque ſe vuiere de vender cada volumen: ſo pena de caer e in-
currir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nueſtros reynos. Y he
cho lo ſuſodicho, defendemos que por tiempo de cinco años primeros ſiguiẽtes que
corran y ſe cuenten deſdel dia de la data deſta nueſtra cedula en adelante, perſona alguna
no pueda imprimir ni vender el dicho libro ſino vos el dicho don Pedro de Mendoça
o la perſona que vueſtro poder ouiere: ſo pena de perder todos los libros que del vuie
ren impreſſo y mas diez mil marauedis para la nueſtra camara: y mandamos a los del
nueſtro Conſejo, Preſidente e oydores de las nueſtras audiencias alcaldes alguaziles
de la nueſtra caſa y corte y Chãcillerias e a todos los corregidores Aſiſtẽte Gouernado
res alcaldes mayores y ordinarios y otros juezes y Iuſticias qualeſquier de todas las
ciudades, villas, y lugares de los nueſtros Reynos y ſeñorios y a cada vno y qualquier
dellos, aſsi a los que ahora ſon como los que ſeran de aqui adelante, que vos guarden y
hagan guardar y cumplir eſta nueſtra cedula y merced que anſi vos hazemos, y contra
el tenor y forma della no vays ni paſſeys ni conſintays yr ni paſſar por alguna manera
ſo pena de la nueſtra merced y de veynte mill marauedis para la nueſtra camara. Dada
en Madrid, a ſiete dias del mes de Octubre de mil y quinientos y ſetenta y vn años.

Yo el Rey.

Por mandado de ſu Mageſtad. Antonio de Eraſo.

YO Domingo de çauala eſcriuano de camara de ſu Mageſtad de los que reſiden en
ſu Conſejo doy fee que auiendoſe viſto por los ſeñores del, vn libro que con ſu li-
cencia hizo imprimir don Hernando de Mẽdoça Arcediano q̃ fue de la ſanta ygle
ſia de Toledo, intitulado de Adoratione in ſpiritu et veritate, traduzido de Griego en
Latin: el qual hizo y compuſo ſant Cirilo Arçobiſpo de Alexandria. Le dieron licencia
para que pudieſſe vender cada pliego del dicho libro, a tres marauedis. Con que antes
y primero que lo venda imprima en la primera hoja del eſte teſtimonio de taſſa. Y pa-
ra que dello conſte di la preſente. En Madrid a treynta y vno de Agoſto de mil y qui
nientos y ſetenta y quatro años.

Domingo de çauala.

Don Philipe por la gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Secilias, de Ieruſalẽ, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarues, de Algezira, de Gibraltar, duque de Milan, Conde de Flandes, y de Tirol. &c. Por quanto por parte de don Hernando de Mendoça Arcediano que fue de la ſancta ygleſia de la ciudad de Toledo, nos fue fecha relacion diziendo, que entre otros libros que el Cardenal de Mendoça Obiſpo de Burgos ſu hermano, dexo, auia vno de ſant Cyrillo Arçobiſpo de Alexandria, intitulado de Adoratione in ſpiritu, et veritate, eſcrito en griego: el qual auia traduzido en latin: y por ſer muy vtil y prouechoſo para el bien comun, nos ſuplico mandaſſemos dar licencia y facultad para lo poder imprimir y vender, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, y como por nr̃o mãdado ſe hizieron las diligencias que la prematica por nos nueuamente fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra carta para vos en la dicha razõ, y nos touimos lo por bien. Y por la preſente damos licencia y facultad a qualquier impreſſor deſtos nueſtros reynos, para que por eſta vez pueda imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion, conforme a la cenſura que en el hizieron el Maeſtro fray Luys de Leon, y el Maeſtro Leon catredaticos en la vniuerſidad de Salamanca, ſin que por ello caya ni incurra en pena alguna. Con que deſpues de impreſſo no ſe pueda vender ni vẽda, ſin que primero ſe traya al nueſtro Conſejo, juntamente con el original que en el ſe vio, que va rubricado y firmado al cabo de Pedro del Marmol nueſtro eſcriuano de Camara de los que reſiden en el nueſtro Conſejo: para que ſe vea ſi la dicha impreſſion eſta conforme al original, y ſe de licencia para lo poder imprimir, y ſe taſſe el precio que por cada volumen ouiere de auer: ſo pena de caer & incurrir en las penas cõtenidas en la dicha prematica y leyes de nueſtros reynos. Dada en Madrid a veynte y ocho dias del mes de Agoſto, de mill y quinientos y ſetenta y vn años. D. Cardinalis Segunt. El doctor Velaſco. El licenciado Fuenmayor. El doctor Franciſco Hernandez de Lieuana. El licenciado Contreras. El licenciado Rodrigo Vazquez Arze.

E yo Pedro del Marmol Eſcriuano de Camara de ſu Catholica Mageſtad la fize eſcriuir por ſu mandado, con acuerdo de los del ſu Conſejo.

Regiſtrada. Por Chanciller.
Iorge de Onlaal de Vergara. Iorge de Onlaal de Vergara.

PERILLVSTRI AC RE uerendo admodum domi- no. D. Ferdinando à Mendoza, Ar- chidiacono Toletano, Patrono suo,

BONAVENTVRA VVLCANIVS BRVGENSIS. *Auctor damnatus*

QVotiescunq; mihi in mentem venit Illustrissimus, ac Reuerendissimus Cardinalis Mendoza germanus frater tuus, qui annos abhinc tres summo totius Hispaniæ, ac exterarum nationum mœrore vitam cum morte commutauit (Illustris admodum Domine, ac patrone vnice) non possum non præcipuo quodam dolore angi, quòd is mihi Mæcenas ereptus sit, cuius tot, tantaq; in me extant beneficia: Tametsi ego ex illius acerbissimo interitu non tam priuatum meum incommodum ac detrimentum, quàm communem totius Christianæ reipublicæ casum æstimare soleo, quæ certè insignem tanti herois obitu iacturã fecit. Nam, vt innumera eius, præclarissimaq; in rempublicam merita prætercam (neq; enim eorum cõmemoratio breuem hanc epistolam, sed iustos commentarios, quos de ipsius vita, ac rebus gestis conficio, requirit) quanam, obsecro, ratione melius de ea mereri poterat, quàm cum præstantissima quæque veterum Græcorum in omni genere disciplinarum scripta, tenebris plusquã Cimmerijs obruta, non ex Italiæ tantùm visceribus, sed totius fermè orbis angulis incredibili labore, atque immensis sumptibus conquisita, summa diligentia ac fide latinè verti curabat? Triti enim essent iam doctorum hominum manibus, non hi solùm, quos nunc demum emittimus Cyrilli de Adoratione in Spiritu, et veritate libri, et eiusdem Glaphyra, hoc est, scita et elegantia, in quibus (vt author est Nicephorus) quæ in veteribus scripturis figuratè dicta sunt, ad Christum, et ecclesiam nostram refert: versarentur etiam nunc in summa, splendidissimaq; luce D. Eusebij in Psalmos commentarij, vel Hieronymo teste eruditissimi, vt de alijs multis præclaris authoribus nihil dicam: quos nunc è densissima caligine in qua, nescio quo adhuc fato, delitescunt, erutos videremus: nisi pulcherrimis eius conatibus, summæq; laudi immatura mors inuidisset. Nunquam enim ego eiucesmodi heroum obitũ, quos natura ad iuuandum, ornãdumq; genus humanum finxisse videtur, etiam si in confecta ætate accidat, maturum iudicãdum censeo. Luctuosissimus itaque Christiano orbi Cardinalis Mendozæ interitus accidit, multò certè luctuosior acerbiorq; futurus, nisi tibi optimo δᾳδούχῳ facem per manus tradidisset: teq; nobis alterum ipsum reliquisset.

Elucet

Elucet enim in te par cum illo prudentia, par animi magnitudo, par pietas, par humanitas, et iuuandi doctos studium: summa deniq; ingenij, ac morũ similitudo: adeo, vt si amplissimum Archidiaconatum Toletanum, cuius te ille sibi successorem instituit, externa illa ornamenta, mitram, nimirum, et purpuram adieceris, nihil tibi ad viuum eius exemplar effingendum defuisse videatur. Statim itaque post ejus decessum, in eam tibi curam summis viribus incumbendum putasti, vt quam ille Spartam nactus fuerat, tuam esse cẽseres, eamq; adornares: quodq; ille morte præpeditus præstare non potuit, id tu omne perficeres, atque absolueres. Me ergo, cuius opera Cardinalis in cõuertendis Græcorum scriptis iam antea vsus erat, pari beneuolentia amplectendum, ac fouendum, pari etiam stipendio, ne dicam ampliore prosequendum duxisti. Ex alijs verò authoribus, qui latinè reddendi essent, primos mihi septemdecim hos Cyrilli libros proposuisti: quod ij præcipuè Cardinali fratri tuo in amore, ac delitijs fuissent: quòd vel solùm maximo argumento esse posset, eos esse lectu, scituq; dignissimos, cum in ijs plus operæ, ac laboris quàm in alijs collocarit. Neque verò sua eum fefellit opinio. Fuit enim Cyrillus cum ingenio, ac iudicio præditus prope diuino: tum eruditione singulari, et in omni genere disciplinarum versatissimus: vniuersæ etiam mundi historiæ: antiquitatisq; peritissimus: quod cùm varia eius scripta satis declarãt, et frequentes grauissimæq; cum ethnicis et hæreticis sui temporis dimicationes, tum præclarissima Socratis, Isidori Pelusiotæ, Nicephori, atque aliorum de eo testimonia: quorum hic quidem, Ecclesiasticæ suæ historiæ lib. xiiij. cap. xiiij, Cyrillum profanarum simul et sacrarum literarũ peritia multis modis omnes superasse ait: omni etiam virtutum genere excelluisse. Qua de re Celestinum Papam, cùm propter nauigationis pericula Ephesinæ synodo ipse interesse non posset, vt suum locum obtineret, iussisse. Alibi etiam veluti tubam quandam Ecclesiæ vniuersum terrarum orbem personantem, et fortissimum ecclesiæ propugnatorem ab omnibus celebratũ, omnibusq; in ore fuisse prædicat. Cœterum inter alia eius scripta laude dignissima facilè primùm locum obtinent hæc, quæ præ manibus habemus: et tametsi idẽ Nicephorus palmam tribuit ei libro, quem Thesaurum inscripsit, quòd nimirum eo ex omnibus sacrarum literarum scriptis syllogismorum ratiocinationibus, et demonstrationibus mysterium sanctæ Trinitatis ostendat: nõ minorem certè, ne dicam maiorem laudem merentur isti, quibus totam salutis nostræ administrationem, quam œconomiam veteres theologi vocant, est complexus. Præterea veterem illam legem, quam Moyses à Deo acceptã Israelitis tradidit, typum nouæ, euangelicæq; doctrinæ esse ostendit: et summam vtriusque inter se conueuientiam demonstrat: ac rudes, et obscuras legis vmbras ad pulcherrimam, omnibusq; numeris absolutam euangelicæ disciplinæ formam effingit. In hoc denique totus versatur, vt tabernaculum, omnemq; eius apparatum, sacerdotes, vestes, ornatus, sacrificia, ritus, vota, festa, totam denique legem nihil aliud quàm Christi mysterium sonare ostẽdat: si ablato cortice medullam rimeris. Quod quidem adeò apertè, ac dilucidè facit adhibita ad res singulas prophetarum, et apostolorũ authoritate, vt ipsum diuino illo spiritu, quo sancti illi afflati fuerunt, feruentem facilè agnoscas. Neque verò temerè omne suum studium ad allegoricum hoc interpre-

terpretandi genus contulisse censendus est: quippe cuius author Christus, eo, veluti ad stabiliendam disciplinam euangelicam necessariò frequenter sit vsus: quodq; ipsum sectati sunt, vniceq; nobis commendarunt Apostoli: nihil aliud clamantes, quàm legem Spiritum esse, idq; exemplis è lege petitis declarantes: cui etiam Terapeutas apostolorum temporibus proximos ab ortu solis ad vesperum vsque vacare solitos Philo Iudæus scribit: cui denique præcipuè incumbendum esse lex ipsa nos figuratè, vt reliqua, monet. Cum enim in Leuitico omnium arborum, quas Israëlitæ plantauerint, præpucia auferri iubet, priusquam ab eorum pomis edant: Cyrillus ipse nihil aliud significari censet, quàm historiæ ruditatem, ac lignosum quid, quod in se habet litera, præcidendum esse: ipsamq; arboris medullam, hoc est, Legis mentem esse adeundam, neque ad literam, tanquam ad saxum, adhærescendum, sed abditiorem quendam eius sensum quærendum esse. Præclarissimum igitur meritò Cyrilli institutum fuisse censendum est: cui hoc vnum propositũ fuit, vt obscuras Mosaicæ legis vmbras ad splendidissimam euangelicæ legis veritatem transferret. Præclarum etiam, ac iure optimo laudandum consilium. D.T. qui hosce libros præ alijs statim in lucẽ edẽdos existimasti: quòd nimirum exploratum haberes, planissimam eos ad vtriusque testamenti cognitionem viam sternere: omnesq; sacræ scripturæ studiosos vberrimum ex ijs fructum relaturos. Hos itaque Cyrilli libros iam tandem à me latinè redditos. D. tuæ in primis dedicandos censui, tum quòd tuis auspicijs, teq; authore, et impulsore hanc prouinciam susceperim, tum quòd tui nominis authoritas optimo illis præsidio aduersus maleuolos, atque obtrectatores sit futura. De me verò hoc polliceri possum, me in ijs vertendis, eam, quæ in interprete requiritur, fidem ac diligentiam adhibuisse: quam quidem ego in Oecolampadio, qui primum de Adoratione in spiritu, et veritate librũ multos ab hinc annos latinè vertit, requirere soleo: qui innumeris in locis (vt facilè constiterit ei, qui versionem illam cum mea contulerit) sentẽtiam Cyrilli miserrimè torquet, mutilat, ac planè peruertit. Quod an exemplaris vitio acciderit, equidem ignoro. Mihi certè multis in locis conflictãdum fuit cum scribarum mendis. Vsus enim sum exemplari vnico, eoq; nonnullis in locis deprauato. Id tamen in hac difficultate curaui, vt ne latum quidem, quod aiunt, culmum ab authoris sententia sciens ac prudens discederem. Qua in re quantopere mihi laborandum fuerit in tanta rerum varietate, obscuritateq;, illi melius iudicabunt, qui aliquando eius rei periculum fecerint. Arduum enim, ad perdifficile est, alienas cogitationes, sensaq; animi præsertim in rebus grauibus, peregrina lingua scripta, peregrina etiam lingua explicare, hoc est, Græca latinè significanter exprimere: neq; facilè quispiam id præstiterit, qui non vtriusque linguæ phrases, atque idiomata vt proprios digitos, atque vngues calluerit: multumq; hac in re studij, et operæ collocarit. Cæterum omnem hunc interpretationis laborem facilem mihi ac iucundũ effecit incredibile tuum de sacris literis benemerendi studium: quod ipsum peracres mihi ad eandem curam stimulos addidit. Animabat etiam me summa tua, quam ex huius authoris lectione capiebas, delectatio: cui omne id tempus, quod tibi ab ecclesiasticis munijs, ac priuatis negotijs est vacuum, soles impendere: cui certè delectationi tuæ adeò sanctæ nihil mihi prius, nihil

iucun-

iucūdius fuit, quàm vt cumulatè satisfactum intelligerem. Superest itaque, vt D. T. cuius authoritate, atque impulsu hos libros ad vmbilicum, quod dicitur, perduxi, benignè eos excipiat: atque aduersus obtrectatores, qui quiduis in calumniam rapiunt, tueatur, ac protegat. Ita enim fiet, vt et authoris dignitas sarta tecta cōseruetur, atq; ego vicissim ad reliqua id genus scripta conuertenda reddar alacrior. Cum enim nequaquàm mihi ipse eam eruditionem arrogem, vt ex meipso aliquid depromere possim, quod ad sacræ scripturæ explicationē pertineat (ad quod vt enitamur Origenes monet, declarans illud: Bibe aquam de fontibus tuis, et de tuis puteis, et sit tibi fons proprius) statui deinceps hanc quantulamcunque Græcæ et Latinæ linguæ cognitionem, quam mihi multo vsu, atque labore comparaui, in transferēdis præstantissimis quibusque veterum theologorum scriptis collocare: et ad tabernaculi structuram, si non aurum, et argentum, certè pilos caprarum, et pelles arietum conferre: quæ tametsi precio illis inferiora essent, æquè tamē erant necessaria, ac perinde Deo grata. Nā licet præcipua quædam sit eorū laus, qui summa ingenij vi, ac Spiritus flagrantia sacras literas illustrarunt, suam tamen etiam, neque vulgarem quidem illam merentur ij, qui illorum monumenta, aut vetustate abolita, ac densissimis tenebris obsita in lucem reuocant: aut alioqui ea peregrina lingua scripta, in eam, quam multi calleant, fideliter transferunt: præsertim cum miserrimis hisce, ac turbulentissimis tēporibus nihil magis curandum sit, quàm vt vetera Orthodoxorum patrum scripta integra habeamus: ijsq; tanquā ad sacram anchoram acquiescamus. Faciam itaque modum huic epistolæ, si hoc vnum à D. T. efflagitauero, vt nullæ apud te rationes, nulla imperitorum hominum consilia tantùm valeant, quæ te à pulcherrimo isto instituto dimouere possint. Perge feliciter, vt cœpisti, rem Theologicam augere, veterum scripta è tenebris eruendo, tuaq; liberalitate, et maximis sumptibus euulgando: quo quidem beneficio tum de authoribus ipsis, tum de tuo seculo, tum denique de omni posteritate optimè mereberis, quæ de tuis laudibus nunquam conticescet. Ita verò tibi persuade, nihil esse isto tuo studio cùm ad pietatem, religionemq; augendam, ac stabiliendam: tum ad nominis tui memoriam, et gloriam propagandam, atque adeò perpetuandam conuenientius. A me verò omnem operā, et diligentiam absque vlla exceptione laboris expecta, ac pro tuo iure exige. Deus Opt. Max. D. T. Christianæ reip. diu seruet incolumem. TOLETI, Anno à nato Christo. M.D.LXX. Cal. Ianuarij.

Tituli librorum. XVII. de Adoratione in Spiritu, et veritate.

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratio ne, et cultu in ſpiritu, et veritate. Et quòd Lex ſit vmbra, ac figura vitæ euangelicæ in Christo.

Ad Palladium per interrogationem, et reſponſionem, Dialogi ſeptemdecim.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

DIALOGVS PRIMVS.

De lapſu hominis in peccatum, deq; eius iugo: atq; vnà de vocatione, et cõuer ſione ad pœnitẽtiam: deq; inſtauratione in melius.

CYRILLVS.

QVo, aut vnde, percõtari ſuperuacaneum Palladi, vt arbitror, fuerit. Dices enim, ſat ſcio, quòd (nulla interpoſita mora) domo, et ad nos. PALLADIVS. Ita eſt. CYR. Quid verò iſtud eſt libri, quòd manibus geſtas? PAL. Liber euãgelicus a Mathęo, et Ioanne conſcriptus. CYR. Putas ne hunc ita temerè huc illuc circũferri debere? Neq; enim commodè foras egreſſus, ſtudio, aut meditationi vacare potes: ſunt verò huiuſmodi labores domi, in ocio, ac quiete ſuauiores. PAL. Rectè ais: cęterum te aditurus prodij: ideoq; ſacrũ hũc librum adfero: quòd cum diu multumq; laborarim, nulla tamen ratione aſſequi potuerim, quid ſignificare voluerit dominus noſter Ieſus Chriſtus apud Matthęum dicẽs. Nolite putare, quoniã veni ſoluere legem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed implere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cęlum, et terra, iota vnum, aut apex vnus non pręteribit a lege donec omnia fiãt.* Apud Ioãnem verò ad mulierem Samaritanam:* Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Ieroſolymis adorabitis patrẽ. Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus: quoniam ſalus ex Iudęis eſt. Sed venit hora, et nunc eſt, quãdo veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu,

Matth. 5

Ioan. 4

et veritate: nam et Pater quęrit tales qui adorent eum. Spiritus est Deus: et adorantes eum, in spiritu, et veritate oportet adorare*. CYR. Quid verò tibi hac in re arduum, quid obscurum, aut intellectu difficile videtur? Dic obsecro. PAL. Discedēdum nobis esse à veterum moribus: et à iustitia, quę est in Lege; cessandum esse, sacer sermo præcipit. Paulus enim ijs, qui post acceptam fidē illi
Galat. 5. adhęrescebant, dicebat. *Euacuati estis à Christo, qui in Lege iustificamini: à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitię expectamus.* Cum verò se anteà pręclarè, magnaq; cum laude vitam suam secundum Legem instituisse nobis ostē
Philip. 3. dat, rursum ait: *Sed quę mihi fuerunt lucra, hęc arbitratus sum propter Christum detrimēta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminētem scientiam domini nostri Iesu Christi: propter quē omnia detrimentum feci, et arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: et inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quę ex Lege est: sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est, iustitiam.* Veterem etiam legem nō omnino defectu, aut querela vacare manifestè confirmabat: ideoq; vtiliter nouam hanc per Christum, hoc est, euangelicam nobis in-
Hebr. 7. ductam. Ita enim ait: *Reprobatio quidem fit pręcedentis mandati propter infirmitatem eius, et inutilitatē: nihil enim ad perfectum adduxit Lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.*
Hebr. 8. Et rursus: *Si enim prius illud culpa vacasset, non vtiq; secundi quęsitus esset locus. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israël, et super domum Iuda testamentum nouum: non secundum testamētum quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum illorū, vt educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorū, et in corde eorum inscribam illas. Ierem. 31.
Egregiè autem nouitatis nomen intelligens, et declarans: dicēdo, inquit, nouā, veterauit priorē. Quod enim antiquatur, et senescit, interitui propinquum est.* Cum itaq; Lex nihil perfecerit, abolitum verò sit vetus mandatum, et introductum secundum, quod nos Deo aggregat, quid nam est, quod saluator inquit: Nō veni soluere legē, sed implere: quodq; nos Deum, ac Patrem in spiritu, et veritate adorare oporteat? Significat enim hoc, vt arbitror, à vita, et cultu secundum Legem absistēdum nobis esse. CYR. In quàm vastum quęstionum pelagus efferris. Quę enim tāta mentis acies esse potest, vt res adeò subtiles inconniuentibus, vt ita dicā, oculis contempletur? Vtq; eorū, quæ olim veteribus per sapientissimum Moysen edicta sunt, nouam scripturam sororem quodammodo, et vicinam esse demonstret: circaq; easdem res versari: quodq; vita in Christo à legali non multum distet, si quę veteribus pręscripta sunt, ad spiritualem contemplationem traducantur? Lex enim figura est, et vmbra pietatis: fœtumq; quodammodo parturiens, ac

latentem

latentem in ſe veritatis pulchritudinem continens. An non ita rem, vt dixi, ſe habere cẽſes? PAL. Omninò. Cœterum quæ nam fuerit horũ declaratio? Aut quo pacto euangelicè viuemus, ſi adhuc a veteri mandato depẽdere quis putet: et quę per Moyſen dicta ſunt, impleri oportere cenſet? CYR. Non eſt vna, ac ſimplex ratio, vt quis imaginari poſsit. Multiformis enim res eſt virtus, viteq; in Chriſto gloria quamplurimis bonis operibus nobis varieganda, exornãdaq; eſt. Idcirco diuinus ille propheta Dauid pſalmo quadrageſimo quarto, eccleſiam virginem caſtam in habitu reginę Chriſto aſsiſtit, aurea va riegataq; ſtola amictam, ita dicens:
Pſal. 44. * Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata, variegata.* Vbi quidẽ per aurum, precium, atq; pręſtantia: per varium verò, virtutis varietas ſignificatur. Ornatiſsima enim ſupramodum eſt eccleſia, decorem habens ſpiritualem, qui nõ carneis oculis cerni poteſt, ſed in mẽte, et corde eum, qui in occulto ſignificatur, Iudęum, quàmplururimis nobis ornamẽtis florentẽ, ſcitè manifeſtat.
Rom. 2. Nam vt. D. Paulus ſcribit: * Nõ enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quę in manifeſto in carne eſt circuncifio: ſed qui in abſcõdito Iudęus eſt, et circuncifio cordis in ſpiritu, non litera: cuius laus, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* PAL. Dic verò mihi. Cũ circuncifio in carne abrogata ſit, et ſacrificia ſecundum legem ſubuerſa, nullumq; ritus illi apud nos locum habeant, an non abſurdum videri poſsit, quod Chriſtus dicat: Nõ veni ſoluere legem, ſed implere? Vel ſi aliter res habet, nihil, vt arbitror, obſtiterit, quominus et nos boum victimis, et incenſis Deum colamus, turtureſq;, ac colũbas ei offeramus: aut ſi quid aliud veteribus iniunctũ fuit, id nos etiã exequi cõtendamus. CYR. Atqui longè à recto aberras amice. Nam ita abolitã eſſe Legẽ cẽſes, vt nihil cõmodi nobis ex ea proueniat: nullumq; planè vſum habeat ad ea, quæ neceſſaria ſunt, oſtendenda: aut quaſi minus accommodata ſit ad veritatis demonſtrationem: cum alioqui Paulus ita dicat: * Legẽ ergo Rom. 3.
deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legẽ ſtatuimus.* Pędagogus enim eſt Lex, optimeq; nos deducit ad myſterium de Chriſto: atq; ea, quæ olim veteribus per Moyſen edita ſunt, cẽſemus eſſe elemẽta principij eloquiorũ Dei. Atq; ſi reiecerimus pędagogum, ſiue magiſtrũ, quis nos ad myſteriũ Chriſti deducet? Et ſi recuſauerimus diſcere elementa exordij eloquiorũ Dei, quo pacto deinceps, aut qua via ad finẽ perueniemus? An nõ enim, iuxta ſcripturas, Chriſtus eſt plenitudo legis, atq; prophetarum? PAL. Etiam. CYR. Ita enim ſcriptũ habetur. Plenitudo autẽ legis, et prophetarum ſit oportet, cum in ipſum omnia legalia, atq; prophetica oracula ſpectẽt, ac vergãt. Etenim Iudęorum incredulitatẽ increpans. ita, inquit: * Nolite putare, quia ego accuſa Ioãn. 6.
turus ſum vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis etiã mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autẽ illius literis non creditis, quo modo verbis meis credetis?* Quocirca cũ ſe veniſſe dicat, nulla quidẽ ratione ad abrogandam Legẽ, quin potius ad eam implẽdam, ne ea, quæ

olim edicta sunt, in vniuersum abolita, subuersaq; esse existima: sed potius cõmutationem quãdam, atq;, vt ita dicã, trãsformationem eorũ, quę in figuris tradita sunt, ad veritatẽ factã fuisse. PAL. Rectè dicis. CYR. Neq, verò alia ratione hoc à Christo fieri par erat. Nam qui in tabulis, ac picturis artis suę periculũ faciunt, nõ statim vt pingere incipiunt, perfectã, omnibusq; numeris absolutã figurã in tabula exprimunt: sed primum rude quoddã simulachrum vmbratili pictura obducunt: et eius, quã in animo habent, obscurã quandam figurã ob oculos ponunt: deinde vmbras, siue lineamẽta decẽtibus, cõgruisq; coloribus illiniẽdo illustrant: et figuras in pulcherrimã formã incõparabiliter ea, quę initio erat, prestantiorem transmutant. An non ita est? PAL. Equidẽ dixerim. CYR. Qui verò artem erariam exercent, si fortè statuã cõficere volunt, primùm ex cera simplicem quandã speciem ducunt: deinde igne colliquantes æs infundunt: eoq; pacto ad debitã formam, et decorẽ opus suũ producunt. Cum autẽ vmbrę varijs colorũ generibus sunt illustratæ, cumq; æs id, quod ex cera est, occultarit, videri quidẽ possit primas illas, quę initio erãt, formas abolitas, et subuersas: re autẽ ipsa ita non est. Nam et faber ærarius, et pictor verè dixerint, se non dissoluisse, siue destruxisse vmbras: neq; tanquã inutiles omnino figuras reiecisse: sed potius absoluisse. Quod enim videre erat tanquã in vmbris, et figuris deformius, et rudius, id melius, pulchriusq; est effectũ. PAL. Rectè dicis. CYR. Et si quis sacram, diuinitusq; inspiratã scripturã diligenter perscrutetur, re ipsa cognoscet, veritati cõsentaneum esse, quod dico. Velamen enim ponebat Moyses super faciẽ suã, eò quòd nõ possent filij Israël intueri in faciẽ ipsius, sicut scriptum est. PAL. Quid verò hoc sibi vult? CYR. Cũ adhuc rudiores, crassioresq; essent Iudęorum mentes: ea, quę externa in Lege videbantur, aliquo modo tolerabilia iudicabãt: hoc est, ea, quę per solã literã dicũtur. Ea verò, quę intus latebant, atq; (vt ita dicamus) ipsa sensuum veritas, intolerabilis, et inaccessa illis erat. Idcirco et diuinus Paulus nobis scribit: * Sed vsq; in hodiernũ diem id ipsum velamen in lectione veteris testamẽti manet non reuelatũ: quoniã in Christo euacuatur. Sed vsq; in hodiernũ diẽ, quum legitur Moyses, vęlamen positũ est super cor eorum. * Sed ita se Iudeorũ res habeãt. * Nos verò omnes, inquit, reuelata facie gloriã dñi speculantes, in eandẽ imaginẽ trasformamur à claritate in claritatẽ, tanquã à Dñi spiritu. Dñs autem spiritus est. Quẽadmodum enim qui in speculo imaginẽ, et figuram veri videt, rem ipsam nõ cernũt: eâdẽ (vt arbitror) ratione qui vitę in Christo pulchritudinẽ videre desiderant, tanquã speculo Lege vsi: optimè, quod cupiunt, consequũtur. Simulachra enim illa rerũ in veritatem, ac res ipsas transformãtes, scient purè quid Deo placitum, acceptumq; sit. PAL. Quid verò in causa fuit, quòd initio veteribus noua, euãgelicaq; Lex data nõ sit, figurę verò potius, atq; vmbræ præscriptæ fuerint? CYR. Exactã huius œconomię rationem, et quo pacto hęc se habeãt, vt verius dicã, piè Deo, cui omnia cognita, explorataq; sũt, relinquamus

2.Cor.3.

Lex euãgelica cur veteribus data nõ fuerit.

mus oportet. Ratiocinationes autẽ, quæ nos bonarum cogitationum expertes eſſe nõ ſinunt, ad mediocrem notitiam deducunt, vt ſaltem diſpenſationis occaſionem mente comprehendere videamur. Dicimus itaq;: Iſraëlitæ ex Ægypto liberati, multa inſtitutione indigebant, alimentoq; quodammodo puerili eos educari oportebat. Cum enim craſsiores adhuc, et ad vitia maximè procliues eſſent, et eorum animis carnis deſideria difficulter elui, et affectus, quibus erant inuoluti, ęgerrimè extirpari poſſent, impoſsibile quodammodo erat, minimeq; prõptum ſtatim ad id, quod valde concinnum eſt, aſpirare: eamq; vitæ rationem pręſtituere, quę adeò ſplẽdida, atq; excellens eſt,
Philip.3. *vt ambulent quidem in terra, cõuerſatio autẽ eorum ſit in cęlis,* vt ſcri-
Hebræ.5 ptum eſt. An nõ enim ſolidus cibus perfectorum eſt, lac verò paruulis cõuenientius?* PAL. Rectè. CYR. Pueris itaq; inſtitutione per figuras opus erat: atq; (vt ita dicam) victu delicatiore, nondum verò ſermone ad perfectionem, conſummationemq; ducente. Tanta enim leuitate, et vecordia laborabant, adeoq; facilè ad quæuis vitia rapiebantur, vt ſi quis eorum mores, actionesq; diligenter exploret, ne vmbra quidẽ, arbitror, dignos fuiſſe iudicet. Quod et Moyſes oſtendit. Iubente enim Deo, conſcendit ipſe in montem ſuſcepturus Legẽ. Ipſi verò in defectionem lapſi ſunt: vitulos enim ſibi fecerunt, miſe-
Exod.32. riq; dicere auſi ſunt: *Hij ſunt Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Quo circa Moyſes tãtam leuitatem indignè ferens, confregit tabulas, in quibus ſcripta erat Lex: nõ iam vmbra, ac figuris, ſed ne vlla quidem doctrina cœleſti eos dignos cenſens, qui in tantam mentis alienationem veniſſent, vt immemores eſſent tantorum miraculorum, quæ diuina potẽtia ſuper ipſos edita erant: quiq; ad vitulorum adorationem, et Ægyptij cultus memoriam redijſſent. Cęterum Lex in tabulis quidẽ lapideis adumbrata veteribus fuit in digito Dei: ſicut ſcriptum eſt. Figurabat autem illa ea, quæ erga nos in Christo fieri credimus. Deſcribit enim quodammodo in nobis Deus voluntatis ſuæ cognitionem, tanquam calamo vtens Filio in ſpiritu. Ita enim ſe ipſe vocauit per Dauidem dicẽs: *Lingua Pſal.44.
tua calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Patris enim calamus, hoc eſt, Filius, ſcripſit in omnium cordibus omnis boni ſcientiam, quaſi quodam digito Dei, nimirum Patris, et ſuo ſpiritu vſus. Digitum enim vocauit ſpiritum Dei alibi dicẽs: *Si autem ego Luc.11.
in ſpiritu Dei eijcio demonia.* Paulus verò nos epiſtolã ſpiritualem appellat, dicens: *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, et legitur ab omnibus hominibus. Manifeſtati quòd epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, et ſcripta, nõ atramẽto, ſed ſpiritu Dei viuẽtis: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* PAL. Figuras, atq; vmbras in Lege eſſe, ipſe etiam, vt ſcis, facilè iudicarim. Age igitur, ſubtilem, accuratamq; contemplationem eorum, quæ per figuras edicta ſunt, aggredientes, veritatis pulchritudinẽ inueſtigemus. Hac enim ratione myſteriorum cultus in ſpiritu nemini deinceps obſcurum erit. CYR. Deterreor, et quidem meritò

Filius Dei, calamus Patris.

Digitus Dei, ſpiritus ſanctus.

2.Cori.5.

Epiſtola ſpiritualis, Chriſtiani a Paulo vocantur.

Palladi,grauatimq; hanc prouinciā suscipio. Egrè enim,arbitror,humanus intellectus ea assequi posſit,quæ adeò arduam,atq; sublimem contēplationem in se habēt. Qui verò harum considerationum profunditatē scrutari velit, meritò dicere poteſt:
Psal.106 *Quis sapiens,et intelliget hæc,et intelligens,et cognoscet hæc?* PAL. Ardua quidem res eſt:attamen*Pe-
Matth.7 tite, inquit Christus, et dabitur vobis. Quęrite,et inuenietis. Pulsate,et aperietur vobis.*CYR. Sūmo itaq; studio ad ea ferri debemus,quæ vtilitatem nobis adferunt. Cęterum præ-
Psal.118. mittamus preces dicentes: *Reuela oculos meos,et intelligam mirabilia de lege tua.* Ante omnia verò , vt videtur,dicendum nobis eſt de lapsu hominis in peccatum : deq; seruitute,et captiuitate sub communi omnium hoste. Deinde,quo pacto hęc à nobis,et in nobis fiant. His adijciemus,qua nam ratione declinandum nobis sit à malo,et excutiendum seruitutis iugum,redeundumq; ad pristinam integritatem , seruante, atq; adiuuante Deo. Hac enim via procedente sermone,succedent etiam,arbitror, reliqua. PAL. Rectè sentis. CYR. Atqui fructum ferre Deo,hostiasq; spirituales adducere,quin etiā fortiter,ac præclare agere,et ad fastigium virtutis contendere,nequaquā conuenit ijs,qui nondum à seruitute, affectuumq; tyrannide sese vindicarunt:sed ijs,quorum mens se colligit aduersus ea,quę perniciem inferunt: quiq; totis viribus diabolicę tyrannidis iugum excutere nituntur. PAL. Assentior. Optimè enim sentis. CYRIL. Porrò dicimus hominē ab initio ita creatum esse,vt mentem peccato,et affectibus superiorem habere:vtq; in quam vellet partem se inclinare posſit. Placuit enim optimo illi totius vniuersi opifici,proprię voluntatis habenas cuiq; permittere: vtq; in id,quod quisq; vellet, spontaneo motu ferretur. Voluntariā enim non tanquā ex necessitate inhærentem virtutem conspici oportet:neq; ita naturæ legibus firmatam,vt excidere non posſit. Hoc enim supremæ omniū substantiæ,excellentiæq; eſt proprium. Atverò poſtquā animal propriæ naturæ rationibus perfectū eſt à creatore Deo,è vestigio similitudine ipsius ditatū eſt. Impressa enim ei eſt diuinæ naturæ imago inspirato Spiritu sancto. Hoc enim eſt spiraculum vitæ:quandoquidem vita secundum naturā Deus eſt. PAL. An spiritus diuinus anima homini eſt factus? CYR. Quo pacto non absurdū vehemēter sit tale quid cogitare? Immutabilis enim esset, atq; eadē semper permansisset anima. Eſt autē mutabilis anima. Mutabilis verò nulla ratione spiritus eſt:aut si mutabilitate laborat,in ipsam diuinam naturā macula transibit:siquidē eſt Dei Patris,et Filij,qui substātialiter ex vtroque,nimirum ex Patre per Filiū procedit,Spiritus. Absurdum igitur fuerit,putare Spiritū conuersum in animam,inq; hominis naturam trāsmigrasse:sed homo formatus ineffabili virtute animatus fuit:statimq; spiritus dono adornatus. Neq; enim aliter licebat nos diuinā imaginem adipisci. PAL. Rectè ais. CYR. Quum itaq; Deus opus suum ita adornasset, vt in paradiso degeret,cōcesſit. Cum verò conueniret,hunc ita ornatū, et cœleſtium bonorum affluentia locu-

Liberū arbitriū homini datum a Deo.

Spiraculum vitæ quid sit.

Cur abstinentiæ lex homini in paradiso posita fuerit.

pleta-

pletatum, non facilè in arrogantiam extolli ſinere, ſeruitutẽ, et ſeruorum conditionẽ ignorantem (nimia enim affluẽtia, atq; immodica libertas ad deteſtandũ ſuperbiæ vitium deducere ſolet) occaſionẽ agnoſcendi dominum, abſtinentiç legẽ ei proponit: vt per eam ſemper vocaretur ad memoriam eius, qui cũ tanta poteſtate authoritateq; imperarat: certoq; ſciret, ſe potẽtis domini legibus eſſe ſubiectũ. At nõ quieſcebat interim execrabilis illa, Deoq; exoſa beſtia. PAL. Satanã, vt arbitror, dicis: qui è cœli faſtigio fulminis inſtar deturbatus eſt, quòd iuuenili arrogãtia Deus eſſe vellet, quæ ſuper naturã ſunt ſibi adſcribens. CYR. Rectè colligis. Cum enim inuidiæ, et peccati inuẽtor, authorq; eſſet, circa terrenum animal, hoc eſt, hominẽ ocioſus eſſe noluit. Dolo enim, et mẽdacijs aggreſſus ad inobedientiã traxit, muliere ad fallẽdum inſtrumẽto vſus. Semper enim voluptates, quæ nobiſcum, et in nobis verſantur, ad turpitudinẽ, hoc eſt ad peccatum propellunt. Voluptatis autẽ figura eſt mulier. Voluptatũ verò illecebris mẽs ſæpenumero ad id, quod nõ vult, prçceps rapitur. Quod igitur craſſè, ac ſenſibiliter in Adamo vſu veniſſe videtur, hoc in vnoquoq; noſtrũ ſpiritualiter, ac latẽter accidere quis deprehendat. Voluptas enim affulgens prçſtigijs ſuis mentẽ faſcinat: eoq; impellit, vt diuinç legis trãſgreſsionẽ nihili planè faciamus. Cuius rei Chriſti Apoſtolus fidem facit, dicẽs: *Nemo, quum tentatur, dicat, quòd à Domino tentatur. Deus enim nõ eſt tentator malorũ, ipſe autem neminẽ tentat. Vnuſquiſq; verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, et illectus. Deinde concupiſcentia, quum conceperit, parit peccatũ: peccatum verò, quum conſummatũ fuerit, generat mortem.* PAL. Ita eſt. CYR. Cum itaq; gratiam diuinã diſsipaſſet, exutusq; eſſet bonis, quibus initio affluebat, paradiſi delitijs eiectus eſt: ſtatimq; humana natura ad deformitatem traducta, mortiq; deinceps obnoxia eſt declarata. PAL. Neceſſariò. Inopia enim beneficiorum Dei nihil aliud eſt, quàm omnibus bonis excidere. Infirma vtiq; erit humana natura: ac facillimè in abſurda quæq; prolabetur, niſi ipſa ſeruatoris gratia ad virtutem ſuſtentetur, qui eam ſuis ſupernis donis locupletet. CYR. Rectè dicis. Atq; ego equidẽ meritò aſſenſerim. Nutrit enim in robur ſpirituale panis viuẽs, hoc eſt, Dei ſermo. Scriptũ eſt enim: *quòd panis confirmat cor hominis, atq; ſeruitute, et affectibus liberat, atq; libertatis gloria locupletat.* Contrahente verò quodãmodo Deo manum ſuã, neq; gratiã ſuppeditãte, neceſſe omnino eſt quodãmodo, vt in mala etiã quç nolumus prouoluamur: et ab omni virtute excidamus: alteriusq; iugũ ſubeamus: vtq; in tantũ malorũ pueniamus, vt etiã intellectũ, ac prudẽtiam nobis familiarẽ, queq; ad omnia bona nobis ſubſeruit tantũ nõ amittamus: vtq; eius, qui ita affectus eſt, cor diuina ſapiẽtia planè vacuũ cernatur: quippe qui paſſus ſit illud proſtitui Satanæ, facileq; eius libidini, atq; cõtumelijs ſubijci. PAL. Demõſtrabis ne quo pacto: aut rem nudis rationibus innatare ſines? CYR. Minimè. Oſtẽdam enim, quã fieri poterit pulcherrimè, quç veteribus acciderũt, artificioſè ad figurã

Mulier figura voluptatis.

Iacob. 1.

Pſal. 103.

spiritualem ea transferens. Nam quę sensu, et visu corporali percipimus, euidentissimę, manifestissimęq; imagines nobis sunt ad subtilem contemplationem. Scriptum est enim de patriarcha Abraham: *Et facta est fames super terram, et descendit Abraham in Ægyptum, vt peregrinus ageret illic, quoniam inualuerat fames super terrã.* Relicto enim dulci, et natali solo ad aliam, quam dominus ei ostendit, profectus erat. *Egredere enim, inquit, de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstrauero tibi.* Grassante autem fame, et ineuitabile damnum inferente, etiam inuitus cogebatur visere: neq; incolam, sed aduenam, ac peregrinũ in ea egit. PAL. Quid ergò hoc sibi vult? CYR. Pulcherrimã obscuriorum contemplationẽ figurat. PAL. Quo pacto? CYR. Deus Iudęorum incredulitatem increpãs alibi inquit: *Ecce emittam famẽ in terram, nõ famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum domini: Et commouebũtur ab oriente vsque ad occidentem quærẽtes verbum domini, et nõ inueniẽt.* Atqui amice, qui huiusmodi fame oppressi sunt, et auxilio sustentantę ad virtutem sunt destituti, alimentisq; cœlestibus, ac supernis carent, an non omnino quodãmodo necesse est peregrinari, exulemq; quodammodo mentem ijs fieri ad deteriora deinceps transcurrentem, et tanquam è proprio solo, nimirum ex bona circa virtutem habitudine expulsam, ad alium habitum, voluntatemq; descendere: non quidem iam amplius Deo, sed potius diabolicis sceptris subiectã? Pater enim, arbitror, et princeps peccati primus illud in mundum inuexit: cuius imaginem, et figuram rectè quis statuat Pharaonem Aegyptiorum principẽ: apud quos densæ erant ad errandum tenebræ, mores verò nequitiæ expertes omnino nulli. PAL. Quid verò? Hoc afflixit beatum Abrahã, quòd venisset in terram Aegyptiorum? CYR. Quamplurimum. Ferè enim summum malorum omnium perpessus est: quod facilè intelligas, dicente sacra scriptura: *Factũ est autem, cũ ingressus esset Abraham Aegyptũ, viderunt Aegyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis: et viderunt eam principes Pharaonis, adduxeruntq; eam in domum Pharaonis.* Vides itaq; quo pacto ferè illi vxor perijsset. PAL. Acerba certè res, et luctu digna. CYR. Atqui hoc ipsum nobis spiritualiter vsu venit. Quibus enim cõtingit ab honestate, atq; virtute, quã sibi amicã, familiarẽq; fecerãt, tãquã è propria patria eijci, et ad deteriora venire, diaboliq; sceptra subire, ijs vndique, omnibusq; modis imminent: grauesq; insidias struunt malæ, aduersariæq; potestates. Et si quem viderint eorũ, qui eis subsunt, qui pulchro, prestãtiq; intellectu prędĭtus esse possit, eum suo duci asserere contendunt: ipsiusq; seminationi, siue congressui subijciunt, vt iam nõ amplius Deo, sed Satanæ fructum ferat. *Cibi enim eius electi, *sicut scriptum est. Irretitam verò hoc pacto, et captiuam mentem, ne ad libertatem respiciens ab ipsorum seruitute resiliat, terrenis interdum voluptatibus demulcent, ac fouent: et inutilibus delectationibus quodãmodo locupletant, vt ab Aegypti principibus factitatum videmus, qui Abrahę vxorem

Marginalia: Gen. 12. Abrahæ peregrinatio spiritualiter declarata. — Gen. 12. — Amos. 8. — Pharao diaboli typus. — Gen. 12. — Abac. 1.

rem ſuam dimittenti honorum delatione, munerumq; largitionibus blandientes, à mœrore eum abducere conabantur. Scriptum eſt enim, quòd Abraham bene vſi ſunt propter illã, Saram nimirum. Et fuerunt ei oues, et boues, et aſini, et ſerui, et famulæ, et muli, et cameli. Fraude enim ſua nos ad temporalia pelliciens, et quodãmodo ſemine, ac fructu libero priuans, ſuæq; libidini mentem generoſam ſubijciens ex cupiditate terrenarũ rerum delectationi alligat. Quin etiam olim in tantam inſaniam prorupit, vt et Chriſtum ipſum tentare

Matth. 4 auſus fuerit: *Surſum enim, inquit, ducens eum, oſtendit ei omnia regna mundi in momento temporis, et dixit ei diabolus: Tibi dabo poteſtatem hanc omnem, et gloriam eorum. Tu ergo ſi procideris ante me, erunt tibi omnia: mihi enim tradita ſunt, et cui voluero, do ea.* PAL. Bene habet. Cęterum dic roganti, quod nam fuerit afflictis iuuamen, ſiue auxilium? CYR. Deus: quæq; ab eo proficiſcitur gratia, non permittẽs vſq; ad extremũ mentem ægram diaboli pedibus ſubiacere: ſed propugnat, et ſubleuat eum, qui ſibi ipſi adiumẽto eſſe nequit. Quod in Patriarcha Abraham etiã accidiſſe videas. Cum enim iam ſpes omnis iuſto adempta eſſet, Deus medium ſe interpoſuit: eiuſq; vxorẽ ab Aegyptiorũ libidine

Deus afflictis auxiliatur.

Gen. 12. vindicauit. * Flagellauit enim dñs Pharaonẽ plagis magnis, et terribilibus, et domũ eius propter Sarã vxorẽ Abrahã: atq; ita vix dimiſit eam, ab iniuria, et contumelia liberam.* Deus itaq;, et quidem ſolus, facilè captiuã mẽtem aſſeruerit, priſtinoq; decori reſtituerit. PAL. Inopia igitur cœleſtiũ bonorũ impulſi, ad res turpes, et execrandas nonnunquam deſcendimus. CYR. Ita ſentio. PAL. Cęterum hoc Dei benignitatem maximè decet, vt in nihil huiuſmodi nos pręcipites ferri ſinat. CYR. Decet quidem maximè Deum, ipſeq; id maximè cupit. Alioquin minimè bonus eſſet. Neq; magnopere amaret virtute prçditos, niſi talem circa nos haberet ſcopum. At nos ipſi nobis ſumus autores mali, dominum totius vniuerſi ad iram incitantes. Dimittit enim hoc pacto in infirmã, et effœminatam mentem. An non per vocem cuiuſdam ſanctorum prophetarum clamantem audis? *Ecce ego do ſuper populum iſtum infirmitatem: et infirmi erũt in ea patres, et filij ſimul: vicinus, et proximus eius peribunt.* Et Paulus de quibuſdã ita

Deus quo pacto immittat in mentẽ reprobam.

Rom. 1. ſcribit: *Et ſicut non probauerunt Deũ habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciãt ea, quę non cõueniunt.* Magis autẽ perſpicuũ id facit Eſaias dicẽs quaſi ex perſona filiorũ Iſraël, ſiue eorum

Eſai. 64. qui in peccata inciderãt: *Ecce tu iratus es, et nos peccauimus.* PAL. Cęterũ dic obſecro: Si nos ab honeſtate deflectimus, et peccatis inuoluimur, reijciemus ne cauſam in Deũ, eiuſq; irã incuſabimus, q̃ſi propter eã peccauerimus? CYR. Minimè gentiũ. Inſania enim ea eſſet. Cũ verò dicimus: Tu iratus es, et nos peccauimus, huiuſmodi quid intelligimus: Niſi tua benignitate iuuaremur, ô dñe, nihil obſtaret, quominus à peccatis vinceremur ꝑpter naturę noſtrę imbecillitatẽ, et ad quoduis malũ deinceps ferremur. PAL. Intelligo quid velis. CY. Diuina itaq; cura, miſericordiaq; deſtituti,

destituti, nimiæ vecordiæ, nimiæq; in vitia procliuitatis pœnas luentes, infirmi, facilesq; captu sumus. Quid enim non horum commisisse declaremur? Quod tibi Ieremiæ eloquia legēti clare ob oculos ponitur. Nam effera Iudæorum turba, cum larga Dei beneficētia summis bonis afflue ret, ac distenderetur, omniumq; inimicorum suorum victrix, et domina effecta, ad summum humanæ gloriæ fastigium euecta esset, grauissimam, peruicacissimamq; inobedien tiam est molita. Præceptis enim Moysi tantum non valedicētes, et propemodum nullo in pretio diuina oracula habentes effreni impetu in mortem, perniciemq; sese præcipitarunt. *Sub quercu enim, et populo, et arbore vmbrosa, iuxta vocem prophetæ, aras erexerunt:* et in lucis nemorosis fana dæmonibus extruētes, boum sacrificijs, et thurificationibus, alijsq; omnibus, Deos ac saluatores venerandos censuerunt. Qua enim nō id genus appellatione opera manuum suarum insignire nō erubuerunt? Quin etiam in tantum dementiæ venerunt, vt execrandis filiorum suorum mactationibus gloriarentur: pinguissimum hoc pacto sacrificium se ijs exhibere credentes. Neq; verò his finibus Israëlitarum impietas circumscripta fuit: sed flagitia flagitijs accumulantes, et in absurdissima quæq; præcipites lati, legislatoris quantumuis benigni grauissimam sibi iram prouocarunt. Cum enim seruitutem sub ipso temerariè reiecissent, inimicorum tyrannidi eos permisit, inq; necessariā quodammodo seruitutem agi, sub Chaldæis nimirum, et Babylonijs.

Ierem. 6

Hi enim venerunt, et mancipia factos transmigrare fecerunt, vrbemq; sanctam, ac celeberrimam incendio vastarunt: adeò vt Ieremias vix obsessis dicere valeret, quæ, quantaq; mala ipsis imminerent. *Et loquutus est, inquit, Ieremias. Sic dicetis Sedeciæ: Hæc dicit dominus: Ecce ego conuertam arma bellica, in quibus vos pugnatis aduersus Chaldæos, qui obsident vos extra murum, in mediū muri ciuitatis huius. Et debellabo ego vos in manu extēta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grādi. Et percutiā habitatores ciuitatis huius: homines, et bestiæ pestilētia magna morientur.* Et paulo post: *Et ad populum hūc dices: Hæc dicit dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et mortis. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, et peste. Qui autē egressus fuerit ad Chaldæos, qui obsident vos, viuet: et erit ei anima sua quasi spolium: et viuet. Posui enim faciem meam super hanc in malum, et non in bonum. In manu regis Babyloniorum dabitur: et exuret eam igne.* Vides quo pacto si grauibus delictis Deum offenderimus, inimicorum potentiæ neutiquam resistere poterimus. Incumbente verò, atq; vrgente diuina ira, libertatem cum seruitute sumus commutaturi: ingloriamq;, et miserabilem vitam ducturi. PAL. Rectè dicis. CYRIL. Lex enim Dei teneros, atq; obedientes ad inculpatam vitā ducit: ac tanquā lucerna quædam cuiq; prælucet ad eius, quod vtile, ac necessariū est, cognitionem. Qui autem illam reuerenter obseruet, is præclarā vitā agat: et tāquam sanctā ciuitatē inhabitet;

Ierem. 21

nimirum

nimirum id, quod ad virtutem cõfirmet, et ad pietatẽ promoueat colens. Qui verò veluti ad densam syluã, floridumq; nemus, ad mundanas voluptates, vitæq; huius oblectamenta animum adiecerit, et quasi idolorum examen mente, ac corde susceperit multimodam voluptatem, et dæmonibus propensi animi fructus consecrare voluerit, is certè, et quidẽ meritò, diuina gratia, misericordiaq; excidet: ac tanquã parata quędam prędа hostibus exponetur: expulsusq; ab ea, qua initio prçditus erat, honestate, tãquam è sancta ciuitate, ad imperantium arbitrium, veluti ad violentum iugum deinceps ibit: longeq; à Deo remotus erit, secundum dispositionis rationem transmigrationem in Babylonem sustinens, hoc est, vltra terminos terrę sanctę, * in qua Deus notus, et magnũ nomen eius.* Etenim qui adeò graues labores sustinent, inq; hostium manus inciderunt, vitamq; apud illos vt seruilem nõ ferebant, ita exclamauere: * Super flumina Babylonis illic sedimus, et fleuimus, dum recordaremur Sion.* Tali enim fermè modo afficitur mẽs humana. PAL. Quid ais? CYR. Fit enim ferè, vt in bonorum, quę ad manum sunt, cupiditate, remissior mẽs sit: neq; ea, quę in potestate sua sunt, vehementer appetat. At verò si ad alia inclinari contingat, et præclaris bonis, quę possidebat, priuari; tunc tandem passa sentit, omnibus viribus resistendum: neq; vsq; ad extremum insultui locum dandum fuisse. PAL. Rectè. CYR. Necessariũ itaq; est, et summæ sapientiæ, vtilitatiq; coniunctum, præcauere noxia, et inopinatę seruitutis accessum propulsare: acriterq; prçuertere ea, quę si experienda nobis sint, omnibus malis inuoluant. PAL. Ita habet. CYR. Si verò iam ex diuina ira necessariò nobis seruitutis iugũ imponatur, adeò vt etiam in reprobam mentem nos venire oporteat, reluctari quidẽ minimè facilè fuerit. Dixerim verò cõducibile fore, vel hoc saltem memoria tantùm recolere, ex quibus, in quæ deflexerimus: vecordiamq; nostram acerbè deflere: quodq; diuino auxilio simus destituti. * Tristitia enim secundum Deum pœnitẽtiam ad salutem non pœnitendam operatur.* Cum verò diuina ira nobis non impendet, liberumq; nobis est velle, ac facere, quod visum fuerit, cumq; inclinationem, siue motũ in vtramuis partem, ad bonum, inquam, aut ad malum liberum adhuc, et quod minimè cogi potest, possidemus, strenuè vitanda est procliuitas ad malum: reijciendæq; voluptates ab hostibus oblatæ, ne in potestatem aduersariorũ veniamus: qui huic seculo imperare dicuntur: tametsi aliqua prosperitatis accessio fiat: eius, inquam, quam mundus admiratur: quæ semper turpem, et infaustum exitum sortitur. PALA. Quanam ratione? CYRIL. Consulamus veterum exempla. PALA. Placet. CYRIL. Fame olim vniuersam propemodum terram vastante, visum est filijs Iacob in Aegyptum proficisci. Adolescentes autem erant numero decem. Peregrinationis verò labor erat, emere alimenta: nihilq; aliud erat. Cum autẽ eò peruenissent, agnitiq; essent vt fratres ab eo, qui tũc tẽporis frumẽta distribuebat, et Aegyptiorũ princeps erat Ioseph,

Marginal notes: Psal. 75. (beside "tra terminos terrę sanctę"); Psal. 136. (beside "nõ ferebant, ita exclamauere"); 2. Cor. 7 Cõtritionis fructus. (beside "Tristitia enim secundum Deum"); Prosperitati humanæ diffidendum est. (beside "qua prosperitatis accessio")

seph, Pharaoq; id resciuisset, dixit ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens: *Hoc facite: Implete saccos vestros, et abite in terram Chanaam, acceptoq; patre vestro, et supellectile vestra venite ad me, et dabo vobis omnia bona Aegypti: et comedetis medullam terrę. Tu autem præcipe ipsis, vt tollāt plaustra de terra Aegypti ad subuectionē paruulorum suorum, et coiugum. Et tolletis patrem vestrum, citò venite: et ne parcatis oculis supellectilibus vestris, quia omnes opes Aegypti vestræ erunt.* Itaq; Aegyptiorum dux quietem, et delitiarum affluentiam illis promisit: et currus insuper exhibuit: hoc pacto eos, vt arbitror, demulcens, quibus descendere graue erat. At illi descenderunt cum tota domo, tēporalium eduliorum fruitionem, terrę, regionisq; à Deo datæ, nescio quo pacto, præferentes. Atqui multo satius, consultiusq; erat in illa agere: tametsi nōnihil laboris in ea subeundum erat. Cum verò in Aegyptum venissent, sperabant fortasse se euasuros deinceps labores, quos domi pertulerant: præsentiumq; voluptatum sensus eis dulcis erat. Procedēte verò tempore, gens illa nobilitatem, libertatemq; à parētibus acceptam, cum turpi seruitute commutauit. Quocirca prosperitas mundana, quā nobis lapsus in vitia conciliat, respuēda meritò est: si modò eam, quæ par est, libertatis rationem habere voluerimus. Execrabilis enim, odiosaq; res est, seruilis actio, et cogitatio. PAL. Rectè ais. CYR. Cur verò nō etiam hoc adijciemus, quod nō mediocriter, vt ego quidem arbitror, eorum, quę modò à nobis dicta sunt, intelligentiam promouebit? PAL. Quidnam dicis? CYR. Rhapsaces Babylonius Assyriorum dux innumeram olim militum multitudinem aduexerat, expugnaturus, aut potius, nullo ferè negotio ab imis fundamentis euersurus sanctam ciuitatem. Admouit autem machinam suam nō insitatam ipsi, sed familiarem valde, blasphemiam cōtra Deum. Cumq; multa impiè blaterasset, alloquutus est ad extremum habitatores ciuitatis sanctę, dicēs. *Hæc dicit Rex Assyriorum: Si vultis benedici, egredimini ad me: et comedet vnusquisq; de vinea sua, et de ficu sua, et bibetis aquam de cisternis vestris, donec veniam, et transferam vos in terram, quę similis est terrę vestrę, frumēti, et vini, et panis, et vinearum.* Vide quo pacto etiam iste promittat sub vite et ficu, delitias ac voluptates. Adijcit autem, quòd et bibetis aquā de cisternis vestris. PAL. Quid verò hæc sibi volunt, si ad spiritualem cōtemplationem traducantur? CYR. Duobus, vt arbitror, modis improbitatis vis in nobis perficitur: aut externis voluptatibus, aut insitis nobis, atq; internis: quiq; eò adducti sunt, vt in vtroq; genere delitientur, ad peccata procliues in absurda quęuis facilè ruant. Cuius rei fidem Saluatoris nostri discipulus nobis facit, dicens: *Omnia, quę in mundo, concupiscētia carnis, et cōcupiscētia oculorū, et fastus vitę.* Innata enim, alteq; in nobis radices egit, ac manet carnis cōcupiscentia. Legem autem ipsam peccati, diuinus nobis Paulus vocat, inhabitātem in membris carnis. Delectationes verò, et externæ, aduentitiæq; voluptates sunt, quæ per

Locus Geneseos cap. 45. spiritualiter declaratus.

4. Reg. 18.

Locus 4 Regum. 18. spiritualiter declaratus.

Voluptates internæ, et externæ.

1. Ioā. 2.

Totus hic locus ab Oecolāpadio insigniter deprauatus est.

Rom. 7.

per oculos concipiuntur. Admiramur enim diuitias per oculos, et veſtitus ſplendorem, aliaq; id genus, quibus nonnulli addicti ſunt: quorumq; ſuauiſsimus eſt vſus, oculorũ ſenſu approbamus. Vitis itaq;, et ficus externorum, atq; aduentitiarum delectationum, ac delitiarum figura eſt: et humanas res, temporarias, fluxibiles, ſubitoq; marceſcentes ſignificat. Præterea dulce cum eo, quod tenebras offundere ſolet, coniunctũ. Delectationes enim mundanæ omnes dulci quidem initio fruitione oblectant: at poſtea grauiter fruentem obſcurant, atq; inebriant. Innatarum verò affectionum, quæq; nobis inhærent, typus eſt ciſterna. Neque enim hæ externæ nobis adueniunt, vt illæ: ſed in nobis, tanquam fonte ex carne ipſa ſcaturiunt. Horum itaque omnium tam inſitorum, quàm aduentitiorum liberam nobis poſſeſsionem, et amplum quodammodo vſum fore, aduerſariæ poteſtates promittunt: ſi veluti ſanctam, et inconcuſſam ciuitatem relinquentes, continentiam nimirum, ad Regem Babylonis, qui typus eſt Satanæ, nos contulerimus. Cœterum Rhapſaces ijs, qui ad Babylonios defeciſſent, voluptatem delectationemq; ſtatim ſe daturum promittit. At illi, et quidem prudenter, non auſcultarunt. Qui enim mundana eligit, eum in ſeruitutem quam nolunt incurrere, et mancipijs annumerari oportet. PAL. Verè ita ſe habet. Cœterum hoc dictum velim, quo pacto ab his ſolui, liberariq; poſſumus? CYRIL. Quæ nam alia ratio ſolutionis eſſe poſſit, quàm vt diuerſo modo à priore, ac veteri affecti ſimus? Cum enim propriæ voluntatis motu ad turpiter viuendum lati ſumus, et inculpatæ vitæ honeſtate reiecta, ad viles, ſeruileſq; cogitationes prolapſi, terrena tantùm animo verſantes, carniſq; voluptatibus toto pectore affixi; ſic nos Deus tandem in mentem reprobam cadere permittit. PAL. Recurrendum itaq; nobis neceſſariò ad virtutem eſt. CYR. Promptiſsimo animo: mundanam vitam non amplius deſiderantes, iuxta illud præclare à Paulo dictum: *Mortui enim eſtis, et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Quin potius, vt cœleſtibus adſcribamur, et tanquam in patriam ac ciuitatem cœleſtem recipiamur, ardentiſsimè ſitire debemus ad Deum clamantes: *Remitte mihi, quoniam aduena ego ſum in terra, et peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Qui enim ambulat in terra, præclaram autem conuerſationem habet in cœlis, verè aduena, et peregrinus ex ipſis operibus apparebit. Vide et Saluatoris noſtri diſcipulus nos eximiè gloriari iubet, alicubi, dicens: *Fratres, obſecro vos tanquam aduenas, et peregrinos, vt abſtineatis à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.* PAL. An ſufficiet ad conſummationem virtutis ita affectos eſſe, vt à carnalibus deſiderijs abſiſtamus? CYRIL. Si nobis hæc manifeſtè accidant ex alia moderatione, nimirum ſpirituali. Scriptum eſt enim: *Latum mandatum tuum nimis.* An non enim duplex in nobis eſt coinquinatio? ſpiritus, et corporis? Conſentaneum

Vitis, et ficus externarũ voluptatũ typus

Ciſterna typus voluptatũ internarum.

Rex Babylonis typus eſt Satanæ.

Coloſſ. 3

Pſal. 38.

1. Pet. 2.

Pſal. 118.

Coinquinatio duplex, animæ, et corporis

itaq; rationi est: vt ijs, quæ polluere nos consuerunt, purgantia æqualibus viribus prædita opponamus. PAL. Rectè ais. CYRIL. Quemadmodum igitur duplex est labes, animæ (scilicet) et corporis: ita etiam meritò purificatio spiritualis, et corporalis est adhibenda. Cœterum quòd peregrinationem censere vitam in hoc mundo Deo gratum sit, facilè quis ita affectus, et non absq; fructu viderit, si figuram huius rei Abraham sibi ob oculos ponat, cui dictum est à Deo: *Egredere de terra tua, et ex cognatione tua, et ex domo patris tui, et veni in terram quam monstrauero tibi: et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuũ, et eris benedictus: et benedicam benedicentes te: et maledicentes te maledicam: et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Vides quo pacto non de terra, ac domo sua tantùm, sed ex cognatione, et de domo patris sui abscedere iussit, et venire in terram, quam ipse, qui vocabat, ei monstrauerat? PAL. At quid nam hoc est? CYR. Quo pacto non manifestum sit, quòd vocante Deo, vt ipsum spiritualiter sequamur, cumq; eos, quos honore dignari vult, à mundana vita, hoc est, ab ea, quæ voluptatibus, carnisq; desiderijs affixa est, abscedere iubet, absurdum fore, si quis credat quidquam hac re melius, præstantiusq; excogitari posse? Præ hac enim patriam, et genus, ac domum paternam, terrenarumq; rerum possessionem nihili faciamus. Ad similem enim fortitudinem Saluator ipse nos inuitat, dicens: *Qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus. Et qui amat filiũ, aut filiam supra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suã, et sequitur me, non est me dignus.* Adijcit verò: *Et omnis, qui reliquit fratres, et sorores, aut patrem, aut matrem, vel vxorem, vel filios, vel agros, vel domum propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* An non summæ fortitudinis in Christo intellectæ opus esse censes huiusmodi animi præstantiam, quæ omnia hæc nihili ducat, Christum verò sequi maximi faciat? PAL. Omninò. Vnde optima spe, et felicitate, quæ est in Christo, exciderunt, qui vocati quidem ad nuptias, aduentum suum excusarunt: hic quidem vxorem se duxisse dicens, neque posse venire: alter agrum emisse, quippe qui res temporarias diuinæ vocationi præferebant. CYRIL. Euge ô Palladi. Exhilaras enim nos, veritati consentanea dicens: quiq; ex errore resiliens, ad intelligendum sermonis finem alacriter procedas. Animaduerte itaque quo pacto eos, qui integrè, totisq; viribus Deum sequuntur, et ea, quæ carnis sunt, mundanasq; voluptates spei in Deũ posponunt, cœlesti benedictione largiter sint fruituri. Quid enim dixit Abrahæ? Et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et his annexa. Vides, quantis spiritualibus donis eum cumularit? Iam verò quo pacto à natali solo decedat Abrahã, operæpretium erit videre. *Accepit enim, inquit, Saram vxorem suam, et Loth filium fratris sui, et omnem substantiam eorum, quæcunq; possidebant, et omnem ani-

Purificatio duplex.

Vitã mũdanã peregrinationẽ existimare, Deo in primis gratũ est

Gen. 12.

Matth. 10.

Matth. 22.

Abrahæ peregrinatio spiritualiter explicata

Gen. 12.

animam, quam possederunt in Charan: et exiuit, vt iret in terram Chanaan: et pertransiuit Abraham terram in longitudine eius vsq; ad locũ Sichem ad quercum excelsam.* Egrediebatur quidem è Charan, nihil sibi in ea relinquens, sed cum vniuerso genere, totaq; familia summa alacritate contendit in terram Chanaan, quam monstrauerat ei Deus. Deinde transiit terram in longitudine eius, et in terram venit excelsam. Qui enim diuina oracula rectè sequi instituit, summaq; cura se diuinæ vocationi accommodat, totus in vniuersum à vita voluptaria decedat oportet: et quasi cum tota familia, nulla mentis suæ portiuncula in eo, quo antea erat, statu relicta. Ita enim rectè discedit: et in terrã, à qua vocatus est à Deo, transit: vt, quemadmodum

Ephes.3. Paulus scribit, *possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum mysterij Christi.* Tunc enim pulchrè ad terram excelsam conscendet, hoc est, ad habitum virtutũ sublimem: nihilq; in se, quod ad desideria carnis vergat, continentem. Eum verò, qui iam huc peruenerit, quæ bona maneant, ex sacris literis cognoscere

Genes.11 poterimus: *Apparuit enim, inquit, Dominus Abrahæ, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Et ædificauit Abraham illic altare Domino, qui ipsi apparuerat.* Cum enim adhuc libenter in patria terra moraretur, neq; adhuc ad sanctam terram transmigraret, oraculo tantùm monitus est, ipsi è patria in aliam regionem absque vlla tergiuersatione commigrandũ esse. Postquam verò cum vniuersa familia, et supellectili venit in regionem Chanaan, et in sanctam terram conscendit, diuinæ visionis gratia illi donata est: eiusq; spes firma promissione corroborata, et erigendæ aræ facultas data. Eâdem planè ratione nobis accidit. Quandiu enim mundo, eiusq; execrandis voluptatibus adhæremus, nullis à Deo beneficijs afficimur. Cum verò vocati sumus, et diuinis præceptis optemperamus, et tanquam in excelsam terram, ad cuiusuis boni desiderium alacri animo contendimus, immittit nobis Deus gloriæ suæ cognitionem, et pacis confirmationẽ pollicetur: adeoq; validam in nobis mentem operatur, vt iam quodammodo possimus spirituales hostias adferre, fieriq; Deo Patri bonus Christi odor, vt scriptum 2.Cor.2. est: atq; exhibere ei corpora nostra sacrificium viuum, beneplacitũ Deo, rationalem, et in spiritu cultum acceptũ coram Deo. Admittit enim libẽter spiritualis cultus modos: remq; hanc spirituale censet sacrificium. PAL. Cum itaq; à vitijs digredimur, ad bonum contendere oportet: diuinamq; vocationem libenter admittere: ijsq; in primis acquiescere, quæ lex commẽdat, quæq; Deo præcipuè probantur. At si retrorsum ire nos, inq; pristina vitia relabi contigerit, pœna nequaquam vacabimus. CYR. Omninò amice. Periculosissimum enim est in eum morbum recidere velle, quem quis euaserit: vt ijs, qui semel à vita mũdana per virtutẽ Dei erepti sunt, vehementer noxium est respicere tãtùm in eam: veterũq; vitiorum meminisse, amore eorum

mente concepto. Ideoq; diuinus ille Psalmista orabat dicẽs: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Vanitas enim re vera est, vitæ huius occupatio, et inanis rerum temporariarum oblectatio. Quòd autem ab his auelli, et discedere oporteat eum, qui rectà ad virtutem contendere velit, et quodãmodo in cogitatione adhuc cum voluptate inhærentem contemplationem eradicare, facilè quis hinc intelligat. PAL. Vnde obsecro? CYRIL. Sodomitæ grauissimo voluptatum naturæ repugnantium œstro cõcitati, et congressus legem, quam natura ad liberorum procreationem definierat, turpiter violantes, masculorũ amoribus exagitati; nihilq; quod ad flagitiorum enormitatem desideraretur, prætermittẽtes, creatorem, quantumuis benignum ad iram prouocarunt, et quodammodo ad supplicium de ipsis sumendum compulerunt. Cum verò iam tempus supplicij immineret, absumpta quodãmodo diuina super eos longanimitate, contulerunt se in Sodomam vltionis diuinæ ministri. *Venerunt autem duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram, et dixit: Obsecro domini mei, declinate in domum serui vestri, et diuertite, et lauate pedes vestros, et mane surgẽtes proficiscemini in viam vestrã. Qui dixerunt: Minimè: sed in platea manebimus. Et compullit illos, vt diuerterent ad eum: ingressisq; domũ illius fecit cõuiuium, et coxit azyma, et comederunt, priusquam irent cubitum.* Loth siquidem, vt ex sanguine Abrahæ existens, et in virtutis legibus enutritus, pietatisq; in Deum vehementer studiosus, habitabat Sodomis: eratq; apud illos extraneus, atq; hospes genere pariter, et moribus. *Quæ enim communio est luci ad tenebras? Aut quæ portio fideli cũ infideli?* sicut scriptum est. Porrò fortiter eius regionis mala superabat: et hospitalitatis legem summopere colens, ad ciuitatis portas sedens, obuios, siue ingressuros humaniter, atq; amicè excipiebat, rem eam Deo acceptam esse cognoscens. Postquã autem venerunt, pœnas sumpturi de gente, quos impotens libidinis rabies exagitabat (par autẽ erat angelorũ) bonitatis suę manifestũ argumentũ, salutationẽ edit. Adorauit enim pronus in terrã: atq;, vt ad domum suam diuerterent, et charitatis legibus fruerẽtur, hortatur. Qui recusant, et se in platea mansuros respondẽt, per hoc hospites se domo carere significãtes: atq; ipsum hospitalitatis exercendæ studiosum adseruentius, vt arbitror, studiũ incitantes, et tantum nõ vrbanè insinuãtes, illũ nõ honestè eos domo carẽtes, et in triuijs expositos relictũrũ. Quod cũ intellexisset iustus, acrius vrgebat: neq; excusationẽ eorũ pro lucro, siue rapina habuit: quasi, scilicet, frigidius, parumq; seriò inuitasset. Domum itaq; suam eos deduxit: panes azimos apposuit, et conuiuio excepit. Et hæc quidem iustus faciebat. Sodomitę verò nuda, obscœnaq; voluptate perciti, iusti domunculam impiè cingentes, extremæq; impudentiæ limites egressi, solitæ libidinis vsum sibi permitti contendebant: vt quibus hospitalitatis iura conferre debebant, eos contumelia, per libidinem à natura abhorrẽtem

ipsis

Psal. 118.

Sodomitarum et Loth historia, spiritualiter declarata. Genesis. 19.

Gen. 19.

2. Cor. 6.

ipsis inferenda, afficere volebant. Deterrente verò Loth à tam tetris, execrandisq; facinoribus, ipsi etiam vim intulissent, idemq; pati coegissent, nisi adfuissent, qui eum seruassent. *Miserunt enim, vt scriptum est, viri manus suas, et attraxerunt Loth ad se in domum, et ostium domus clauserũt: virosq;, qui apud ianuam erant, percusserunt cæcitate à paruo vsq; ad magnum: et fatigati sunt quærentes ianuam.* Neq; verò his finibus auxilium ipsi ab eis præstitum circũscriptum fuit. Scriptum est enim iterũ: *Quumq; esset mane, vrgebant angeli Loth dicentes: Surgens tolle vxorem tuam, et duas filias, quas habes, et egredere: ne et tu pereas cum iniquitatibus ciuitatis. Et turbati sunt: et apprehenderunt angeli manum eius, et manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi.* Manifesto argumento tibi hoc esse potest, nos non verbis solùm incitari, et adhortationibus menti immissis, vt à peccato discedamus, sed tanta benignitate erga nos vti Seruatorem totius vniuersi Deum, vt actu ipso, efficaciterq; nobis auxilium præstet; secundum quod scriptum est: *Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me.* Cum enim humana natura non satis valida est, neq; per se sufficit, vt malum effugere queat, vnà quodammodo nobiscum contẽdit Deus: dupliciq; beneficio afficere cognoscitur: admonitionibus nimirum persuadens, et subsidium præstans fortius, quàm vt ab impediente, aut imperante Malo superari possit. Vides autem verum illud esse, paucos omninò esse iustitię cultores: magnamq; esse in vita bonorum virorum raritatem. Virum enim fidelem inuenire, difficilè est, secundum scripturam, preterquam electum huiusmodi: quiq; superna cura, ac tutela dignus habitus sit. Tametsi enim in hoc mundo alijs immistus sit, nihil tamen inde damni sustinet: sed vt lilium ex spinis decerpitur: neq; perribit iustus cum impijs, iuxta sanctorum voces. PAL. Dei itaq; benignitate, ac misericordia, angelorumq; succursu à prauitatis tyrannide eximemur: nullaq; ratione pœnis, quæ malis debentur inuoluemur Deo credentes, per prophetę cuiusdam vocem manifestè dicentis: *Quia ego dominus Deus tuus, tenẽs dexteram tuam, dicit Dominus, redẽptor tuus Israël.* CYRIL. An non coadiutorem sanctis esse omnipotentem Deũ demonstret, quòd Loth angelorum manu apprehenditur? Deum enim figurant, tres quidem initio Abrahæ obuiam facti ad quercum Mambre: duo verò Sodomam ingressi. *Neq; enim Pater quenquam iudicat, iuxta ipsius Saluatoris vocem, sed omne iudicium dedit Filio,* commitante illum manifestè, et in eo naturaliter existente Spiritu sancto. PAL. Rectè sentis. Sed reliqua etiam, si placet, cõsideremus. CYR. Absq; mora. *Et factum est, inquit, quando eduxerũt eos foras, dixerunt: Salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circum regione: sed in monte saluum te fac, ne et tu simul comprehendaris.* In hoc igitur: Salua tuam ipsius animam, aio, manifestè dici: Te ipsum purum, integrũq; conserua: et ne communices peccatis alienis: mundanisq; impedimentis supe-

Gene. 19

Gene. 19

Psal. 72.

Deus, afflictos dupliciter modo iuuat

Bonorũ paucitas

Tres angeli Abrahæ obuiã facti, Dei typus sunt.

Ioãn. 5.

Gene. 19

In monte saluũ te fac, quid significet.

superior esto. Nullum enim precium cum anima copa ari potest. *Quid enim prodest homini, si totum mũdum lucretur, animæ verò suæ iacturam faciat?* Quod verò iubetur absq; vlla conuersione retrorsum iter facere, significat, non debere nos ad probitatem conuersos, iisdem cogitationibus vacare cum iis, qui ob intemperantiam suam ignis supplicíũ incurrerũt. *Nullus enim, inquit, qui manu posita ad aratrum, retrorsum spectat, idoneus est regno cœlorum.* Tenenda verò firmiter est via salutis: neq; huc illoc distrahi, aut mentem vanis mundanarum cupiditatum imaginationibus agitari, fluctuareq; permittere debemus: sed constantem, vigilantemq; tenere: semper ad id, quod rectum est, cernere curantem. Obseruare etiam nos in nobis maius aliquid, quod dicam, oportet. Ait enim angelus, illum non solùm absq; vlla respectione iter facere debere, sed adiicit vtiliter: Ne steteris in omni circum regione. In monte salua te, ne simul comprehendaris. PAL. Quid autem hoc significat, Ne steteris in omni circum regione? CYRIL. Segnitiem, vt arbitror, atq; ignauiam in discedendo à vitio, cum summo periculo, damnoq; esse coniunctum. PAL. Quo pacto obsecro? CYR. Propheticus sermo ita habet: *Væ vobis qui facitis opus Domini negligenter: Currite autẽ, vt comprehendatis.* Ipse etiam Paulus alibi ait. Non enim velle viriliter, summaq; animi contentione a turpitudine decescere: ægreq; mentem à veteri statu diuellere, et molestia quadam in decessione à singulis vitiis affici, lentissimoq; gradu ad id, quod expedit, transferri, nihil aliud est, quàm adhuc in campo nequitiæ subsistere, è quo nos celeri cursu effugere oportebat. Neq; enim antequam ad terminos peruentum sit, vitia euadi posse verisimile est: cunctantes verò, et tergiuersantes semper, supplicio implicari, prius quam maculam expurgarint: prius quam inquinamẽtum, quod ex veteri vecordia animam infecit, eluerint: prius quam crimina exonerarint, et salutare iugum subierint, quietem nimirum per Christum. Optimum itaq; præceptum est: Ne steteris in omni circum regione: hoc est, ne in vllo nequitiæ modo immoratus deprehendaris. Quin potius ascende tanquam in montem, in eximiam quandam, et spectabilem vitam: nihilq; abiectum in se habentem: sed excelsa, sublimiq; virtute conspicuam, et ab humili cogitatione, hoc est, terrena, atq; carnali alienam. Scriptum est enim, *Quòd potentes Dei, super terram vehemẽter eleuati sunt.* Sanctos enim decet cogitatio terrenis rebus longè superior: *et pulli vulturum ad alta volant,* vt scriptum est. Siquidem, tanquam in monte, in cœlo administrationem habent, et supernæ patriæ res curant. Scribit etiam alicubi Paulus: *Quæ sursum sunt quærite, non ea, quæ super terram.* PAL. Mons itaq; spiritualis, vita in sanctificatione est, et eximiæ administrationis sublimitas eam, quæ immunda est, vitiisq; dedita, et terrenis rebus affixa, despiciens. CYR. Rectè ais. Hoc enim nobis sermo ipse manifestè declarat.

Marginalia (left): Matth. 16. — Luc. 9. — Ne steteris in omni circũ regione, quid significet. — Iere. 48. — 1. Cor. 9.

Marginalia (right): Gene. 19 — Gene. 19 — Psal. 46 — Coloss. 3 — Mõs spiritualis, quid sit.

clarat. Mireris autem etiam hoc. PAL. Quid nam? CYR. Beatus enim angelus, absq; vlla cunctatione, et respectione, currentem Loth, in montem conscendere oportere dicit. Ille verò rogabat, dicens: *Quæso Domine, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, et magnificasti iustitiam tuam, quam facis in me, vt viuat anima mea. Ego verò non potero saluari in monte, ne fortè apprehendat me malum, et moriar. Ecce ciuitas hæc iuxta, vt fugiam ego illuc, quę est parua, illic saluabor. Nunquid non modica est, et viuet anima mea? Et dixit ei: Ecce admiratus sum faciem tuam: et in verbo hoc, ne euertam ciuitatem, de qua locutus es. Festina ergo saluari illic, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen loci illius Segor. Sol egressus est super terram, et Loth ingressus est in Segor. PAL. Quid nam vtilitatis ex his ad nos perueniat, velim equidem, vt ipse nosti, cognoscere. CYRIL. An ignoras, cum alioqui probè doctus sis, quòd ijs, qui recens à nequitia desciuerunt, et salutis viam ingredi constituerunt, nō statim primo conatu apprehendere virtutem, et ad eius fastigiū peruenire possunt? Neq; enim ita facilè quis ad eximiā vitam transferatur: neq; subitò ab affectionibus quodammodo insitis semouetur. Sensim verò ab his se elongat, promptitudinem saltem ad meliora, et maiorum conatuum principia pre se ferens. Non autem altè admodum, aut longè, sed tantum non tanquam in aliam terram ad vitam laudabilem se transfert: nondum autem ad sublimem illam, omniq; laude conspicuam, cuiusmodi est legalis institutio, quæ ad optimę, præstētissimęq; vitę principia deducit. Scriptū est enim: *Initium viæ bonæ facere iusta. Quemadmodum eos, qui scientię student, et ad mysticas contēplationes se conferunt, conuenienter, necessarioq; sermo catecheticus, siue de elemētis religionis proponitur: adultis verò iam in virum perfectum, et in mēsuram ętatis plenitudinis Christi solidior cibus est adhibendus, hoc est, de altissimis rebus sermo, totaq; via dogmaticę indagationis aperienda: eâdem planè ratione in vitæ, ac morum emēdatione impossibile fuerit primo statim impetu ad statum omni culpa vacātem, siue ad excellētissimam, optimáq; vitę rationē peruenire, sed pedetentim fit progressio ad perfectū habitum cōparandum, à paruis, et statui suo cōuenientibus rebus sumpto initio, ac tantū non præincurrēdo tanquā in ciuitatulam excelso mōti vicinam, hoc est, in vitam eximię illi, atq; excelsę subiectam, et circa minora versantem. Iustus itaq; Loth, eorū, qui ita affecti sunt, typus esse potest, qui nō statim in mōtem, sed in paruā ciuitatē Segor diuertendum sibi esse censuit. An nō enim in euangelicis prædicationibus sæpenumero eiusmodi institutionem circa fideles adhibitā inueniemus? Beatus enim Paulus ita pręcipit, dicens: *Bonum est viro mulierem nō tangere: propter fornicationem autem vnusquisq; suā vxorē habeat: et vnaquęq; suum virum habeat. Hoc autem dico secundum indulgentiā, non secundū præceptum. Volo enim omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque propriū donū habet à Deo, alius qui-

Gene. 19

Prouer. 16.

Loth, typus eorū qui adhuc virtutis tyrones sunt.

1. Corin. 7.

quidē sic, alius verò sic.* Vides, quo pacto summum continentiæ fastigium, tanquā montem nobis ob oculos ponit, dicens: Bonum viro mulierem non tangere. Permittit autem nos diuertere in Segor, hoc est, in doctrinam, ea, quę perfecta est, inferiorem. Nimirum licere vnicuiq; vni soli proprię vxori copulari. Porrò Saluator noster terram optimam fructus daturam ait: hanc quidem centum, hanc verò sexaginta, hanc autē triginta. Quin etiam talentum non æqua mēsura distribuit: sed huic quidem quinq;, huic duo, huic vnum: habituum inæquales vires per hoc, vt arbitror, significans: vnicuiq; pro sua aptitudine, et mente distribuens. Nam, vt modò diximus, vnusquisq; proprium donum à Deo nactus est: vnus quidē sic, alius verò sic. PAL. Rectè ais. CYR. Permittit quidem angelus diuertere in Segor. Ecce enim, inquit, miratus sum faciem tuam: et in verbo hoc, ne subuertam ciuitatem, de qua locutus es. Festina igitur saluari illic. Deinde dicit: Sol exiuit super terrā, et Loth ingressus est Segor. Mireris autem ô amice, cognoscens quæ sit horum sententia. Miratus enim, inquit, faciem tuam, ne subuertam ciuitatem, de qua loquutus es. Non vult re vera Deus eam vitam, quę se non prorsus ad virtutem componit: execrabileq; ipsi est in vniuersum, à quibusdam affectionibus vinci: neq; longè abest à condemnatione. Cęterum indulget sua benignitate, et commetiens id, quod naturę sub principia ipsa possibile est, saluari iubet, omni quidem cura se ad bonum conferentes, nondum autē prauam viuendi normam

Talenti distributio in euāgelio, explicata.

omnino egressos. Qui verò ad hunc statum, conditionemq; adducti sunt, non absq; diuino lumine, et superna prælustratione ad metam pertingūt. Exortus est enim, inquit, Sol: et Loth ingressus est Segor. PAL. Quàm vera profers. CYR. Beatus itaq; Loth in ciuitatem paruam ingressus est, permittente hoc ipsi Deo. Vxor verò, quę eum comitabatur, vnaq; effugiebat, infirma ad hoc redarguitur. Respexit enim retrorsum, et facta est statua salis. Vide, obsecro, quo pacto mens virilis, et mascula cogitatio, tametsi non perfectè ad id, quod Deo placet, perueniat, cum ad virtutis cultum se contulit, tamen ex habitu vitiorum paulatim ad meliorē statum promouet. Infirma verò, atq; imbecilla, cuius signum est mulier, sua ad prauitatem conuersione, planè inutilis fit. Hoc enim significare, arbitror, fieri statuā salis, quod symbolum est mentis infatuatæ, quæq; ad stultitiam, atq; adeò extremam sensus caretiam sit deuoluta. Infatuatum verò sal ad nihil vltra valere Saluator ipse testatur, inutile autem penitus est, et foras eijcitur pedibus proculcandum. Mulier itaq; in lapidem obriguit: Loth verò non diu hæsit. Scriptum est enim: * Ascendit Loth ex Segor, et sedit in mōte ipse, et duę filię eius cum ipso. Timuerant enim habitare in Segor, et manserunt in spelunca ipse et duæ filiæ ipsius cum eo.* Procedit enim mens quasi per gradus ad summum, tenditq; ad id, cuius comprehensioni initio non satis apta, sufficiensq; erat. Progreditur autem, et promouet in melius prudentia, et fortitudine spirituali, tanquam duabus proprijs filiabus nixus,

Matth. 5

Gene. 19

xus, mollitie, et voluptatum desiderijs, quorum figura est mulier, infra relictis. Habitat verò deinceps in mōte, et in spelunca. Per montem quidē sublimitas, atq; eminentia perfectionis spiritualis: per speluncam verò, firmitas, ac perseuerantia in virtutibus significatur. Ita enim de viris bonis scriptum est: * Ambulans in iustitia, loquens viam rectam, odio habēs iniquitatem, et iniustitiam, et manus excutiens à muneribus: obturans aures, vt non audiat iudicium sanguinis: claudens oculos, vt nō videat iniquitatem: hic habitabit in excelsa spelūca fortis petræ. * Cęterum alia etiam probabilis huius rei ratio dari potest. Petra enim Christus est, eò quòd fortissima, et illæsa sit suprema omnium substantia. Spelunca autem in Christo, ecclesia intelligi potest, quæ sanctorum est hospitium, piè viuentium tegmen, quam inhabitant iusti, et quicūq; ignis supplicium euaserint. PAL. Quàm pulchrè sermo hic se habet. Vellem autem per alias demonstrationes commentationem nostrā tractari. Operæpreciū enim, arbitror, est, ea, quæ ad vtilitatem nostram faciunt, plenè cognoscere. CYRIL. Rectè mones Palladi. Mens nostra discendi cupidissima præclarum hac ex re fructum consequetur. Sermonem itaq; ad officium nostrū pertinentem ocio præferemus. Neq; mihi videntur de tam præclaris, et iucūdis rebus enarrationes silentio, quod intēpestiuè sese nobis offert, prætermittendæ. Quòd itaq; ab habitu ad vitia, eorumq; societate modis omnibus, quatenus in nobis situm est, separari oporteat: quodq; nō aliter, quàm hac ipsa ratione ad virtutem contendere liceat, facilè intellexerimus, si mentis oculis ea perlustremus quę diuino illi Abrahæ, quæq; Israelitis in egressu suo, quem olim fecerūt, cum Aegyptiorum tyrannidis iugum ceruicibus suis excusserunt: maiora, quā vt verbis exprimi possint, acciderūt. PAL. Dic igitur particulatim. Scis enim ipse, si hoc præstiteris, quanto gaudio me sis cumulaturus. CYR. Dicamus igitur. Quo pacto olim Abraham intolerabili fame, et rerum necessariarum penuria oppressus, inuitus ad Aegyptios concesserit, et necessitati cesserit. Qui cum hospes, et aduena esset, dolore et tyrannide à Pharaone afflictus fuit. Vxorē enim illius intēperanti libidine inflammatus violare volebat. Quod vt perpetraret, Deus nequaquam permisit, *Flagellauit enim, inquit, Pharaonē plagis magnis propter Saram vxorē Abrahæ. * Pharao autē diabolicæ intemperantiæ figura, ac typus est. Scopus enim huius est, etiam exercitatissimorum, et sanctorum mētibus innatæ sibi immunditiæ semina immittere, vt gratos, iucūdosq; ipsi fructus faciant: nimirum vt omnis generis peccatorum rei fiāt: vtq; vnumquemq; irretiat: et volentem nolentem tyrannidi suæ subijciat. Natura enim magna imbecillitate laborat. At Deus nequaquam id permittit, sed maligni conatibus, atq; insidijs aduersus sanctos cōtra nitens, eos irritos facit. Neq; alia ratione Abrahæ dāna euadere contigit, quàm relinquendo terram Aegyptiorum, et ad veterem regionem à Deo datā redeundo: quò vbi peruenit, bonis operibus trāquillè vacauit. Ita enim scriptū est: * Ascēdit autē Abraham de Aegypto ipse et vxor

Gen. 12.

Gen. 13.

et vxor eius: et omnia, quæ habebat: et Loth cum ipso in desertum. Erat autem Abraham diues valde in possessione auri, et argenti: reuersusq; est, vnde exierat in desertum vsq; Bethel, vsq; ad locum, vbi prius erat tabernaculũ eius, inter Bethel, et Hai, in locum altaris, quod fecerat illic prius: et inuocauit ibi Abraham nomen Domini.* Intelligis itaq; quo pacto eos, qui à mundana intemperantia discedere, inq; aliam sanctam vitam se trãsferre volunt, omnia quodammodo sua adferre, cumq; vniuersa familia, et cognatione transmigrare oportet. Adiecerim autẽ, quòd et cum omni supellectili sua ab Aegyptiorum terra patriarcha ille Abraham discesserit. Oportet enim totos nos, et cum tota quodammodo domo abscedere, inq; desertum contendere, hoc est, ad inconcussum, ac purum mentis statum, vnde initio humana natura excidit, cum diuinis bonis destituta ad vitium prolapsa est. Hoc enim figuratè significat descensus ad alienos è terra, et quidem ea iucundissima, in qua initio erat: in qua etiam erat altare. Nam hoc pacto recurrentes, donec perueniamus ad locum, et regionem, in quo antea erat altare, hoc est, sanctificatio olim nobis annexa, etiam nos inuocabimus Dominum, propheticum illud dicentes: *Domine extra te alium nescimus, nomen tuũ nominamus.* PAL. Optimè dicis. CYR. Videbis etiam rem aliter se non habere, si quæ olim filijs Israel acciderunt, diligenter perpenderis. Qui cum initio, famè compellente, in Aegyptum venissent, Aegyptij eos supernè, et ex radice sanctorum oriundos, et liberos ad inopinatam, inexpertamq; seruitutem sibi subiugantes, crudeliter oppresserunt: crudelitatis, quam in eos exercebant, huiusmodi quandam occasionem struentes: *Surrexit, inquit, Rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph. Dixit autem suis: Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite fraudibus opprimamus eum, ne forte multiplicetur: et si ingruerit cõtra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisq; nobis egrediatur de terra.* Angebat enim, vt arbitror, principem terrę Aegyptiorum, velle ad libertatem aspirare eos, qui violento seruitutis iugo præter opinionem erant deuincti. Præposuit itaq; eis, inquit, magistros operum, vt affligerent eos in operibus, et ædificarũt vrbes munitas pharaoni, Phithon, et Ramesses, et On, quæ est Heliopolis. Intolerabilis enim seruitutis fructus erant perpetuæ ærumnæ in luto, et latere, vrbes altis mœnibus muniendæ, aggeres in agris extruendi. Hæc verò absq; vlla mercede, et magnis sudoribus laborantes peragebant. Principes enim seculi huius, cum miseras hominum animas in suam potestatem traxerint, luto, et lateribus, et ijs, quæ ex terra, et circa terram sunt, eas diuexãt, molestis, inutilibusq; occupationibus addictos tenentes. Huiusmodi enim carnis opera, et quę circa ipsam sunt, esse apparet, quæ acerbam miserrimãq; vitam agere cogũt: quæq; nulla planè ratione laborare coactis vtilitatem adferant. Quid enim fructus ex carnis operibus, et desiderijs miseræ nostræ animæ prouenit? Quod lucro quodammodo diabolo, et dæmo

Exod. 1.

et dæmonibus cedit: et aduersariorum regno, tanquam cumulus quidam diuitiarum, et gloriæ adijcitur. Quemadmodum et Pharao non exiguam gloriæ accessionem censebat, quòd filij Israël ipsi ciuitates extruerent, nullo alimento, aut mercede cōducti, sed necessitate, ad id faciendum, compulsi. PAL. Ita est. Perspicua enim per se res est. CYR. Figura itaque, et tanquam imago quædam inanium, et profanorum studiorum nostrorum in hoc mundo, Israëlitarum labor nobis proponitur, vrgēte, ac compellente eos Satana, aduersarijsq; cum eo potestatibus. Eos enim diuina scriptura nomine magistri, siue præfecti operum significat. Grauem autem, ac molestam occupationem equidem hāc dixerim, quę multo sudore, ac labore constat: et luto quodammodo, et sordibus, voluptatisq; cœno inuoluta est. Cœterū misertus est etiā tūc Deus eorū, qui iniquissima, crudelissimaq; Aegyptiorū tyrannide premebātur: quibusq; grauissima seruitutis necessitas incūbebat. Ministrum enim suæ in illos benignitatis optimum statim Moysen excitauit. An non autem idem planè erga nos Deum facere cōperiemus? Cum enim in peccatum prolapsi essemus, misericordiam suam nobis largitur: et tanquam mediatorem, qui nos ad libertatem vitæ restitueret, legem suam in omnium corda immittit. PAL. Assequor tuam sententiam. CYR. Vis ne igitur, vt latum historiæ æquor secantes, rem ipsam, quoad fieri poterit, dicamus? PAL. Omninò. CYR. Sic ergo scriptum est: *Et post hæc ingressus est Moyses, et Aaron ad Pharaonem, et

Exod. 5.

dixerunt ei: Hæc dicit dn̄s Deus Israël: Dimitte populum meū, vt mihi festum agant in deserto. Et dixit Pharao: Quis est, cuius audiam vocem, vt dimittam filios Israël? Nescio Dominum, et Israël non dimittam. *Nā qui circa Moysen, et Aaron erant, cōtendebant, filios Israël è terra, ac regione Aegyptiorum dimitti debere, vocāte Deo ad festum. Festum enim re vera est, solui à violento seruitutis iugo, et Deo deinceps subdi, quæq; illi grata sunt, facere, nemine obsistēte, vel quod ipsi visum est, eligere, atq; amare cogente. Pharao autem effreni lingua ad blasphemiam diuinæ gloriæ inferēdam erumpit, neq; quis sit dominus scire se, neq; dimissurum Israël dicens. Diuinus verò Moyses nequaquam ab incœpto desistit, sed ad exequēdam diuinam voluntatem fortiter se cōparat. Præpediēte enim Satana, ne ij, qui in potestate sua sunt, ad libertatem aspirēt, viriliter resistere oportet: et quibuscunq; impedimentis superiores euadere, neq; timidos deprehēdi, sed instare, atq; vrgere dicentes: *Deus Hebræorū vocauit nos. Ibimus itaq; viā trium dierū in desertum, vbi sacrificemus Deo nostro, ne forte occurrat nobis mors, et cędes.* Hęc enim tūc nobis sapiēs clamabat Moyses. Neq; enim ad similitudinē vestrā ô Aegyptij vitulus nobis Hebræis colitur: neq; sus, neq; capra, neq; statua viri, neq; volatilium figuratio, neq; reptiliū imagines, quę in tēplis erigūtur. Vocauit autē nos Deus, et Dn̄s, qui vniuersum hoc fabricauit. Magnus itaq;, neq; cū Aegyptijs collocādus: et super omnē creaturā est Deus Hebręorū, qui in desertū nos vocat, gratum

Exod. 5.

tum ipsi sacrificium illic oblaturos. Porrò Aegyptus obtenebratio dicitur. Oportere autem, arbitror, nos, siquidem spirituales sumus, spiritualiter hæc ad ea, quæ in vmbra ac figuris sunt, accommodare debere. Oportet enim nos ab omni re, quæ tenebras offundere consueuit, discedentes, et veluti regione quadam tyrãno subiecta, Satanæ, inquam, egressos, procliuitatem ad peccandum fortiter reprimere: et ad liberam, purioremq; vitam cõmigrare: et tanquam legitimi incolæ, non autem dæmonibus subiecti, rem gerere. Tunc enim poterimus Deo iustitiæ fructus pulchrè sacrificare. Proficiscẽdum verò esse Israëlitis per viam trium dierum in desertum, quid aliud significat, quàm procul à terminis nequitiæ, et vita tyrannide oppressa discedẽdum esse? Quod sapienter confirmat Moyses, longè ab Aegypto separari debere dicens eos, qui à Deo vocati sunt: Ne forté, inquit, occurrat nobis mors, vel cædes. PAL. Atqui quid hoc sibi vult? Neq; enim omnibus id intelligere volentibus in prõptu est. CYR. Dicam. Apud Aegyptios moris erat, qui hodie etiam apud idolorum cultores inualuit, cauere diligẽter, ne quis templum ingressus, funeri alicui occursaret. Extremi enim inquinamẽti loco id ducebant. Neq; solùm si quis funus attigisset, verum etiam si obiter tantùm vidisset. Quocirca ex moribus apud eos receptis eis persuadet, quòd purè sacrificare non possint, si ex improuiso fortasse, vbi facere cœperint, mors, aut cædes occurrat, hoc est, vel naturæ lege mortuus, aut ab homicida violenta morte affectus. Vobis enim, dicebat, templa sunt, ac delubra: claustra etiam, ac portæ, intra quas confugiẽtes purè sacrificare potestis. Quemadmodum itaq; ex vobis ipsis censere potestis. Nos in media vrbe sacrificãtes, in triuijs, et agris mortuorum spectaculis pollui necesse est. Nam quod liminibus oppositis, eorum visum intercipiat, atq; impediat, nihil est. Et historiæ quidem sermo pro Aegyptiorum sensu verisimilem in se rationem habet. Rectè autem à sapientissimo Moyse dictum comperies, si spiritualiter accipiatur. Necesse enim est, nos, veluti in deserto, Deo sacrificare, et sanctum festum Deo celebrare ab Aegyptijs egressos, ac mortis spectaculum deuitare. Tranquilla enim mente, longeq; semota à tenebris, quas mundus offundit, oculosq; liberos à rebus ad mortem, atq; interitum perducentibus habentes, purè Deo omnipotenti sacrificabimus. Opera autem mortua carnis sunt. Obtenebratio verò mundana, malarum et inanium occupationum fuligo, puram splendidamq; mentis lucem coinquinans: à quibus longè discedere oportere eos, qui syncerè Deum colere velint, historiæ textus nobis demonstrat. PAL. Minimè obscurum hoc est. Sed reliqua velim persequare. CYR. Israëlitæ igitur intolerabili, acerrimoq; veteris libertatis desiderio flagrabãt: eoq; quòd ad eam aspirarent, ad grauissimam iram extimularũt eum, qui illos seruitutis iugo oppressos tenebat. Ocij enim argumẽtum esse caussatus id genus desideria, operosissimi laboris, ac sudorum accessione confici iubet, consueti quidem operis rationem acerrimè ab eis exposcentes, et præter

Nescio quid hic Oecolãpadius de Isidis templo, et alijs somniat.

et præter morem palearum diſtributionem ipſis ſubtrahentes. Dicebant
Exod. 5. enim: *Quia vacatis, ocioſi eſtis, et idcirco dicitis: Eamus, et ſacrificemus domino Deo noſtro. Ite ergo, et operamini. Paleæ non dabuntur vobis, et conſuetum numerum laterum reddetis.* Viderunt autem ſcribæ filiorum Iſraël ſeipſos in malis,
Ibidem. dicentes: *Non minuetur quidquã operis de lateribus per ſingulos dies. Occurreruntq; Moyſi et Aaron, qui ſtabant ex aduerſo, egredientibus ipſis à Pharaone, et dixerunt ad eos: Videat Dominus, et iudicet, quoniam abominabilem feciſtis odorem noſtrũ coram Pharaone, et ſeruis eius: et præbuiſtis ei gladium in manus, vt occiderent nos.* An non ita ſe habere dices, amice: quòd quando quis diabolicæ tyrannidis iugum excutere ſtudet, et ad præclarum, liberũq; Dei cultum ſe conferre, vacare etiã, et eius, qui verè Dominus eſt, cogni-
Pſal. 45. tione frui, iuxta illud: *Vacate, et ſcitote, quia ego ſum Deus:* improperabit nobis communis omniũ hoſtis hac in re vacationem: voluntatemq; noſtram? cõtraq; ſimul cum alijs prauis, et immundis ſpiritibus, mundaniſq; occupationibus, prout ille cuiq; familiares fuerint, indeſinenter adhęrere cogens, minimeq; à ſolita nequitia diuelli ſinens? Quinetiam hoc ipſum difficilè nobis facit, ne cũ nimis obuium, facileq; paratu ſit, illud reſpuat: et in ſatietatem mali veniat. Hoc enim, arbitror, ſignificare laterum ſtructuram acriter expoſci: ea verò, per quæ illi facilè fiãt, ſubtrahi, nimirum paleas. Ita enim natura cõparatum eſt, vt tum demum præcipuè, ſummoq; ſtudio conſueta quæramus, feruentiſsimoq; eorum deſiderio flagremus, quando aliquid intercedere videtur: quod ne frui eis poſsimus, neceſsitate quadam cõſtringit. Cum verò diuina lex humanam mẽtem turpia dedocet, tum ferè magna quædam cupiditas nos peruadere ſolet, quæ nos, vt eadem illa deſideremus, exſtimulat: et tantum nõ, vt aduerſus legiſlatorem murmuremus, perſuadet. Quã rem rurſus, tãquam in vmbris, ſcribæ filiorum Iſraël demonſtrant. Cum enim operum grauitate vexarentur, neq; facilem ad ea perferenda viam cernerent (palearũ enim inopia laborabant) Moyſen et Aaron grauiter incuſarunt, ipſos illis huius rei authores fuiſſe dicentes: longeq; intolerabilius ſeruitutis pondus ipſis impoſitum ea ſolùm de cauſa, quòd ipſorum ſermonibus adducti, libertatis deſiderio capti eſſent.

PAL. An nõ eos rectè, vereq; dicere cenſes? CYRIL. Omnino. Simulac enim nos bonum deſideriũ, rectaq; ratio eò perduxit, vt, quæ Deo placent, velimus, et Legem, pietatis magiſtram, memoria colimus, tunc multo acrius nos cõmunis omniũ hoſtis ad id, quod perniciosum eſt, trahere nititur. Cœterum tuetur nos, et ſaluat Deus. Vnde et ad Moyſen dicebat: *Vade, dic filijs Iſraël: Ego Domi- Exod. 6.
nus, et educam vos de potentia Aegyptiorum: et liberabo vos de ſeruitute eorum: et redimam in brachio excelſo, et iudicio magno: et aſſumam vos mihi in populum, et ero veſter Deus: et ſcietis, quòd ego ſum dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Aegypti ex potentia Agyptiorum.* Auertente nos Satana, et ab omni bono deſiderio dimouẽte propenſio-

pẽsionemq; nostram ad bonum, quibuscunq; modis potest, profligante, diuina lex ad bonam voluntatem extimulat, immortalem quidem auxiliatorem demonstrans, lautissimaq; spe animos nostros erigens, et fide corroborans: et Deo, vt verè Saluatori, ac Redemptori nos consecrat. PAL. Quàm eximia, et salutaris res est fides, et voluntas sequendi Deum. CYR. Quòd verò fides ad bonum finem ducat, pulchrè intelliges, cum orationem ad scopum suum, siue finem perduxerimus. Postquam enim venerunt ad Pharaonem sermocinaturi rursus, qui circa Moysen erant, vtq; veteribus vinculis Israëlitas soluerent persuasuri: signis maioribus, quàm vt verbis exprimi possint, eum à sententia dimouere tentabant. Virgæ enim in serpẽtem transmutationem ob oculos ponebant: multaq; prætereа maiora, se minimo negocio edere posse Dei auxilio promittebant. Ille verò Magis suis, vt similia facerent, præcipiebat: tantum non per hoc significare volens: Non ignari sumus huiusmodi operum etiam nos, sed quamplurimi apud Aegyptios, et apud nos id præstant. Et Magorum studium est, miracula edere, è quorum numero et vos estis. Cum itaq; vehementer obduraretur, neq; dimitteret Israël, quatuor plagę aliæ alijs grauiores immissæ sunt. Nam aquę in sanguinem mutatio mirabiliter edita est. Ranę etiã, et cyniphes, ac postremo muscæ caninæ totam Aegyptum occupantes, molliorem quodammodo Pharaonem, tanquam ex intolerabili necessitate reddiderunt. Acersitis autem ijs, qui circa Moysen erant, inquit: *Euntes sacrificate Deo vestro in terra. Et dixit Moyses: Non potest fieri sic. Nam abominationẽ Aegyptiorum sacrificabimus domino Deo nostro? Nam si sacrificauerimus domino Deo nostro abominationes Aegyptiorum in conspectu ipsorum, lapidibus obruemur. Viam trium dierũ ibimus in desertũ, et sacrificabimus domino Deo nostro, quemadmodũ dixit nobis. Et dixit Pharao: Ego dimitto vos, et sacrificate domino Deo vestro, sed ne longè abeuntes discedatis.* Cum enim Satanas copias suas contra nos educit, et animi nostri in bonum propensionem modis omnibus infringere conatur, Deus, vt est malorũ detestator, illi obsistit: eiusq; temerarios insultus comprimit: et plagis illius ferocitatem imminuit. Qui tum demum dimittit quidem, sed illibenter. Tentat itaq; nos eò inducere, vt non integrè Deum colamus, neque omnino perfectè ab eius seruitute discedamus. Neq; enim extra suam ditionem, sed in ipsa sacrificare debere Israëlitas iubet. Cœterũ Moyses sapientissimè respondet, hoc ita fieri nullo modo posse. Peccati enim inuentor et autor, semper malorum magister est. Lex verò diuina ea reijcit: quæq; ipsi placent, facere vetat. Acquiescendum itaque est, si rectè viam instituere voluerimus, non ijs, quæ malus ille præstigiator, atque impostor suadet, sed quæ diuinum oraculum nobis inclamat. *Lucerna enim, inquit, pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis.* PAL. Rectè. CYR. Quocirca cum nos detinere, ac coërcere, sibiq; subijcere diabolus tẽtarit, vnius solius naturaliter existẽtis Dei cultui sedulò incum-

Exod. 8.

Psal. 118.

incumbamus: et procul ab omni duplicitate animi diſcedẽtes, dicamus, impoſsibile eſſe, vt ita fiat: *Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire: vel enim vnum odio habebit, et alterum diliget: vel vni adhærebit, et alterum negliget.* Scriptum autem eſt iterum: *Ve cordibus timidis, et manibus diſſolutis, et peccatori eunti per duas vias.* Oportere enim cenſeo nos purum, et irreprehẽſibilem omnipotenti Deo cultum præſtare, in vniuerſum à vita, quam ſub illo agebamus, egreſſos, atque ita fortiter ad meliorem contendere. Aliter enim abominationes Aegyptiorum, inquit, ſacrificabimus domino Deo noſtro. Si enim ſacrificauerimus abominationes Aegyptiorum, coram ipſis lapidabimur. Et quantum quidem ad hiſtoricum ſermonem, commoda excuſatio erat. Abominationes enim ibi vocat cultus. Vituli autem ab Aegyptijs colebantur. Hoc autem dicit: Si ſacrificauerimus Deo Hebræorum, Aegyptios modis omnibus ad iram exſtimulabimus, intolerabilem ipſis rem facientes. Et quidem veriſimiliter. Quantum verò ad ſpiritualem contemplationem attinet, non mediocrem vtilitatem in ſe habet. Mortificantes enim nos id, quod multitudo dæmonum maximi facit, ſummoq; in precio habet, gratiſsimum Deo cultũ exhibebimus. PAL. Dic, quo pacto? CYR. Nonne deſideria carnis in precio apud illos ſunt? An non etiam propterea per ipſos in perniciem, ac ſeruitutem ſub ipſis redacti ſumus? PAL. Omnino. CYR. Hæc itaque mortificantes, et quodammodo mactantes, in odorem ſuauitatis erimus Deo. Paulus autẽ ita ſcribit: *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, beneplacentem Deo, rationalem cultum veſtrum. Rectè autem quis hoc præſtiterit, mortificans mẽbra terrena, fornicationem, immundiciã, affectionẽ, concupiſcẽtiam malam, et auaritiã. Vnaquæq; igitur affectionũ, quæ in nobis ſunt, Aegyptiorum ſpiritualiter intellectorum abominatio eſt, et quod maximè colatur. Quod enim ſcripturæ diuinæ conſuetudo ſit, abominationem vocare idolum, aut quod ad colendum exponitur, Deus ipſe de Iudæorum ſynagoga per vocem Ieremiæ prophetæ teſtatur, dicens: *Quid dilecta in domo mea fecit abominationem?* Si verò quis abominationem Aegyptiorum interpretari velit tanquam execrationem, et deuitationem, nequaquam à vera ſententia aberret. Quæ enim immundi ſpiritus odiſſe, atq; execrari ſolent, ea à nobis in odorem ſuauitatis offeruntur Deo. Hoſtia verò ſpiritualis eſt fides, manſuetudo, cõtinentia, modeſtia, mutuus amor, et ſyncera erga Deũ dilectio. PAL. Qui nam verò ſunt, qui in terra mala, qui nam etiam intelliguntur, qui extra terram ſacrificant? CYRIL. Multi certè, atque innumerabiles ſunt, qui terra Aegyptiorum nondum egreſsi, Deo in illa ſacrificant: qui verò extra, et in deſerto, perpauci. *Multi enim, inquit, vocati, pauci verò electi.* Vocati igitur ſumus omnes ad libertatem per fidem, quæ eſt in Chriſto, et redempti ſumus à tyrannide diabolica, ducente nos ad hoc Chriſto, qui pulchrè veteribus in Moyſe, et Aarõ

Matth. 6

Eccle. 2.

Rom. 12

Ierem. 11

Matth. 20.

et Aaron præfiguratus fuit,vt in eodem Emanuelē legislatorem existē tem,summumq; sacerdotem, et apostolum œconomicè intelligas. Quāplurimi verò vocatorum veteribus malis adhæserunt, nondum autē tota mēte mundanis illecebris egresſi, tanquam nuda, ac sola fide Deum colunt. Hos esse dicimus eos, qui in Aegypto sacrificāt,aut alioquin paulùm egresſi. Neq; enim longius discedatis, inquit obduratus corde Pharao,etiā si Aegyptiorum terra egrediamini. Etenim qui perfecto trāsitu in bonum Deo placere student,mundanis perturbationibus in vniuersum liberi extra Aegyptiorum terram feruntur,et tyranni manus effugiunt: et veluti in deserto tranquilla, liberaq; vita puri purè sacrificant Deo. Cœterum alia etiā ratione dixerim, quamlongisſimè ab Aegyptiorum terra egrediendum esse,nimirum cū à colendo creatorem ad veritatem currimus,vocati ad cognitionē vnius naturaliter existentis Dei. Neq; enim perfectè adhuc egresſi sunt,qui antiqui erroris reliquias mentibus suis nōdum exemerunt. Obseruant enim quidam menses,ac dies,et tempora, et annos. Hi ad libertatem, dignitatemq; per Christum vocati, Aegyptiorum terram adhuc inhabitantes,Deo sacrificant, non admodum inuitam Satanæ vitam conseruantes. Si quis verò perfectè egrediatur, pristinis moribus valedicens, hic in deserto sacrificat, et omni laude dignam vitam agit. PAL. Assentior. Rectè enim censes. Sed tu sermonem persequere. CYRIL. Mentitur itaque Pharao,et promissum negat: neque adhuc Israëlitas dimittit. Deinde tribus alijs plagis afflictus, vixdum annuit,dimissurum se pollicens:sed iterum mendax est deprehensus. *Mendax enim est,et in veritate non stetit,* iuxta Saluatoris vocem. Grandinem itaq; horrendisſimam Aegyptijs immittit, minante Deo, et locustam cāpi vastatricem, si à Græcis hoc epitheti ἀγρολέτειρα mutuari oportet. Tunc demum,et vixdum rigidi, atque infracti Pharaonis insaniæ defensores acerrimè occlamare cœperunt, dicentes: *Vsque quo erit nobis hoc scandalum? Dimitte homines, vt seruiant domino Deo ipsorum. An scire vis, quòd perijt Aegyptus?* Hinc mihi in mentem venit cogitare,quàm sit potestatibus, quæ sub ipso sunt,fortior Satanas, ijs in rebus, in quibus ipsum victorem euadere conueniat. Nam illæ quidem, vt apparet, rigidæ, efferæq; admodum sunt, et tardè quidem, atque egrè, veniunt tamen ad aliquam diuinæ iræ agnotionem: hic verò incredibili crudelitate, atq; immani duricie obriguit. Scriptum est enim,quòd *cor ipsius compactum est, vt lapis: et stetit sicut incus immota. Maxima itaque obmurmuratione contra eum facta, vix tandem ad Moysen dixit: *Ite, et seruite domino Deo vestro. Qui autem, et qui sunt, qui ituri sunt? Et dixit Moyses: Cum iunioribus nostris, et cum senioribus nostris ibimus, cum filijs, et filiabus, et ouibus, et bobus nostris. Est enim festum domini Dei nostri. Et dixit ad eos: Dominus sit vobiscum: quomodo ego dimittam vos? Nunquid et supellectilem vestram? Videte, quòd pesſimè cogitetis. Non fiat ita: Sed ite

Ioān. 8.
Exod. 8.
Iob. 41.
Exod. 8.

Sed ite tantum viri, et sacrificate Dõmino: Hoc enim ipsi quæritis.* Vides itaq; quo pacto Moyses illos omnes simul discedere debere dicebat. Pharao verò: Non sic, inquit, sed ex parte dimittendos, et obsides quodãmodo pro abeuntium reditu relinqui iubet: suppellectilemq; eorum in Aegypto manere. Eant enim, inquit, omnes vestri adolescentes, et quidquid perfectæ ætatis est. At verò diuinus Moyses affirmabat nemine prætermisso, aut contẽpto abeundũ esse, sed pariter ijs, qui in flore ętatis, quiq; in declinatione erant constituti, et filijs, ac filiabus, et boum armentis, alijsq; iumentis. Conuenit enim, vt qui ad veræ libertatis studium se conferunt à mundanis vitijs totos se vindicent, et virtutis via grassentur, nihil planè reliqui in animo cogitationeq; relinquentes, per quod iterũ diaboli tyrannidem incurrant.
Psal. 149 Vocat autem ad hoc diuina lex, * iuuenes, et virgines, senes cum iunioribus,* iuxta Psalmistæ vocem, atque omne genus ætatis in Christo intellectæ. Quos et beatus Ioannes alloqui-
1. Ioan. 2 tur, dicens: *Scripsi vobis filioli, quoniam cognouistis patrem. Scripsi vobis patres, quia cognouistis eum, qui ab initio. Scripsi vobis adolescentes, quoniam fortes estis et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignũ.* Sed et aliter intelligi potest. Iuuenes quidem, fortitudinis typus sunt: senes verò, prudentiæ. Simplicitas verò, quæ in Christo est, filij, et filiæ. Fortitudine enim, et prudentia, simplicitateq; in Christo intellecta, à peccato in sanctificationem transferi
Psal. 30. mur.* Viriliter enim, inquit, agite: et confortetur cor vestrum.* Et rursus:* Estote prudentes sicut serpẽtes: Matth. 10.
et simplices sicut columbæ.* Quòd verò oues, et boues vnà abduci debere dicit, significat, vt arbitror, ne corporales quidem, atq; irrationales affectiones, siue motus, qui in nobis sunt, Satanæ relinquẽdos esse. Vnde diuinus ille Paulus ita scribit: *Quẽ- Rom. 6.
admodum exhibuistis mẽbra vestra serua immunditiæ, et iniquitati in iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra serua iustitiæ in sanctificationem.* PAL. Quare autẽ dimittit Pharao iuuenes, et viros: reliquos autem sibi vendicat? CYR. Quæ verò esse dicis in Aegypto manentia? PAL. Mulieres, vt opinor, erant: et pueri impuberes, atq; infirmi senes, brutaq; animalia. CYR. Quin ergo illud vir optime statim intelligis? PAL. Quo pacto obsecro? CYRIL. Florentes enim ætate iuuenes, quiq; iam firmiorem ad pietatem habitũ sunt consequuti, graues sibi, atq; onerosos censet. Dimittit itaq;, tametsi non libens, vtpote qui aduersarijs obsistere, ipsisq; à seipsis iniuriam propulsare possint, iuxta illud: *Resistite diabolo, et fugiet à vobis.* At verò eos, qui viriliter agere nequeunt, retinet: et tãquam genus infirmum, atq; imbelle, intellectum eorum mollem, atq; effœminatum, et quodammodo ætate deferuescentem, muliebrem, puerilemq; adhuc amat: crassum etiã, et irrationalem, quod per oues, et boues significatur. PAL. Rectè ais. CYR. Cœterum mentitur iterum rigidus, atq; inflexibilis Pharao. Postea cum locustæ totam ferè ipsorum regionem depastæ essent, Moysen accersiri iubet, cui vnà cum Aarõ ingresso dixit: *Ite, seruite domino Exod. 10.
Deo

Pharao iuuenes, et viros dimittẽs mulieres vero, pueros, et senes, ac bruta animalia retinens, quid spiritualiter significet.

Iacob. 4.

Deo vestro: veruntamen oues, et boues relinquite, et supellex vestra abeat vobiscum. Et dixit Moyses: Sed et tu dabis nobis holocausta, et hostias, quæ offeramus domino Deo nostro, et nostra ibunt nobiscum. Ab illis enim accipiemus ad sacrificandum domino Deo nostro.* PAL. Porrò quem sensum ijs, quæ a sapientissimo Moyse dicta sunt, accommodabimus? Aut quo pacto quis accipiat ab Aegypto, et Pharaone, atque offerat Deo? CYR. Atqui, ô amice, manifestus est sermo. Nā is, qui piè agere volentibus obsistit, atq; repugnat, si non absolutum in quosdam imperium nancisci potest, ex parte tamen eos sibi subijcere conatur. Diuina verò lex præcissam quandam discessionem facere iubet, nihilq; penitus nostrum ipsi relinqui, non animæ, non mentis particulam, non vllam corporalis affectionis ansam. Præterea debere nos, quæ in mundana vita pulcherrima, maximeq; eximia sunt, Deo offerre. Hoc enim significare, arbitror, ex Aegypto accipere, et sacrificare Deo. Nonne hoc faciunt, qui mundanæ sapientiæ adminiculis, sacris, diuinisq; nostris dogmatibus opitulantur? dictionis splendorem, et scientiæ acumen sectantes, cultumq; rationalem Deo persoluentes? *Omnis enim sapientia à Domino,* sicut scriptum est. Cœterum in spiritu mundano poëtas, et oratores Græcos in tantum eloquentiæ splendorem peruenisse dicimus. Vnde diuinus Paulus: *Nō spiritum, inquit, mundi huius accepimus, sed spiritum, qui ex Deo: vt sciamus, quæ ex Deo donata sunt nobis, quæ et loquimur, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ, sed in demonstratione spiritus.* Quòd autem Moyses adhuc verè in vmbris versabatur, eximia huius mundi non reiectanea fore dicens Deo naturaliter existēti, statim manifestè ostēdit: cœterum tanquam in figura, et vmbra. Præcipiente enim Deo, vt spoliarent Aegyptios, vtq; aurea, et argentea vasa à contubernalibus, et vicinis mutuarentur, per mulieres id perficitur. Nam eæ ferè dicacitate, linguæq; volubilitate pollent: et ad imposturas factæ sunt. Vasa verò aurea, et argentea ab Aegyptijs sumenda, significent, vt modò dixi, ea, quibus ornari se nonnulli in hoc mundo existimant, tametsi verum Deum agnouerint. Est verò huiusmodi quidpiam id, quod dico. Communes quidem sunt omnibus hominibus mentis, atq; animæ motus, facultasq; ad quodlibet bonum, et malum. Sed alij quidem, naturæ bonis bene vsi, præclaram, atque eximiam vitam agunt. Alij verò ad ea, quæ non decet, insipienter conuersi, naturæ bona quodammodo adulterant, et turpitudinis viam ingrediuntur. Fortitudo enim, et prudentia, bona quidem ijs, qui rectè vtuntur: damnosa vero ijs, qui non bene se gerunt. Licet enim viriliter agere, et sentire cum laude, atq; applausu. Licet autem rursus, vt eorum possessio cum magno dedecore nostro sit coniuncta. Hæc verò communia, et in omnibus sunt: tam in ijs, qui adhuc errant, quàm qui Deum agnouerūt. Quando itaq; pristina mali operatrix fortitudo, et intellectus acrimonia à nobis ad id, quod Deo placet, traducta fuerint, tantum non ab

Israelitæ hostijs Aegypriorū Deo sacrificātes quid spiritualiter significēt.

Ecclesiastici. 1.

1. Cor. 2.

ab Aegyptijs, eq; mundana vita assumpta, sacra, et accepta fient Deo. Adaptantur enim ad vsum virtutis, et ministerium sanctificationis, quēadmodum ferè aurea, atq; argentea Aegyptiorū vasa ad extructionem, perfectionemq; sancti tabernaculi vtilia esse declarata sunt. Spoliatis verò Aegyptijs, omniq; primogenito occiso, redempti sunt tandem Israëlitæ immolato agno in figuram Christi. Neque enim aliter id consequi poßibile erat. Omnis enim redemptio in Christo est, et per ipsum omne donum bonum. Emittuntur autem ex Aegypto sub mediam noctem, tantum non è tenebris, simul ac seruitute liberati. Seruitus enim peccati semper in tenebris intellectualibus, non autem in diuino lumine versari gaudet: *Quicunq; enim malè agit, odit lucem,* sicut scriptum est. Farinæ etiam massa infermentata effertur, et absque pulmento fugiunt. *Vrgebant enim, inquit, Aegyptij populum, vt festinanter de terra eijcerent eos. Dicebant enim: Omnes nos morimur. Tulit autem populus farinam suam, ante quam fermentarentur massæ eorum, super humeros suos illigatam in vestibus ipsorum.* Neque enim oportet eos, qui Deo adhærere, conglutinariq; velint, vllas mundanæ nequitiæ reliquias circūferre: neque extero, impuroq; viatico se instruere: (Manifestum verò est, quòd spirituali) sed infermentatos panes cupere, eumq; dinceps appetere, qui mundum viuificat. Qui enim ita comparati sunt, festum purè agentes, acceptumq; Deo cultum exhibentes, sub ipso perpetuò

Aegyptiorum vasa ad extructionē tabernaculi vtilia, spiritualiter declaratū.

Ioann. 3.

Exod. 12

manent. PAL. Reliquum igitur est, quòd veluti ad terram quandam sanctam peruenire oporteat eos, qui pij, ac boni vitam tyrannidis expertem sub Christo agere volunt: contendereq; debere ad sacrificandum, non in terra inimicorum, hoc est, non in habitu, consuetudineq; peccandi versantes, sed potius in exercitio virtutum, et statu morum longè à diabolica tyrannide alieno. CYRIL. Ne aliter rem habere suspiceris, quàm ita. Rectè enim sermo nobis institutus est. Cæterum alia etiam, si libet, ratione, siue figura hoc ipsum consideremus. Cum enim sua ad quoduis flagitij genus defectione vniuersorum saluatorem Deum offendere veriti non essent, ciuitatis sanctæ, hoc est, Ierusalem inhabitatores in Babyloniorum manus venerunt, qui eos, vt mancipia seruire cogebant. Imperantibus enim etiam inuitos parere necesse erat. Vnde vehementer afflicti, et inopinatas calamitates suas deplorantes, exiguum aliquod laboris sui solatium inuenire interdum quærebant. Hoc verò erat, diuinis cantibus doloris, quo afficiebantur, acerbitatē mittigare. *Memor enim fui Dei, et lætatus sum,* inquit diuinus ille Dauid: spirituale festum esse significans, Deum hymnis celebrare. Atqui turpe videbatur, dimittere volentibus ea, quæ solebant prestare, gratißimoq; sono alienigenarum aures demulcere, et suauißimum, iucundißimumq; melos in aërem quodammodo iactare, irridentibus interdum Babylonijs, atq; indignantibus per omnia organicæ modulationi. Proinde et dicebāt: *Super flumina

Psal. 76

Psal. 136

Babylonis illic sedimus, et fleuimus, dum recordaremur tuí Sion.*In qua secundum leges, et instituta Iudæorum laudis sacrificium offerebatur: quod ita chordis, et organis peragebatur, modulationibusq; diuinum templum ingredientes, oblectabat. Quoniam autem erant alieno iugo seruitutis obstricti, lamentantes dicunt:

Ibidem. *In salicibus in medio ipsius suspendimus organa nostra:* cessationem à cantando per hoc significantes. Sterilis enim imò potius frugiperda arbor est salix. Nam ὠ λεσίκαρπος, hoc est, frugiperda à Græcis poetis vocatur. Ociosa itaq;, et inutilia pendebant organa musica, huiusq; cessationis occasione exclamantes dicunt:

Organa Israelitarũ in salicibus suspensa, quid significet.

Ibidem. *Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?*Quum verò attulisset ad eos Baruch sermones Ieremiæ, *flerunt, inquit, omnes, et ieiunauerunt, et precati sunt precationem coram Domino, et contulerunt argẽtum, prout vniuscuiusq; manus poterat. Et miserunt Ierosolymam ad Ioachim filiũ Helkiæ filij Salom sacerdotẽ, et ad sacerdotes, et ad omnem populũ, qui inuentus est cũ illo in Ierusalem.* Et paulo post:*Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecuniam: et emite pecunia holocaustomata, et pro peccato, et thus: et facite manna, et conferte in altare domini Dei nostri. * Conuenire enim ipsis censebant nondum sacrificare, cum adhuc extra terram sanctam versarentur, neq; adhuc sub Deo agerent: sed quodammodo alteri subiugati essent, et tyrannicæ potestati subiacerent. Ijs vero, qui sanctam ciuitatem inhabitabant, et sancti sacerdotij gloriam nacti erant, hunc cultum tribuunt ratione recta: certe eius, quod decebat, fieriq; oportebat, ratione habita. Quin et ipse sapientissimus Daniel sacro quidem cultui, ac studio vacabat, vnà verò cum alijs captiuis existens, rei huius necessitatem comprobauit. Qua verò ratione, dicam. Orabat enim tribus diei tẽporibus, sed erant ei apertæ fenestræ in cænaculo, et spectantes versus Ierusalem, ita enim scriptum habetur. Vix enim tunc acceptam fore Deo orationem suam censebat è terra aliena, atq; odiosa, nisi, cum corpore non posset, animo saltem ab ea alienaretur, atq; ita mentis oculis ad amicissimam Deo terram respiciẽs, in ipsum quodammodo templum pro quibus vellet, preces immitteret. PALLADIVS. Pulchrè certè totus absolutus est sermo.

Dani. 6. Daniel orans fenestris versus Ierusalẽ apertis, quid significet.

Explicit liber primus.

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber secundus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

Quòd impossibile sit effugere mortem, quæ est ex peccato, et diaboli tyrannidem, nisi per sanctificationem secũdum Christum. Et, quòd non in Lege, sed in Christo sit iustificatio.

Dialogus secundus.

CYRILLVS.

DIscedendum quidẽ nobis esse, ò Palladi, ab ijs, quæ dãnosa esse solent, expetẽdam verò esse seruitutẽ sub Deo, vtpote quę cũ gloria, vtilitateq; nostra sit cõiuncta, luculento sermone nobis demõstratum est. PAL. Est certè. CYR. Quòd etiã totos nos à turpibus abductos ad meliora cõtendere oporteat, satis ostensum est. PAL. Omninò. CYR. His adiecimus, necessariũ esse vt ita deinceps à mundanis voluptatibus, earũq; fruitione quàm longissimè semoti, Deo sacrificare studeamus: vtq;, tanquã in deserto cõstituti, mentis affectu tranquillũ, purissimumq;, atq; ab omni inquinamento alienum, pulchrum verò, acceptũq; Deo cultũ exhibeamus. PAL. Ita est. CYR. Præterea quòd cõstringente nos, et sub tyrãnide sua detinere volẽte Satana, diuina lex nos ad libertatis dignitatẽ vocauit, introductionẽ ad optima quæq; illius vesaniæ opponẽs, et ad pręstãtissima manu ducẽs, quamplurimis exemplis declaratum est. PAL. Et quidem verè. CYRIL. Deus itaque salutis nostræ dux, totiusq; felicitatis nostræ largitor, familiaritatis cum ipso ineundæ viam nobis ostendit, mediante Christo. An nõ enim manifestus mediationis per Christum typus est, ea, que per Moysen præstita est? PAL. Quo pacto? CYR. Moyses enim à carnali seruitute Israelem liberauit, et à seruilibus circa lateres, et lutum operibus, mediatorq; Dei, et hominũ effectus, cœlestes sermones ad ipsos trãsuexit. At verò dominus noster Iesus Christus, ea, quæ in figuris, et vmbris latent, ad veritatem traducens, à spirituali seruitute nos asserit: peccatum, quod iam olim in nos tyrannidem exercebat, euellens: ac diaboli potestatem, quã in nos habebat, dissipãs, vtq; ab omni cogitatione terrena: carnalibusq; studijs discedamus, ipsumq; libẽti animo sequamur, persuadens, trãsformans etiam nos quodãmodo ad desideriũ virtutis, manifestissimeq; nobis Dei, ac Patris volũtatem annũtians. Vnde ita inquit. *Verba, quæ ego loquor, non sunt mea, sed

Moyses typus mediationis Christi.

Ioan. 12.

ſed eius, qui mittit me.* Et rurſum. *Ex me ipſo non loquor, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quod dicam, et quod loquar.* Moyſes itaq; figuram, ſiue typum mediationis in Chriſto, ea, quæ per ſe faciebat, ſtatuit dicens filijs Iſraël: *Prophetam ex fratribus tuis ſuſcitabit tibi, ſicut me, dominus Deus tuus, ipſum audietis, iuxta omnia quęcunq; petiſti à dño Deo tuo in Choreb die congregationis.* In typo igitur et figura, ea, quæ per Moyſen edita ſunt: mediationiſq; per ipſum vis conſiſtit. Ineffabilis verò in Chriſto mediationis, hæc ratio eſt: Ille enim Legis, atq; vmbrę miniſter erat, cęleſtiſq; inſtitutionis perlator: Chriſtus verò tãquam Legis, et prophetarum dominus, quæ ſibi videntur, ſtatuit: mediatorq; erat, concurrente in ipſo, et in vnum quodammodo coeunte, diuinitate, atq; humanitate. Vtrumq; enim ſimul intelligitur Chriſtus. Et Moyſes quidem tanquam famulus in totam eius domum fidelis: Chriſtus verò tãquam filius ſuper domum ſuam, cuius domus nos quidem ſumus, qui per fidem in ipſum ad veram libertatem ſumus adducti. Mediator itaq; carnalis libertatis, et literæ, ac vmbræ miniſter Moyſes: dominus autem noſter Ieſus Chriſtus, eorum, quę ſupra legem ſunt, autor, longè præſtantiore quàm carnali libertate, ſpirituali nimirum, nos donauit. Quocirca etiam ſpiritualiter liberatis Iſraëlitis ita ait: *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis: et cognoſcetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Et rurſus: *Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo in ſeculum. Filius manet in ſeculum. Si itaq; filius liberauit vos, re vera liberi eſtis.* PAL. Optimè dicis. CYRIL. Gloriemur itaq;, non ijs, quæ ſecundum carnem ſplendida ſunt, ſed ijs, quæ in ſpiritu, et iuſtitia ſecundum Chriſtum: non ea, quæ ſecundum Legem. Si enim eum, qui ſeruus adhuc eſt ſub peccato, Lex minimè iuſtificat, quin potius iudicat, et accuſat præuaricatores, quo pacto non manifeſtum ſit, quòd omnis iuſtificatio ſit in Chriſto, perfectioq;, quæ in ſpiritu per ſanctificationem per ipſum, et in ipſo? Vnde et ſapientiſsimus Paulus ita ſcribit. *Potentia enim Dei eſt omni credenti, Iudæo primũ, et Græco. Iuſtitia enim Dei in ipſo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autẽ ex fide viuet.* Quàm verò infirma, et inutilis ſit vetus Lex, ita deſcribit, dicẽs: Quòd verò in Lege nemo iuſtificetur apud Deum, manifeſtũ eſt: quia iuſtus ex fide viuet. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in eis. In Chriſto itaq; iuſtificamur per fidem, et à ſeruitute ſpirituali liberamur. PAL. Inutilis igitur eſt Lex? CYR. Non hoc aio. Neq; enim fruſtra oraculo edita eſt, imo potius data eſt in auxilium ſecundùm ſcripturam. Quatenus enim ducit ad diſciplinam, et ad cognitionem peccati, et ad accipienda principia, atque elementa ſermonum Dei, quomodo nõ vtilis cenſenda eſt? Inutilior verò eſt ad abluenda peccata, neq; nos perfectè ſanctificare poteſt. Quod et Paulus nobis innuit, dicens: *Scimus verò, quòd quæcunq; Lex dicit, ijs, qui in Lege ſunt, loquitur: vt omne os obſtruatur,

Deuter. 18.

Mediatio Moyſis, et Chriſti quo differant.

Fideles, domus Chriſti.

Ioann. 8.

Iuſtificatio in ſpiritu per Chriſtũ, et in Chriſto. Rom. 1.

Lex ad quid ſit inutilis. Rom. 3.

ſtruatur, et ſubditus fiat omnis mundus Deo. Quia ex operibus Legis non iuſtificabitur coram eo omnis caro. Per Legem enim cognitio peccati.* Peccati itaq; index eſt Lex, non autem virtutis gloriam nobis conciliat. Dicere enim, Non fornicaberis, Non facies adulterium, Non furaberis, Non peierabis, et his annexa, eſt eius, qui vitiorum ſpecies nobis ſignificat, et ab immunditia dimouet, non verò eius, qui virtutis cognitionem inducit, aut inculpatæ vitæ notitiam auditoribus perſpicuam facit: adeò, vt abſurdum putem, eximiæ vitæ rationem eam iudicare, quæ à turpibus caueat: quin potius ita cenſeo, nos in omni virtutum genere excultos omne punctum auferre debere, ſemouentes, reijcientesq; à nobis malum: atque infra nos manere ſinētes, quidquid nequitiæ ſuſpitione, aut prophana abominatione non vacet, ad ſummum virtutis culmen contendere.

Quamobrem dominus noſter Ieſus
Matth. 5 Chriſtus:* Amen amen, inquit, dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, et Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vides, quo pacto maiorem, quàm quæ in Lege eſt, iuſtitiam Saluator noſter requirat. Quod cum pulchrè intelligeret ſapiens ille
Philip. 3. Paulus, ita ſcribit: *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis. Circuncisus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Beniamim. Hebræus ex Hebræis, ſecundum Legem Phariſæus. Secundum æmulationem perſequens eccleſiam. Secundum iuſtitiam, quæ eſt in Lege, factus inculpatus. Sed quæ mihi erant lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti domini noſtri, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ſtercora eſſe, vt Chriſtum lucrifaciam, et inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex Lege eſt, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti. PAL. Intelligo. Manifeſtus enim ſermo eſt. Cœterum hoc etiam mihi velim dicas: Cur non potius ab initio hæc, quæ nobis per fidē præſtatur iuſtitia, quæq; per eam ſanctificatio promulgata eſt, cum alioqui vetus lex ad perfectionem non ſufficeret? CYRIL. Dicam amice. Abluuntur enim primum, et quidem non ab re, ſordes: et quod inquinatum erat, abſtergitur: quæq; obſcurata erant, illuſtrantur. Conuenit enim, iuxta Saluatoris vocem, curari, quod morbidum erat: et ad pœnitentiam vocari nondum ſanctificatos, ſed peccatorum pondere oppreſſos. An non enim prius cognoſci oportet eos: qui ad remiſsionem vocantur, et à morbo, quo periclitantur, liberatos videri? Neceſſe enim erat tanquam indicem quendam, atque accuſatorem communis omnium infirmitatis, quiq; peccata noſtra nobis ob oculos poneret, Legem præmitti; vt diuinæ benignitatis magnitudo per Chriſtum erga nos editæ: non ignoraretur. Vbi enim, aut quo pacto condonationis beneficium conſtare poteſt, niſi accuſatio prius inſtituatur? Atqui ſi veterum commentarios breuiter percurrere velimus, dicam rurſus, quòd

Lex iuſtificationis per fidem, cur nō ab initio promulgata fuerit.

Abrahæ

Abrahæ quidem promisit Deus gratiam per fidem, et tanquam in primitijs eorum, qui misericordiam experti sunt, antiquiorem in ipso ex benignitate sua remissionem, quàm Legem edidit. Scriptũ est enim: *Quia credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.* Quod et Paulus testatur, dicens: *Quomodo ergo reputatus est? In circuncisione, an in præputio? Non in circũcisione, inquit, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, et à Deo audiuit, dicente expresse: Quia benedicentur in te omnes gentes.* Hoc verò, in te, significat ad similitudinem tuam. Atq; intelligens Paulus etiam ait: *Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes.* Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Signaculum itaq; fidei in præputio, est circũcisio. Iustificatus autem est, non ex operibus Legis: et circuncisione carnis, antiquior apparet fidei gloria. Amicus enim vocatus est Dei. PAL. Quænam verò fuerit hæc dilatio sanctificationis secundum fidem, adhuc dubitem, et quare antiquius statuatur signum, et in secundis quodammodo, quod superius est? CYR. An non modo diximus, admirandi, atq; ineffabilis cuiusdam artificij opus esse, quòd Lex condemnans, fidem iustificantem tẽpore præcedat? Aut nonne *lux in tenebris lucet, et virtus in infirmitate perficitur,* secundum scripturam? PAL. Rectè dicis. CYRIL. Lex itaq; insinuata est, vt redundet peccatum. Cuius enim lex non est, eius neq; transgressio vlla est. Transgressionis verò, procliuitatisq; in vitia, quo pacto quis remissionem consequatur, nisi nos Lex prius condemnet? Quòd verò ea, quæ dico, vera sint, quodq; minimè vanus, aut absurdus hac de re sermo sit, concludet Paulus, dicens: Quod lex propter transgressionem posita est, donec veniat semen, quod promissum est ordinatione angelorum. Sapiens enim Paulus eas, quas nonnulli aliquando multa verborum congerie difficultates, dubitationesq; mouent, præcidere conatur. Verisimile enim erat, nõ defuturos, qui hanc iustitiæ, quæ est per fidem, dilationem incusarent, et Legis irrogationem in veteris illius promissionis derogationem factam contenderent. Quo circa ita ait: *Lex ergo aduersus promissiones Dei? Absit. Si enim data esset Lex, quæ posset viuificare, verè in Lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus. Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat in nos. Itaq; Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Delet verò quodammodo omnem dubitationem optimè adijciẽs: *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos, et triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad euacuandã promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam nõ ex promissione, Abrahæ autem per promissionem donauit

Rom. 4. — Benedicentur in te, id est, ad similitudinem tuam. — Gal. 3. — Ioann. 1. — Galat. 3.

uit Deus. Cōcludens itaq; nos in peccatum Lex pædagogus noſter effecta eſt ad Chriſtum. Finis enim Legis, ac prophetarum Chriſtus.* Quocirca et Iudæorum turbis non credētibus ipſi, dixit: *Si credidiſtis Moyſi, mihi vtiq; credidiſtis. Nam ille de me ſcripſit.* Iuſtificamur enim, nō ex operibus Legis, ſed potius fide, quæ eſt in Chriſtum. *Quicunque enim ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea.* Cœterum Chriſtus nos omnes ex maledicto Legis redemit, factus pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim: *Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto, vt promiſsionis ſpiritum accipiamus per fidem. PAL. Cœterum iam, ſi placet, aliam perutilem cōmentationem aggrediamur. Nam de Lege, eiuſq; œconomia hęc dicta ſufficiant. CYRIL. Dic igitur, quod tibi magis placuerit, quodq; mihi non impoſsibile comprehenſu ſit. PAL. Imò non admodum ardua, aut inuia eſt dubitatio: quin potius minimo negotio te quæſtioni reſponſurum ſcio, Chriſto diuinam ſuam lucem immittente. An non incruentis oblationibus Deum colemus, cùm iam iuſtitiam, quæ in fide eſt, ſuſcepimus: eumq;, qui in vmbris, et figuris verſatur, cultum reiecerimus? CYRIL. Rectè dicis. Scriptum eſt enim: *Honora Deum tuis iuſtis laboribus: et primitias offer ei à tuis fructibus iuſtitiæ,* iuxta ſanctorum vocem. PAL. Vanum itaque eſt boues ſacrificare velle, et veteris Legis

Ioann. 5.

Gal. 3.

Deuter. 21.

Deuter. 21.

Prou. 3.

mandata exequi, vt ſunt ouium immolationes, et ſuffitus: præterea placentæ, et ſimilago oleo aſperſa, turtures etiam, et columbæ, aliaq; id genus illius ſeculi cultorum donaria. Sed dic obſecro, cur nō ab initio hæc reijci iuſſa ſunt, ſed nūc potius Deus ea, quibus gaudet, edicere cernitur, et ſpiritualis ſacrificij modos nobis reuelare? CYR. Cenſes itaque, et dicere audes, non rectè Deum in principio conſilium iniſſe, ſed erraſſe, tanquam eius quod perfectè bonum erat, maximum, vix inuenire potuerit: aut alioqui quaſi voluerit quidem tunc ea, quæ veluti in vmbris, quæq; ſuo iudicio ſufficere videbantur. at verò nouo quodam erga nos affectu adductum, alijs abolitis, nouum quendam, et veteribus ignotum cultum effinxiſſe. PAL. Equidem hoc meras nugas eſſe exiſtimem. Neque verò arbitror errorem vlla ratione in Deum cadere poſſe. Velim autem perlibenter conſilij diuini rationem intelligere, cur nimirum ijs, qui in terra degunt, illa quidem tunc, nunc verò hæc edixerit? CYR. Iterare nos ea, quæ dicta ſunt, ſermo tuus cogit. An non enim dixi, Legem pædagogum fuiſſe, hoc eſt, eorum, qui infantes adhuc erant, magiſtrum? et quæ ijs, qui nondum, quid verè bonum eſſet, percipere poterant, et quænam eſſet Dei voluntas, ignorabāt, id, quod perfectum, Deoq; acceptum eſt, per imaginem indicaret: et veluti rudibus quibuſdam figuris oſtenderet? Neq; enim abſque multo ſudore ſpiritualis cultus ratio dicitur: qui quidem fuit ſemper, et in principio pergratus Deo: inacceſſus verò, et

incomprehensibilis Iudæorum animus. Idcirco sermones pueris apto egebant, et rudi, ac simplici doctrinæ, disciplinæq; genere, quæ nihil in se difficile, atq; arduum haberet. Edixit enim etiam olim ea, quæ in figuris sunt, Deus: præmonstrauit etiam, tanquam futura, et secundum tempora euentura, ea, quæ ex vero cultu sunt. Et reiecit quidem eas, quæ per sanguinem fiunt, supplicationes, atque vmbram, per Amos
Amos.5. prophetam dicens: *Odi, et proieci festiuitates vestras, et non capiam odorem in cœtibus vestris. Quòd si obtuleritis mihi holocaustomata, et sacrificia vestra, non respiciam. Aufer à me sonitum carminum tuorum, et cantica organorum vestrorum non audiam.* Per Micheam etiam inducta est persona viri, qua nam ratione bonum inculpatè perfici
Mich.6. possit, discere cupientis. *In quo apprehendam Dominum, suscipiam Deum meum excelsum? Nunquid offeram ei holocaustomata, et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in myriadibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenita mea fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Deinde consequenter subijcit: *Indicabo tibi, inquit, ô homo, quid sit bonũ, et quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudicium, et diligere misericordiam, et paratum esse ad ambulãdum cum domino Deo tuo.* Nonne hoc ma-
Matth. 16. nifestè est, quod Christus ait: *Si quis vult post me venire, neget seipsum, et tollat crucem suam, et sequa
Luc.9. tur me.* Et rursus: *Qui me amat, sequatur me: et vbi ego sum, illic et minister meus sit.* Non in legali cultu ea, quæ secundum Christum sunt, consistunt: sed in sancto atque spirituali. PAL. Rectissimè dicis. CYRIL. Atqui per vocem Esaiæ multo acrius Israelitas increpat, dicens: *Audite verba Domi- Esai.1.
ni principes Sodomorum, percipite legem Dei populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum holocaustorum arietũ, adipem ouium, et sanguinem taurorum, et hircorum nolo: neq; veneritis ad apparendum mihi. Quis enim postulauit hæc de manibus vestris? Calcare atrium meum ne pergatis. Si obtuleritis siliginem, frustra, suffimentum, fastidium mihi est. Neomenias vestras, et sabbata, et diem magnum non sustineo. Ieiunium, et cessationem, et festiuitates vestras odio habuit anima mea. Facti estis mihi in satietatem.* Per prophetam etiam Malachiam hoc ad eos, qui ipsi vehementer odiosi sunt, dicit: Meminit autem temporum, in quibus per vniuersam terram incruentum, et spirituale sacrificium ipsi oblaturi essent, incomparabilem odorem suauitatis spirans. Ita enim ibi dicit:
*Non est mihi voluntas in vobis, di- Malac.1.
cit Dominus exercituum: et sacrificium non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum glorificatum est nomen meum in gẽtibus: et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purũ, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituũ.* Intelligis, quo pacto suffitum, sacrificiũq; purũ ipsi ab omnibus gentibus

offe-

offerendum dicat? Quemadmodum verò recens nobis et in Christo testamentum, nouum vocans, vetus antiquauit. Ita enim nobis diuinus ille Paulus ſcribit, purum dicēs ab omnibus gentibus ſacrificium ſecundum tempora offerendum, nimirum hoc ipſo, vetus tale non eſſe redarguens. Quo pacto enim purum eſſe poteſt, quod neq; purgandi nos, neq; ad perfectum virtutis ſtatum perducendi vim habet? Hoc itaq; beatus Paulus fuiſſe, inquit, non omnino irreprehēſibile: inductum verò neceſſariò id quod per Christum: et ſecundi ſacrificij quęſitum locū. PAL. Igitur non omnimodo gratus eſt Deo cultus, qui in vmbris conſiſtit. CYR. Omnino. Quinetiam audi illum per vocē Ieremiæ ita ad Iſraëlitas dicentem: *Hęc dicit Dominus: Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, et comedite carnes. Quia non ſum loquutus cum patribus veſtris: et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatū, et victimarum. Sed hoc verbum pręcepi eis, dicens: Audite vocem meā.* Quantum enim pertinet ad id, quod exactè legiſlatori placet, nō in vniuerſum in principio, quæ in vmbris erat adhuc, edixit Lex, ſpirituali cultu ſilētio præterito. Quoniam verò difficilis res erat, et ijs, qui tunc erant, bonū perfectè implere poſſe, nōdum expeditum, ac procliue erat, imo potius aſperum, atq; arduū, puerilis quodāmodo exercitatio, veritatis ſpeciē habens, Lex nimirum in litera œconomicè promulgata eſt. Verūtamen declarauit apertè intellectuum noſtrorum arbiter, quòd nō illa potius ipſi iucunda ſint, optatiſſima verò, iucundiſſimaq; eſſe ea, quæ per Christum. Quocirca ita rurſus inquit: Propterea ſuccidi veſtros prophetas, occidi eos in verbis oris mei: et iudiciū meū quaſi lux egredietur. Quia miſericordiam volo, et non ſacrificium, et ſciētiam Dei magis quam holocauſtomata. Multo enim præſtantior eſt apud Deum vitulorū occiſione, et ouium immolatione, dilectio erga fratres ad Legis impletionem, et ſublimitas cognitionis Christi, per quē Pater etiā nobis innoteſcit. Quòd verò res hæc vitā æternā nobis cōciliet, nemo quidem dubitauerit, dicente Christo ad Patrē, qui in cœlis eſt: * Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verū Deū, et quē miſiſti Ieſum Christū.* Quòd autē veritas nulla ratione falli poſſit, quo pacto ambigi queat? PALLA. Minimè certè. CYR. Cum autē à familiaritate cum ipſo Iſraël excidiſſet (ſiquidē fide deſtituta nō nouerat Deū) non aliter rediturum ad id, quod in principio erat, pulchrè aſſerit, niſi per ſolū Christū, abſiſtentē à ritibus Legis. Scriptum eſt enim rurſus: *Quia dies multos ſedebūt filij Iſraël ſine rege, et ſine principe, et ſine ſacrificio, et ſine altari, et ſine ſacerdotio, et ſine declarationibus. Et poſt hæc reuertētur filij Iſraël, et quęrent dn̄m Deū ſuum, et Dauid regē ipſorū: et ſtupebunt in Dn̄o, et in bonis eius nouiſſimis diebus.* Quādo enim plenitudo gentium aduenerit, tunc omnis Iſraël ſaluabitur, cœterū in Christo.* Appellatus autē eſt Dauid, quòd ex ſemine eſſet, et tribu Dauid. Abolenda autē eſſe ipſa etiam ſecundū Legē ſacrificia, manifeſtè per Ioël prophetā confirmat, dicēs: * Accingite vos, et plāgite ſacerdotes: lamen-

Margin notes: ἀβουλήτως. — Iere. 7. — Ioān. 17. — Oſee. 3. Vulg. habet: et ſine ephod, et ſine Hieraphim. — Rom. 11. Christus Dauid vocatus: quod ex ſemine Dauid eſſet. — Ioel. 1.

Prophetiæ de abolendis sacrificijs Legis. Ioel.1.

mentamini, qui ministratis altari. Ingredimini, dormite in saccis, qui ministratis Deo, quia defecit de domo Dei vestri sacrificium, et libatio.* Et rursus per eundē prophetā: *Ablatū est sacrificiū, et libatio de domo Domini: lugete sacerdotes ministrantes altari.* Præter hæc tabernaculum ipsum de medio tollendum pollicetur, dicens: *Et erit, cum multiplicati, et aucti fueritis in terra, dicit Dñs: In diebus illis nō dicent amplius: Arca testamenti Dñi sancti Israel. Non ascēdet in cor, neq; nominabitur, neq; aspicietur, neq; fiet amplius.* Cum enim sacrificia, quę adhuc in typis cōsistebant, et sanguine peragebantur, ad perfectionē perducta fuerint, necesse omnino est, tabernaculū etiam ipsum è medio tolli, postquā nimirū verum tabernaculū erectum fuerit, hoc est, ecclesia: de qua Christus ipse dixit: *Hîc habitabo, quia elegi ipsam.* Quòd verò cultus ratio in melius, atq; præstātius transferetur, atq; mutabitur, nimirum ad eum qui in Christo est, ac nouum, manifestum esse potest ex Malachia, ita nobis de Deo scribente: *Et purgabit filios Leui, et colabit eos quasi aurum, et argētum: et erunt Dño offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificiū Iuda, et Ierusalem sicut dies seculi, et sicut anni antiqui.* Intelligis itaq;, quòd tantum non instaurationem quādam, et reformationem sacerdotij, et sacrificiorū futuram dicat? PAL. Intelligo. CYR. Hoc enim Colabit, purgabitq; eos, tanquam de auro, fabroq; aurario dictum, an non hoc nobis insinuare velle videtur? PAL. Omnino. CYR. Quòd enim huiusmodi quid Verbum homo factum præstiturum esset, certam nobis Deus, ac Pater fiduciam facit, dicens: *Quia statim veniet in tēplum suum Dominus, quem vos quæritis: et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis sustinebit diem aduentus eius? Et quis subsistet in conspectu eius? Ipse enim ingreditur tanquam ignis conflatorij, et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, et emundans tanquam argentum, et tanquam aurū.* Innouationem itaq; reformationemq; sacerdotij futurā inquit: et sacrificij rationem nō aliud quid, quàm Christi mysterium esse ostendens, rursus per vocem Ezechielis ita ait de ijs, qui ad sacrificandum electi erant: *Hi accedent ad me, vt ministrent mihi: et stabunt ante conspectum meum, vt offerant mihi victimam, adipem, et sanguinem, dicit dominus Deus. Hi ingredietur in sancta mea. Hi accedent ad mensam meam, vt ministrent mihi, et adipem, et sanguinem, et mensę ministeria.* An nō hoc meritò dicat Christi mysteriū. PAL. Rectè dicis. CYR. Quin et tempus ipsum, quo omnia in melius singulari quadam innouatione transferrentur, notissimam nobis Deus esse voluit, dicens: Et erit à die octaua, et vltra facient sacerdotes super altare holocaustomata vestra, et quæ salutis vestræ sunt. Et suscipiā vos dicit Dominus. Octauam verò diem tempus resurrectionis Saluatoris nostri appellat, in quo holocaustomata, siue solida sacrificia, hoc est, perfecta, atq; integra in Deum consecratio fidelium à Deo suscepta est, et spiritualium munerum oblatio: quod et diuinus Paulus docebit scribens: *Per

Psal. 131.

Prophetiæ de cultu veteris testamenti in melius transferēdo.

Malach. 3.

Malach. 3.

Ezechiel 44.

Hebr. 5.

Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Et rurſus: *Beneficentiæ autem, et communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Fructus enim, qui à nobis in fide iuſtificatis Deo offeruntur, qui nam alij cēſendi ſunt, quam multa, atq; adeò perpetua glorificatio, et puriſsimum ſacrificium inculpatæ vitæ, incomparabili odoris ſuauitate fragrans. PA. Pulchrè, vereq; diſſeris, quòd iuſtificatur quis, non quidem in Lege, ſed potius per fidem in Chriſto, et euangelicam diſciplinam. Velim autem nobis huius rei declarationem exemplis comprobari, quæ ex ſacris literis ſint petita. CYR. Ego verò perlibenter id fecerim, quandoquidem ita tibi videtur. Tu verò me exactam, ac puram vniuscuiuſq; theorematis intelligentiam percontare: et ſi quid tibi minus rectè intelligere, vel dicere videbor, diligenter corrige, atq; immuta, prçſtantiſsimos fabros imitās: qui, quando id, quod in manibus habent, decentem rationem excedit, artificioſè ad id, quòd rectiſsimè ſe habere videtur, concinnant. Exordium verò horum ſermonum a Moyſe ſacræ legis interprete ſumemus: totâq; ipſius hiſtoriam percurrentes, quàm potero optimè declarare, clariſsimeq; demonſtrare conabor, Legem quidem nihil perficere, neq; ad ſalutem conſequēdam ſufficere: Redemptorem verò omnium ac Saluatorē eſſe Chriſtum. PAL. Non mediocrem vtilitatem te allaturum ſcito, ſi laborem hunc non ſubterfugeris. Difficillima enim ſunt, quæ præ manibus habemus, et perquam ardua propoſitæ rei cognitio. At verò diues, qui reuelat, Deus. CYR. Rectè dicis: Tuus enim ſermo me inſtar canum minimè ſagacium, ad veſtigia profundiſsimorum, atq; obſcuriſsimorum ſenſuum indaganda prouocat. Cum itaq; olim in deſerto Madian ouium greges paſceret Moyſes, iamq; ad ipſum culmen montis Choreb perueniſſet, res quædam noua, atq; admiranda ipſi, Deo autore, oſtēſa eſt. *Apparuit enim ipſi, inquit, angelus in flamma ignis in rubo. Et vidit, quòd rubus ardebat igne, et rubus non comburebatur. Dixit ergo Moyſes: Vadam, et videbo viſionem hanc magnam, quia nō comburitur rubus.* Atqui rubus nō eſt ex lignis domeſticis, ac mitibus, ſed potius ſpecies ſpinæ agreſtis, et radicis montanæ, in qua horrendum hoc miraculū editum eſt, myſterij typum pulchrè adimplens. Angelus enim erat tanquam in ſpecie ignis totus totum depaſcens: nullum verò ligno ignito efficatiæ ſenſum immittēs, ſed perinde, ac ſi non adeſſet, ne tantilla quidē caliditatis pars: quæ, vt ex igne procedebat, ad lignum perueniebat. PAL. Quid igitur hoc ſibi vult? CYRIL. Cum enim Iſraël lignum quodāmodo agreſte factum eſſet, et ſuaues iuſtitiæ fructus non haberet, Lex per angelos danda erat, quæ quidem ſufficiens eſſet ad illuminādum (modo ſpiritualiter intelligeretur) et ad mentis tenebras diſcutiendum. Hæc enim ignis efficacia eſt. Cęterum accipientibus inutilis eſt. Non autem omnino per ſe, ſed quia lumen mēte ác corde non ſuſceperunt, ad quos hic ſermo pertinet: foris autem, tanquā illuminationis ſpeciem, literam

Lex nihic perficit, neq; ad ſalutē ſufficit.

Exod. 3. Rubus ardens quid ſpiritualiter ſignificet.

Vide q̄ de re myſterium hic intelligēdum ſit.

præ se ferunt, quodq; habere se cogitabant, revera nõ habent. Flammam enim in rubo visam, nullum verò caliditatis sensum cum ligno communicatum, tale quid significat, vt mihi quidem videtur. Quòd verò inutilis fuerit Iudæis, quæ ex Lege facta est lux, Saluator ipse declarat, dicens: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitã æternam habere: et illæ sunt, quæ testimonium perhibẽt de me. Et nõ vultis venire ad me, vt vitam habeatis.* Et paulo post ad principes Iudæorum, et ad omnem populum: *Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud patrem. Est qui acusat vos Moyses, in quẽ vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis etiam mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis nõ creditis, quomodo verbis meis credetis?* Qui enim in vniuersum elemẽtorum institutionem per Legem reiecerunt, quo pacto admittãt id, quod perfectam Christi cognitionem inducit? Moyses itaq; videns ardẽtem quidem rubum, non tamen comburi, sed ne parere quidem igni, obstupefactus est. Quid quòd nõ comburitur rubus? Admiretur verò quis extremam Iudæorum stupiditatem, et sensus carentiam, qui cum adiutorem, atq; auxiliatorem Legem à Deo suscepissent, eiusq; illuminatione locupletati essent, neglecto postmodum negocio, neq; in mentem et cor immisso munere, inutiles permanserunt. Mortua enim quodãmodo illis atq; arida mens erat: et meritò quis de ijs dixerit: Quid quòd non comburitur rubus? PAL. Rectè dicis. CYR. Sed et alium sensum non inepta contemplatione res ipsa nobis ostẽdit. Cum enim iam Israëlitæ Aegypto egressuri essent, neq; adhuc violentæ seruitutis iugum excutere possent, idcirco Deus, quod ipsis adhuc cum imperãtis ira negocium esset, hoc signum dedit, quod in rubo factum est: quòd nimirum igne ipso fortiores futuri essent: et ab ijs, qui eos opprimere conabantur, inuincibiles, iuxta illud, opinor, quod dictum est: Noli timere, quia tecum sum. Flamma nõ aduret te, neq; fluuij concludent te. PAL. Aptè dicis. CYR. Perculsus itaq; est hoc spectaculo Moyses. Atqui propius accedere cupiebat. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad vidẽdum, vocauit eum de medio rubi, dicens: *Moyses, Moyses? Qui respõdit: Quid est? Ne appropies huc. Solue calciamẽtum ex pedibus tuis. Locus enim, in quo stetisti, terra sancta est.* Legis autem typus Moyses nobis est. Moysen enim habent, et prophetas, in euangelicis oraculis beatus Abraham dicit. An nõ tibi verisimile, quod dico, videtur? PAL. Omnino. Legis enim figura Moyses. CYR. Vocatur itaq; Israël, et omnis, quæ secundum Legem, et sub Lege, turba. Dominus enim, inquit, Deus Hebræorum accersit vos: Et obedijt quidẽ vocanti Deo, sicut et Moyses. Omnia enim quæcunq; dixit Dominus, faciemus, et audiemus. Quoniam verò obedientiæ secũdum Legem vis, atq; potestas ad purgandum sufficiens nõ erat, sanguis verò taurorum, et hircorum peccata tollere nõ potest, prohibetur Moyses propius ad Deum accedere. Ne appropies enim huc, inquit. Bonum enim per Legem adiri non potest: et vitæ secũdum Moysen institutæ ratio debilior est, quàm vt

Lux Legis Iudæorũ inutilis.

Ioãn. 5.

Esai. 43.

Exod. 3.

Moyses Legis typus.

nos perfectè ad Deũ deducere queat. Assistit autem nos sibi per sanctificationem Christus. Sanctos enim esse decet, qui sancto Deo coniungi velint. Sancti enim eritis, inquit, quia ego sanctus sum. Quòd verò vitæ secundum Legem ratio nõ omnino inculpata sit, statim docuit, dicens: Solue calciamẽtum ex pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est. Dissoluere enim calciamẽtum iubet ex pede Moysis, indicans nondum purum, neq; ab interitu, ac morte operum liberum esse, vitæ secũdum Legem cursum. Ex consuetudine verò, quæ apud Græcos inualuit, diuinus Moyses nos docet, fas non esse, vt propius ad Deum accedat, qui in reliquijs mortis, atq; interitus versetur. Neq; enim ingrediebantur templa, calceos ex mortuorum animaliũ corijs factos pedibus gerentes. Pro inquinamento enim eorum legibus ea res habebatur. Porrò à morte, atq; interitu, et ab ijs, qui nos in tantam immundiciam ducunt, nequaquam nos Lex dissoluit, neq; institutum vitæ secundum literam Mosaycam, at potius fides in Christo, et euangelicæ vitæ perfectissima purgatio. Nonne ita, vt dico, res se habet? PAL. Omnino. CYR. Cum itaq; calciamentum pedis dissoluisset, et accurrens prope astaret, locutus est ei Deus, dicens:

Exod. 3. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã, et Deus Isaac, et Deus Iacob.* Auertit autem, inquit, Moyses faciẽ suam. Non enim audebat aspicere cõtra faciem ipsius. Depositis enim mortuis sensibus, et quodãmodo puro, liberoq; pede vitæ in Christo viã calcantes, prope quidem Deum erimus, possessione nimirum spirituali, et non secundum loci distãtiam: quorum typus, atq; vmbra sunt, quæ de Moyse dicuntur. Atq; ita deinceps de cœlesti disciplina sermonibus locupletabimur, et Dei cognitionem in nobis ipsis cõparabimus, seipsum nobis in Filio ostẽdente Patre. Videbimus enim ipsum, et quidem incõparabiliter melius, quàm sicut vetustus ille populus, aut in persona Moysis. Hic enim auertit faciem suã, neq; audebat aspicere cõtra faciem ipsius. Quo significatur, eorum, qui in Lege instituti sunt, mẽtis imbecillitas, nulla ratione ad Deum suspicere, neque gloriam eius intueri valentis, iuxta id, quod in psalmis decantatum est:

Obtenebrentur oculi eorum, vt nõ videant. Aut illud: *Ecce populus stultus, et carens corde: oculi ipsis, et nõ vident.* Nos verò sermonibus de ineffabili natura insigniti, puris, atq; illuminatis oculis in Filio eximiam Dei, ac Patris pulchritudinem cõtuemur. Et Iudeis quidẽ existimantibus se vidisse Patrem, sapiẽter à Christo dictũ est: Neq; speciẽ ipsius vidistis, neq; vocem ipsius audiuistis. Percunctanti verò Philippo, et quidem crassius, quàm oportebat, studio tamen discẽdi, interrogãte, atq; dicẽte: *Domine ostẽde nobis patrem, et sufficit nobis, respondit Christus: Tanto tẽpore vobiscum sum, et nescis, quòd qui vidit me, vidit et Patrẽ? Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est.* Quod verò contẽplatio, institutioq; mãdati secundũ Legẽ non satis firma, neq; sufficiẽs sit ad Dei demõstrationẽ, tãquã in vmbra, ac figura, etiã per duas filias Laban videre est. Scriptũ est enim: *Quòd Laban duę erant filię. Grãdiori, nomen erat Lia: iunio-

Psal. 68. | Ioan. 5. | Ioan. 14. | Lia, et Rachel filiæ Labã, quid spiritualiter signi ficent. Gen. 29.

iuniori, Rachel. Oculi verò Liç erãt infirmi. Rachel autem formosa facie, et pulcherrimo aspectu. Amauit autem patriarcha Iacob Rachelem, duxit verò antè ipsam Liam.* Si ergo typum ad veritatem transferas, Christi mysterium intelliges. Duæ enim sunt ad spiritualem consuetudinem vocatæ, ipsiq; congruæ mulieres. Senior quidē prima: et per Moysen tanquam in figura synagogæ Iudæorum: ad quam dictum est à Deo

Iere. 22. per vocem prophetarum: *Ecce nō sunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum: sed ad auaritiam tuam, et ad iniquitatem tuam, et ad faciendam cædem.* Altera verò est iunior, et elegantior, hoc est, ecclesia ex gentibus: ad quam diuinus ille Dauid in-

Psal. 44. quit: *Audi filia, et vide: inclina aurem tuam, et obliuiscere populi tui, et domus patris tui, quia concupiuit Rex pulchritudinem tuam.* Dictū etiam est alibi ad eam etiam hoc:

Cant. 1. *Oculi tui columbæ.* Spiritualis verò, et supramūdana re vera est ecclesiæ pulchritudo. Scriptum est enim:

Psal. 44. *Quòd omnis gloria filiæ regis, Esebon.* Hebræa autem hæc vox, Esebon, internè significat. Corporeis enim oculis comprehendi non potest. Pura verò mente facilè cerni potest. An non ita se res habet? PAL. Omnino. CYR. Nequaquam igitur quis per institutionem secundum Legem diuinam immortalemq; pulchritudinem cernere possit, sed in Christo potius, et doctrina ab eo edita. PAL. Rectè. CYR. Sufficiens verò ad redimendum nos, ô Palladi, et à diabolica manu, tyrannideq; eripiēdum, non Moyses, aut Lex, sed Moysis Dominus, hoc est, Christus: et mysterij ab eo instituti vis, atq; potestas, Deo ipso ita dicente: Vidi afflictionē populi mei in Aegypto, et clamorē eius audiui ab ijs, qui operibus præsunt. Scio enim dolorem ipsorum, et ascendi, vt liberem eos de manibus Aegyptiorū, et educam de terra illa in terram bonam, et spaciosam, in terram, quæ fluit lacte, et melle. Subijcit verò: *Ecce clamor filiorum Israël venit ad me, vidiq; afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. Sed nunc mittam te illuc ad Pharaonem regem Aegypti, et educes populum meum filios Israël ex terra Aegypti.* Moyses verò apertè ad Deum clamat, dicens: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, et educam filios Israël ex Aegypto?* An non itaq; manifestus est typus, et excusationis modus? Quodq; potestatem hanc ad aliud incomparabiliter maius, atque sublimius referat, hoc est, ad Christum? Cui quidem inconueniens sit dicere, Quis sum ego? Quin potius facillimum est, eripere populos, et saluare gentes, inq; libertatem asserere, protrito, atq; dissipato eo, qui in seruitute continebat, hoc est, Satana. PAL. Facillimum. Rectè enim dicis. CYR. Quid? An nō hinc nullo omnino negotio intelligas, vnigenitum communis omnium nostrū salutis autorem extitisse? Per ipsum enim redempti sumus, quod propheta etiam testatur. Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus saluauit nos. PAL. Vnde obsecro? CYRIL. Deus enim totius vniuersi Moysi manifestè imperauit, vt celerrimè filios Israël adiret, clareq; ipsis denunciaret, ipsos Deum opitulatorem, defensoremq; habētes facilè seruitutis Aegy-

Marginalia: Esebon, Hebraica vox: interne significat. — Exod. 3. — Ibidem.

Aegyptiacæ pondus excussuros, et domum reuersuros, atq; auita libertate fruituros, ac terram sanctam habitaturos: atq; illic omni genere bonorum abundaturos. Respondit autem Moyses, et dixit: *Si non crediderint mihi, neq; audierint vocẽ meã, quid dicam eis? Dixitq; Dominus ad Moysen: Quid hoc est in manu tua? Qui dixit: Virga. Et dixit: Proijce eam in terram: et facta est coluber, et fugit Moyses ab ipso. Et dixit Dñs ad Moysen: Extende manum tuã, et apprehẽde caudam. Et extensa manu apprehendit caudam, factaq; est virga in manu ipsius.* PAL. Stupẽda res. Cęterum quid hoc significare velit, cuperem mihi declaratum. CYR. Ego dicam. Cum Israëlitæ per multum tẽpus Aegyptijs cõuixissent, et in quoduis peccati genus incidissent, proprijsq; eius regionis voluptatibus affluxissent, Moyses non ignorabat eos tardos, ægreq; ad virtutẽ ductiles fore: prudenterq; suspicatus est, si eum miracula edentem vidissent, acres stimulos ad obediẽtiam operũ laborem ipsis additurũ. Difficilis enim euasu res est voluptas, et affectuũ, qui in nobis sunt acerbitas egerrimè mitescit. Sudore verò vrgente, et laboribus incumbẽtibus, facilè nobis persuadeat, vt etiã suauissima queq; aspernemur, is, qui libertatẽ nobis pollicetur. Existimo verò, Deum (cui omnis boni ratio exploratissima est) admirabili œconomiæ ratione, tũc præcipuè intolerabilem, et peracerbam Israëlitis Aegyptiorũ tyrannidẽ fecisse, vt prõptiores ad discessionem essent, neve cõsuetis voluptatibus adhærescẽtes, peruicaces, ac refractorios se præberent, et contẽpto eius, qui ad libertatem vocabat, beneficio, volũtariè sub Aegyptijs seruituti sese dederent, ni mirũ id, quod delectationem aliquã præ se fert, paucis nonnunquã laboribus præferẽtes. Quinimo cũ ea, quæ à Deo ipsis præstabãtur, meliora reputarẽt, atq; adeò libentissimè à veteri seruitute discederẽt, castrametati in deserto, delitiarũ Aegyptiarũ non absq; lachrimis, et fletu meminerũt, multo melius atq; cõducibilius affirmãtes, si mortui potius fuissent Aegyptiarũ mensarũ delitijs affluentes, et pueriliter eiulãt, dicẽtes: *Vtinã mortui essemus percussi à Dño in Aegypto, quãdo sedebamus super lebetes carniũ, et comedebamus panes ad saturitatẽ.* PAL. Rectè dicis. CYR. Necessariũ itaq; duxit Moyses, fore, vt miraculorũ editione in officio cõtinerentur. Quocirca ita inquit: *Si non audierint me (dicent enim: Non apparuit tibi Deus) quid dicã ad eos? Deus verò statim, veluti pręexercitamentũ, miraculũ ab eo edi iubet, ministrũ ipsum, vt arbitror, experiẽtia præmissa cõfirmans, id quod actum erat, manifesto argumẽto, etiã alijs, vt ipsi futurũ, quòd à Deo vocatus esset. Neq; enim alteri cuipiã cõueniat rerũ naturas, in quodcũq; velit, transmutare, pręterquã soli omniũ creatori. At verò miraculũ hoc salutẽ per Christũ pulcherrimè per figurã nobis significat. Videbimus enim humanę naturę in ipso ad veterẽ renouationẽ, et veluti trãsformationem in id, quod eramus in Adã, statim ad esse traducti, neq; adhuc gloria cęlesti, et sanctificatione priuati. PA. Quo pacto dicis? Obscurus enim hic sermo mihi videtur. CY. Virga, siue sceptrũ nõne apud nos regni symbolũ est, ô Palladi?

Exod. 4.

Virgæ Moysis in colubrum cõuersio, quid spiritualiter significet.

Exod. 16

Exod. 4.

Palladi? PAL. Omnino. Quinetiam Græcorum poëta nonullos veterum iureiurandum per hoc præstare solitos, aiunt. CYR. Quid verò, nonne paradysi plantam esse censes, et antequam præcidatur in hortis florere? PAL. Censeo. CYR. Transfer itaq; mentem cogitationemq; tuam ad veterem illum Adam: et in stirpe, ac radice generis totam quodammodo in ipso humanitatem cōtemplare. Præterea cogita, quod factus sit ad similitudinem creatoris, imperiumq; eorum, quę super terram sunt, illi tributum: et erat tanquam in manu Dei per vitam in sanctificatione, et tantum nō floridissima, pulcherrimaq; paradysi planta: quæ postquam serpentis præstigijs decepta fuit, à primo illo statu abducta est, et diuina præcepta contempsisse deprehensa est: tunc certè, tunc à prima radice auulsa in terram procidit, hoc est, è fastigio virtutis ad carnalia studia deuoluta est, impotenti vitio laborans: et à serpente, vt arbitror, nihil differens: atq; ita regno, et gloria, quibus initio florebat, exuta est, ac paradysi delitijs eiecta. Nonne enim ita nobis Moyses scriptis suis testatū reliquit? PAL. Ita est. CYR. Legislator verò, videns hominem in tantam prauitatem delapsum, fugiebat quodammodo, regnans in ipso vitium exosus.

Exod. 4. *Fugit enim Moyses serpentem proijciens.*

Sap. 1. Scriptū est autem, *quòd sanctus Spiritus sapientiæ fugiet dolum, et discedet à cogitationibus insipientibus.* Repugnantia enim inter se sunt sanctificatio, et immundicia: lux et tenebræ: iustitia, et iniquitas. PAL. Verū est. CYR. Excidisse itaq; virgam è manu Moysis nihil aliud significat, quàm quòd erat ab initio ad imaginem diuinam factus plāta paradysi, et in gloria regni, manuq; creatoris constitutus, in terram verò prouolutus est, eò quòd carnalia cogitare vellet: ac propterea quòd in summam miseriam deuenisset, tāquam serpens quidam deitatis oculis visus est. Cœterum iubetur Moyses extendere manum, et caudam apprehendere: statimq; ad id, quod initio erat, reformatus est: neq; amplius serpens, sed virga rursus fuit, et planta paradysi. Cum verò beneplacitum fuit Deo ac Patri omnia redintegrare in Christo, et creaturam reformare in id, quod initio erat, misit nobis è cœlo vnigenitum, manum dexteram, omnium reuera opificem, atq; saluatricem, iuxta illud: *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me.* Tunc demum humanitatem humi iacētem assumpsit, et à ferali amarulentia nos liberans, prauitatis nimirum, et peccati, ad regiam dignitatem, suauitatemq; virtutis reduxit, in antiquum voluptatis locum credentes restituens, cuius primitiæ primus ille latro cum ipso suspensus fuit. *Amen amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradyso.* PAL. Pulchrè sanè, rectèq; nobis sermo habitus est. Cœterum illud insuper mihi dicas, cur cauda apprehendi iubet, non capite, aut medio corpore? CYR. Ita amice fieri oportebat: quandoquidem cauda accipi, non medio, aut capite, mysterio conueniens erat. PAL. Quanam ratione? CYR. Principiū enim quodammodo cuiusuis animantis est caput: cauda verò, extremum. Age itaq; tanquam animal adhuc vniuersum

Coluber cauda a Moyse apprehēsus, et in virgā reformatus quid significet.

Psal. 117

Latro primitiæ credentium.

Luc. 23.

sum nobis in præsentiarum huma-num genus reputetur. Apprehendit igitur caudam Christus, hoc est, in vltimis, atq; extremis. Descendit enim in vltimis seculi temporibus. Ceterũ quemadmodum et Moyses cauda ap prehẽdit, et vsq; ad caput ipsum trãsformatio peruasit (serpens enim inte grè in virgam conuersus est) eâdem planè ratione tametsi extrema appre hendit Christus, hæc per gratiam re formatio in vniuersum genus huma num manauit: et cũ capite ipso, hoc est, Adam, est cõmunicata. Scriptũ est enim, quòd in hoc mortuus est, et vixit Christus, vt mortuorũ pariter, ac viuentium dominaretur. Quocirca per extrema, eorum etiã, qui in initio erant, redẽptio perficitur. PAL. Probabilis sermo est: neque à scopo aberrat interpretatio. CYR. Firmissimã igitur huius rei fidem duobus alijs signis diuinitus editis confirmauit. Scriptũ est enim: *Dixitq; ei Dñs rursum: Immitte manum tuã in sinũ tuum: et immisit manũ suam in sinũ suum, et protulit eam de sinu suo, et facta est manus ipsius leprosa veluti nix. Et dixit rursus: Retrahe manum tuam in sinum tuum: et protulit iterum manũ suam, et restituta est colori carnis suæ.* Vides igitur quãtam maiestatem, quãtamq; admirationẽ res hæc pre se ferat? vtq; eadẽ, qua miraculum illud prius, ratione mysterij secundũ Christum rationem explicet? PAL. Explica igitur. Neq; enim adhuc satis assequor. CYR. Lepra quidem carnis morbus est: grauior verò, quàm vt à medicis curari, aut in illorum experimẽtum cadere possit. Immundus autem, atq; impurus, secundum veterem Moysis legem, le prosus habebatur. Odiosus etiã apud eos, qui Græcorũ mores obseruãt. Semimortuus enim, qui ea laborat, est. Execrabilis verò, atq; immundus est mortuus. Impossibile itaq; est, et vires nostras excedit leprosum curare, nisi diuina, ineffabiliq; potentia, atq; virtute. Quocirca miraculo fuit Christus, quando leproso cum potestate inclamauit: *Volo. Mundare.* Vox enim omnium effectrix, quæq; mortuos ipsos è monumentis exsuscitat, et morte, atq; interitu superior est hoc in illo miraculum edidit. Præcepit igitur, vt manum in sinum occultaret: deinde cum eam è sinu eximeret, totam in vniuersum lepra infe-ctam protulit. Cum verò iterum in sinum immitteret, sanam, liberamq; à morbo, qui acciderat, statim ostendit: vt hinc Israelitæ intelligerent, quòd ineffabili quadam, et inuestigabili potestate, tanquam thorace munitus, pro afflictis, et atroci Aegyptiorum tyrannidi subiugatis, ipse se opponeret. Et sermo quidem hic minimè obscurus est: historia autem per quam vtilis. Ego verò necessarium esse censeo, vt propositę rei sententiã accuratissimè inuestigemus: illud quæramus, quid sit, in sinu occultati manum: quid autem foras eductam grauiter lepra affici. Præterea purgationis modũ. Immissione enim manus in sinum curauit morbũ. PAL. Rectè dicis. Neq; enim paruam vtilitatẽ singulorũ inuestigatio nobis allatura est. CYR. Mihi igitur miraculũ hoc huiusmodi quid in vmbris significare videtur. Quãdiu homo secũdũ imaginẽ Dei factus, tantũ nõ in sinu Dei educabatur: et preceptũ, quod ei datũ erat, nõdũ proculcarat, custodia dilectio-

Marginalia: Exod. 4. — Moyses manũ suam in sinum immitens, et leprosam proijciens, quid significet. — Matth. 8

dilectioneq; Dei protectus, mundus, et sanctificatus, et mortis per peccatum ignarus viuebat. Postquam verò ab amicitia, protectioneq; diuina excessit, per lapsum ad peccatum, impurus, atq; execrabilis, et mortis immunditia laborans confestim deprehensus est. At verò Deo, ac Patre nos iterum in Christo recipiente, et diuina gratia amplexante, ac quodāmodo sinu suo per filiationem fouente, vnà cum immunditie, morte, quam ex vetere execratione cōtraxeramus, abiecta, in pristinum, qui initio erat, statum instauramur. Scriptum est enim de manu Moysis, quòd restituta fuit colori carnis suæ. PAL. Pulcherrimè dicis. CYR. Tertium verò signum, manifestissimè, clarissimeq; Christi mysterium nobis inclamat.

Exod. 4. * Loquutus enim est ita rursus ad Moysen Deus: Si verò non crediderint tibi, neq; audierint sermonem signi primi, credent verbo signi secūdi.* Quod autem hoc sit, declarat,

Ibidem. dicens: * Quod si nō crediderint duobus signis his, sume aquā fluminis, et effunde eam super aridā: et erit aqua, si accipias è flumine, sanguis super aridam. Vltimū enim mundo signū, Christi mors facta est, et per aquam, et sanguinem purificatio, adiecto nimirum et sacro corpore, quod per aridā significatur. Quòd verò aqua, et sanguis nobis data sint è sacro latere hasta perfosso, notius omnibus est, quàm vt à me dici debeat. Præterea quòd Saluatoris mors signum dicta sit, è sacris literis facilè quis intelligat. Pharisæi enim impudentissimi, quamplurimis miraculis à Christo editis, quasi nullo facto, eum accesse-

Matth. 12. runt, dicentes: * Magister, volumus abs te signum videre. Qui respondit eis: Generatio praua, et adultera signum quęrit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrę tribus diebus, et tribus noctibus.* Primū itaq; adiutorium nobis in Christo per Legem secūdum Moysen. Legem enim in auxilium dedit, iuxta prophetæ vocem. Apprehendit enim cauda Moyses. Secunda autem purificatio in Christo rursus, per sanctos prophetas, et per Ioannis vocem, atq; annūtiationem. Hi enim dixerunt: * Lauamini, puri estote.* Hic verò ad baptismum pœnitentiæ vocauit. Tertium autem signum, quod et vltimū esse dicunt, Christi mors est, in quo et fides. * Si enim non crediderint tibi, inquit, neq; audierint sermonem signi primi, credent verbo signi secundi.* Vides, quòd pulchrè fidem adhibendam, inquit, nō signo primo, hoc est, non in adiutorio secundum Legem, neq; verò mediæ illi purgationi, hoc est, per sanctos prophetas, et Ioannem fortasse, sed soli sermoni signi vltimi. Neq; enim mutum est Christi mysterium, sed omnes, qui per vniuersam terram sunt, sublimi atq; penetrabili præconio vocat ad purificationem per aquam, et sanguinem, necnon ad viuificationem, participationemq; sanctæ carnis. Inseruit itaq; Lex prędictionibus de Christo. Ipsa verò nequaquam sufficiens ad salutem perfectè acquirendam. Quòd facilè quis demonstret Moysen ipsum apertè cōfitentem in hac ipsa historia, de qua agimus. Nam cū Deus illi diceret: Quia ero tecum, miracu-

Margin notes: Esai. 1. — Exod. 4. — Aqua fluminis a Moyse super aridā effusa et in sanguinem cōuersa, quid significet. — Mors Saluatoris signū dicta.

raculisq; eum cõfirmaret, orabat, di-
Exod. 4. cens: *Domine nõ sum sufficiens ab heri, et nudius tertius: et ex quo cępisti loqui famulo tuo impeditioris, et tardioris linguæ sum. Dixit autem Dominus ad Moysen: Quis dedit homini os? aut quis fecit mutum, et surdum: videntem, et cęcum? Nõne ego dñs Deus? Nunc igitur vade, et ego aperiã os tuum, doceboq; quid loquaris. At ille: Obsecro Dñe, elige alium potentem, quem missurus es.* Neq; enim satis robusta est Lex, neq; sufficiens, vt vniuersam terram saluare posit, et è diabolica tyrannide hominẽ eripere. Neq; verò ignorabat Moyses, quam impeditæ, tardæq; linguæ esset, pręcipuè cum Deus ad illum loqui inciperet, ac de se sermones facere
Exod. 3. iuberet. Sic enim inquit: *Dices filijs Israël: Ego sum qui sum. Hoc est nomen meum.* Tardiloqua enim est Lex ad sermonem de eo, qui est, articulatè pronunciandum: neq; par explicandæ, venerandæ, atq; ineffabili naturæ in sancta Trinitate adorãdæ. Impeditæ præterea linguæ: solos, ac vixdum Israëlitas alloqui valens, auditaq; solùm in Iudæa, reliquis nimirum omnibus gẽtibus ne aurem quidem huic prædicationi accommodare volentibus. Quocirca præcognoscens diuinus Moyses, qui par esset ad exactum, perfectũq; auditoribus de Deo sermonem faciendum, facileq; omni terræ pręedicandum, Christum nimirum, Obsecro Domine, inquit, elige alium potentem, quẽ missurus es. Christus enim est, qui reuera potest. Quòd verò secundum tempora juxta beneplacitum Dei, ac Patris in hoc eligendus esset, per Legem etiam prædictum fuit. Excusatio verò Moysis, etiã post diuinam promissionẽ, et post multorũ signorum ostensionẽ, typus est tergiuersantis simul, atq; excusantis populi Israëlitici diuinum, et euangelicum sub Christo ministerium, atq; obedientiã: quippequi post innumeros de fide sermones, post tot miracula edita refractarius, inobediensq; permansit. Cęterum duplex quidẽ est Moysis excusatio. Duo enim tẽpora sunt, quibus Israël effrenem se, ductuq; difficilem prebuit. Primũ Moysis, et Iosue, et Iudicum: et aliud statim post illud, in quo steterũt prophetæ, et Ioannes, qui tanquam medium quoddam apostolorum, et prophetarũ fuit. Finis enim fuit prophetici ministerij: primitiæ verò quodãmodo apostolici splendoris. Cœterũ excusatio Moysis Deum ad iram prouocauit, et rei gerendę rationem, per quam saluari oportebat Aegyptiorũ tyrannide oppressos, immutauit.

Moysis excusatio quid mystice significet.

Exod. 4. *Iratus enim Dominus in Moysen, dixit: Nõne ecce frater tuus Leuita? Scio, quòd loquens loquetur ipse tibi. Et ecce ipse egredietur in occursum tibi: vidensq; te lætabitur in se, et loqueris ei, et pones verba mea in ore eius; et ego aperiam os tuum, et os ipsius: et docebo vos, quæ faciatis: et ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu verò eris ipsi, quæ ad Deum.* Obsistente enim tanquã imbelli Lege, et inobedientibus valde Israëlitis, Christus adiunctus est, qui verè Leuita est, et magnus pontifex: ijs, qui sub Lege sunt, factus tãquam frater per humanitatem: Moysi quidem loquutus vt Deus, edoctus verò à Patre secundum habitum propheticũ; quãuis est Dñs. *Prophetã enim suscitabo ipsis ex fratribus eorum, et

ponam sermones meos in ore ipsius: et loquetur ipsis omnia, quæcũq; præcipiam ipsis.* Quin et Christus ipse
Ioan. 12. ita inquit: *A me ipso non loquor, sed qui misit me Pater, ipse mihi mãdatum dedit, quid dicam, et quid loquar.* Christus itaq; allocutus est populum, et Moysi quidem fit os, interpretans nobis spiritualiter Legem. Moyses verò ipsi rursus ea, quæ ad Deum. Videtur enim quodammodo esse Deo proprior Moyses, quãdoquidem factus est sub Lege Emanuel: et quæ per Moysen edicta sunt, obseruare præcepit, dicens: *Nolite cogitare, quòd veni soluere Legem, aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Christus itaq; verus sacrorum interpres tardiloquẽtiam Legis ad perspicuitatem traduxit: et literæ balbutiem ad clarissimum sensum trãsmutauit. Spiritualis enim Lex in Christo, quæq; per ipsum fit prædicatio, eius, quæ à veteribus edita fuit, soror est. Moyses enim frater erat Aaron. PAL. Imbecilla itaq; per se Lex est. Nihil enim perficit. CYR. Ita sentio. Quin etiam humile quid, atq; abiectum vitam legalem in se continere, facilè quis ex ijs, quæ deinceps sequũtur, iudicarit. Scriptum est enim:
Matth. 5

Exod. 4. *Quòd abijt Moyses, et reuersus est ad Iethro socerũ suum, dixitq; ei. Vadam, et reuertar ad fratres meos in Aegyptũ, vt videam, si adhuc viuãt. Dixitq; Iethro ad Moysen: Vade sanus. Post dies autẽ multos mortuus est rex Aegypti: dixitq; Dominus ad Moysen in Madian: Vade, et reuertere in Aegyptum, mortui enim sunt omnes qui quærebant animã tuam.* PAL. Quid in his latet? Neque enim possum intelligere. Aut explica, quibus in rebus meritò quis vitam legalem incusare possit? CYR. Quamplurima hac in re reprehensione dignissima inueniat, qui propositæ rei sensum diligentius inquirat. Quo pacto nimirum designatus ad legationem diuinus Moyses, non statim ad eam obeundam cõtendit, relictis ijs, quæ in mundo sunt, sed carnalibus curis distrahitur, et prius cum cognatis suis profectionem communicat: neq; ante à Madian discedit, quàm Aegyptiorũ regem mortem obijsse intellexit. Metuebat enim vehementer vitæ suæ. Postquam verò hoc metu liberatus est, prænuntiante ipsi Deo, tunc demum assumpta vxore, et filijs, descendit in Aegyptum, diuina mandata executurus. Hæc verò omnia typus sunt vitæ legalis diuisæ quodammodo, et in vtranq; partem vergentis: ad diuina, inquam, et humana. Neque enim omnino à curis terrenis, atq; mũdanis est libera, nec etiam in vniuersum sacra. Atqui ab euangelicæ vitæ ratione alienum est, parte aliqua sui carni, siue mundanis rebus vacare, vel diuisum esse: sed qui sub Christo viuunt, totos Deo consecratos esse oportet. *Qui enim Christi sunt, inquit Paulus, carnem suam crucifixerunt cũ vitijs, et concupiscẽtijs.* Cumq; quidã discipulorũ accessisset Christũ, dicens: *Magister, sine me prius abire, et sepelire patrem meũ:* totã sanctæ vitæ rationem doctus est, audiẽs statim. *Sequere me: et sine, vt mortui sepeliãt mortuos.* Paulus etiã quibusdã ita scribit: *Quãdo beneplacitũ fuit Deo, vt reuelaret filiũ suũ in me, cõtinuò non acquieui carni, et sanguini.* Acquieuit autẽ Moyses. Diuisa enim est, vt dixi, vita secun-
Galat. 5.
Lucæ. 9.
Matth. 8.
Ibidem.
Galat. 1.

ſecundum Legem, et adhuc mortis metu percellitur. Metuebat enim Moyſes deſcendere in Aegyptũ mortem deuitans. Deſtructa verò illa eſt in Chriſto: quod et D. Paulus teſtatur, dicẽs de Chriſto, et nobis: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, et ſanguini, et ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitã obnoxij erãt ſeruituti.* Quinetiã mori ipſum ſanctorũ mentes animat. Inquit enim rurſum Paulus: *Mihi quidem viuere eſt Chriſtus: mori autem lucrum.* Et iterum: *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Quòd verò mortis metui ſubiecta ſit vita legalis, quodq; ab eo aliena ſit vitę in Chriſto gloriatio, è ſacra ſcriptura manifeſtũ eſſe poteſt, clamante, regnaſſe mortẽ ab Adam vſq; ad Moyſen. Cœterum qui mortem deſtruxit, eiusq; imperium diſsipauit, vnaq; cum credentibus, eos etiam, qui ſub Lege inſtituti erant, ſaluauit; quisnam alius fuit, quã ſolus dñs noſter Ieſus Chriſtus? Neq; enim legatus, non angelus, ſed ipſe Dominus ſaluauit nos, iuxta propheticum oraculũ. Quinetiam apertè rei huius myſterium, tanquam in typo, atq; vmbra videas in ijs, quæ deinceps Moyſi acciderunt. Cũ enim iam terra Madianitarũ egreſſus eſſet, atq; in Aegyptum feſtinaret, dixit ei Deus: *Cum reuerſus fueris in Aegyptum, vide, vt omnia oſtenta, quæ poſui in manibus tuis, facias ea coram Pharaone.* Et paulo poſt: *Et factũ eſt, inquit, in itinere, in diuerſorio occurrit ei angelus Domini, et quærebat occidere eum. Tulit verò Sephora petram, et circuncidit præputium filij ſui, et procidit ad pedes eius, et dixit: Stetit ſanguis circunciſionis filij mei.* Videtur ne tibi multa interpretatione egere hic ſermo, an potius manifeſta res eſt? PAL. Nequaquã. Nulla enim ratione intelligo, quid ſit, quod tanquam in vmbra ſignificatur. CYR. An nõ verum eſſe cenſes, humanam naturam ex veteri illa maledictione morti obnoxiam eſſe factã? Dictũ enim eſt ad nos, veluti in principio generis, et prima radice Adã: *Terra es, et in terram reuerteris.* PAL. Omnino. CYR. Cũ itaq; primum generis noſtri principiũ mortẽ ex peccato contraxerit, neceſſe fuit, eam ad nos etiã peruenire, et vna ab radice in plãtas ex ea natas propagari. Mortalis enim corporis mortales etiã fructus eſſe neceſſe eſt. Atq; ita mors in omnes imperiũ tenuit, etiã ad Moyſen vſq;, hoc eſt, ad tẽpora Legis. Angeli itaq; impetus in Moyſen manifeſta figura fuit, mortẽ vſq; ad Moyſen inualuiſſe, et humana omnia morti ſubiecta fuiſſe. Flexit autẽ, atq; placauit angelũ, et à Moyſe dimouit vxor ipſius Sephora, petra propriũ filium circuncidens, obſecransq;, et dicens: Stetit ſanguis circunciſionis filij mei. Stetit verò ſanguis, inquit, non q̃ſi ſanguinis fluxus ceſſaret. (Neq; enim hoc, arbitror, interfectorẽ à cæde faciẽda dimouiſſet) ſed quodãmodo dixit: Facta eſt, cõpleta voluntas Dñi, hoc eſt, circũciſio filij. Veluti ſi quis dicat: Hęc huius rei ſtetit figura, ſiue ſtetit ad hoc ſermo, pro, ad finem peruenit, et declaratus eſt. PAL. Præterea, quænã nobis Sephora intelligẽda eſt?

Hebr. 2. Philip. 1. Rom. 8. Exod. 4. Ibidem. Sephora circuncidens petra præputiũ filij, quid ſignificet. Gen. 3.

da est? Quid verò petra: et quæ per eã facta est circuncisio? Quodq; Moyses imminentem sibi, ac debitã mortem effugeret, filio circũciso? CYR. Obscurus certè est sermo, et perquã difficilis intellectu quæstio. At Deo cõfisus, dicam rursus, quoad potero. Sephora cum sit filia sacerdotis Madian (qui vir alienigena erat, neq; ex sanguine Israël) typus est ecclesiæ ex gentibus, quasi ex cultu mũdano ad Deum vocatę. Dictũ enim est alicubi ad eam per vocẽ Dauid: *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuã, et obliuiscere populi tui, et domus patris tui, quoniã concupiuit rex decorem tuum, quia ipse est Dñs tuus.* Vocata itaq; est assecla Legis, et tãtum nõ vxor Moysis pædagogi nostri: quiq; nos pulchrè ad Christi mysteriũ deducat. Lex enim nos elemẽta docet, et ad principia sermonum Dei manuducit. Seminat verò quodãmodo in nobis per figuras, atq; vmbras cognitionem mysterij Christi. Vnde Christus Iudæis Moysen ipsum sacratissimũ aspernantibus dixit: *An putatis quòd ego accusaturus sum vos apud Patrẽ? Est, qui accusat vos, Moyses. Si enim credidistis Moysi, credidistis vtiq; et mihi: nã de me ille scripsit.* Cum itaq; Sephora nobis ostensa sit in figurã ecclesiæ ex gẽtibus, erit etiã eius filius in figurã noui populi, fidelium nimirum, qui infantiã in Christo per spiritum, et regeneratione in Deum susceperunt. Quos etiã populum creatũ Dauid alibi appellat. Recẽs itaq; natus in Christo infans, hoc est, nouus per fidem populus per circuncisionem in spiritu placat mortẽ. Silex enim symbolum est ineffabilis illius naturę, cuius robur ac firmitas,

Sephora typus ecclesiæ ex gẽtibus. Psal. 44.

Ioann. 5.

Sephorę filius typus fidelium.

Silex Sephoræ, typus Christi.

tanquam in duro saxo significatur. Quin et Iosue filius Nun cum Israëlitas trãs Iordanẽ duxisset, ensibus lapideis eos circũcidit, circũcisionẽ in Christo per spiritũ pręfigurãs. Petra enim Christus, quẽ tãquam in typo significat, vt modo dixi, silex Sephorę filiũ circũcidẽs. Vnde et mors fugit, recessitq; à Moyse is, qui eum interficere quęrebat, circũcisionis in Christo mysteriũ veneratus. Quæ res nobis per figurã innuit, nõ solũ recessisse mortẽ ab ijs, qui circuncisione in Christo digni habiti fuerãt, verũetiã rem hãc (Christi inquã mysteriũ) Patribus etiã adiumẽto fuisse. Sicut enĩ omnes mortui sumus in Adã: ita etiã gratia per Christũ ad omnes propagatur. Ideo enim mortuus est, vt mortuorũ simul ac viuentium dominaretur. Quocirca eodẽ tẽpore, quo noui populi circũcisio edita est, patrũ etiã vita perfecta est. Tẽpus autẽ circuncisionis spiritualis, Christi aduẽtus est: qui Moyse quidem antiquior est, vt Deus: Secũdus verò, et post Moysen fuit, q̃tenus apparuit homo in ministeriũ pro nobis. Obserua enim quòd elegit Deus, Moysen quidẽ primũ: postea verò adiũgit Aarõ, prefigurãs ninirũ Christi apparitionẽ Moysis legatione, atq; ministerio tẽpore posteriorẽ fuisse: qui æqualis quidem erat Moysi ꝓpter humanitatẽ: dignitate verò diuina, et incõparabili pręditus, quòd ex Deo Patre genitus esset. Quod ipsum ẽ sacris literis, si voles, facilè tibi cõstare potest. *Fecerunt: inquit, Moyses et Aaron, sicut præceperat ipsis Dominus, ita fecerunt.* Moyses autẽ erat annorũ octoginta: Aaron autem frater ipsius erat annorũ octoginta trium, quando loquuti sunt

Christi mysteriũ Patribus etiam adiumento fuit.

Exod. 7.

sunt ad Pharaonem.* Audis quo pacto ambo pares erant quãtum ad id, quòd ad octogesimum annum peruenerant, tametsi alter ministerij tẽpore erat posterior: ita et Christus, æqualis quidem secũdum quid Moysi propter humanitatem: et quidem posterior ratione administrationis. Diuersus verò, atq; longè superior, vt in diuinitate, et gloria secundum sanctam Trinitatem. PAL. Quàm clarus, et perspicuus est sermo. CYRIL. Quid verò? Nonne illud prætererea operæpretium est videre? PAL. Quidnam? CYR. Neq; enim Israëlitæ Aegyptiorum terram euasissent, sed neq; sic grauem, odiosamq; ipsis seruitutem excussissent, neq; omnino effugissent immissam primogenitis in Aegypto mortem, ægreq; euitabilem occisoris manum, nisi sacrificantes agnum in figuram Christi tollentis peccata mundi. Vnxerunt quidem sanguine postes, iuxta legem ipsis à Moyse præscriptam: Christi verò mysterium pro armis, et propugnaculo animis suis adhibuerunt. Mors enim Christi pharmacum est mortem dissoluens. Et mysticæ benedictionis participes, interitus expertes efficiuntur, iuxta illud: *Amen amen dico vobis, qui manducat meã carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Comedentes autem agnum panibus infermentatis cum eo vescebantur, subindicãte nimirum typo, tanquam in infermentato, purissimoq; alimento euangelicæ disciplinæ synceritatem: cœterum futuram non absq; sudore, atq; acerbitate circa afflictiones. Lactucarum enim agrestium esus cum panibus fermento carentibus, synceram, puramq; in Christo vitam non absq; ærumnis, et laboribus futuram significat. Adiungẽda itaq; est necessariò infermentatis cibis lactuca agrestis. *Omnes enim, qui piè in Christo viuere volunt, persecutionem patientur.* Præterea qui hoc patiuntur, beati futuri sunt. *Qui enim vnà patiuntur, vnà etiam regnabunt,* iuxta id, quod scriptum est. Excedit ne decorum oratio? PAL. Minimè.

Ioan. 6.

2. Thimoth. 3.

2. Thimoth. 2.

Explicit liber secundus.

D. CYRILLI, ARCHIEPISCOPI Alexandrini de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber tertius.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

Quòd impossibile sit effugere mortem, quæ est ex peccato, et diaboli tyrannidem, nisi per sanctificationem secũdum Christum: Et quòd non in Lege sit iustificatio, sed in Christo. Dialogus tertius.

CYRILLVS.

Peracto itaque ab Israëlitis ritè sacrificij sui modo, et primogenitis Aegyptiorum interfectis, cumq; à sanctificatis tanquam in typo Christus interemptorem auertisset, tunc demum ab eorum, à quibus opprimebantur, terra properè excedẽtes, atq; promissam ipsis festinantes, nõ rectè ad eam cõtenderunt, sed circunductionibus quibusdam à recto itinere abducti sunt. Ita enim rursus scriptum habetur: *Igitur cum emisisset Pharao po- Exod.13.

pulum, non duxit eos Dominus per viam terræ Philistijn, ne fortasse pœniteret populum videntem bella, et reuerteretur in Aegyptum. Sed circunduxit Deus populum suum per viam deserti ad rubrũ mare.* PAL. Quid verò hac in re latet mysterij? CYR. Inuestigandum est, si videtur. Intelligis enim, quia proposita illis recta via, etiam lentè eundo integrum erat breuiter peruenire. (Prope enim erat, inquit, terra promissionis) alia via eos deduxit lõgiore circuitu. Multo enim ante explorata erat omnium creatori procliuitas eorũ ad defectionem, quamq; impotẽter adhuc in seruitutem veterem vergerent. PAL. Nihilo clarior est sermo. CYR. Ad spiritualẽ igitur contẽplationem nos cõferamus. Eos, qui à mundana vita, diaboliq; tyrannide, veluti quadam Aegyptiorum terra, discesserunt, recta ac breuis omnino via ad sanctificationem deducit: et ad spem, quę est à Deo, fides nimirum in Christo, et per eum iustificatio, iuxta illud sapiẽter à Paulo dictum: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo dominũ Iesum, et in corde tuo credideris, quòd Deus illũ suscitauit de mortuis, saluus

Israelitæ nõ recta via ad terrã promissionis ducti sed per circuitus quid spiritualiter significet.

Rom.10.

saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. * Hanc igitur adeò prope sitam, ac breuem viã Deus veteres incedere nõ permisit, sed veluti circuitũ quendam excogitauit, quiq; nõ rectà procederet, nimirum sermonem inuolucris tectũ, et in figuris Legem, queq; longiorem, magisq; laboriosam disciplinam contineret: vt ea, quæ in vmbris latebant, tanquam præexercitamẽta ipsis essent ad perfectiora, vtq; prius de mysterio instructi nõ statim pauore ac metu percellerentur, et à Christo deficerent, atq; desciscerent: imo verò prexercitati quodãmodo, et quid revera expediat, edocti, paratiores essent ad veritatẽ, summo desiderio, alacritateq; animi amplectendã: atq; ita firma, et inconcussa erga Deum charitate prediti essent. Lõgè itaq;, minimeq; rectæ viæ, cultus nimirum secundũ literã, dux erat Lex. Christus verò, nõ item. Rectã enim, cõpendiosamq; viam nobis ostẽdit, per fidẽ nimirum, firmũ animi robur nobis præbẽs, vt deinceps fortiter aduersarijs resistamus, tolerantiamq; laborũ, atq; ærumnarũ pro bono libẽti animo subeamus, et diaboli insidijs accerrimè repugnemus, propheticũ
Esai. 5. illud in ore habẽtes: * Ecce Dñs adiuuat me, quis mihi nocebit? * Id verò, quòd admirãdam adeò animi prestãtiã, ac robur nobis immittit, quidnã omnino aliud sit, quam virtus ex alto, hoc est, Spiritus sancti participatio, atq; cõmunicatio? PAL. Intelligo quid velis, et miror acumen. CYR. Quin etiã tẽpus saluationis per Christum significet id, quod statim subijcitur: Quinta enim, inquit, generatione ascẽderũt filij Israël de terra Aegypti. Redẽpti enim sumus ex seruitute, et laboribus vanarũ cogitationũ, et ex Aerumnis, quas circa terrã, et puluerem perpetiebamur. Intelligas autẽ, quod dico, iuxtà euãgelicam parabolam, tanquã in quinta generatione, quinto tẽpore: * Simile est enim Matth. 20.
regnũ cœlorũ patri familias, qui exit primo manè cõducere operarios in vineam suam. Itidem fecit etiã circa horã tertiam, sextã, et nonam. Circa vndecimã verò inuenit alios ociosos, dixitq; illis: Quid statis hìc tota die ociosi? Ite vos operari in vinea mea. * Vides igitur quo pacto in quinta generatione missi sint in vineã vltimi, et in extremis tẽporibus, quando factus est homo vnigenitus, et mortem pro omniũ vita sustinuit. Atqui Moysis etiã lex hoc figurabat. Accipi quidem agnum à decima die primi mensis, immolari verò ad vesperam decimaquarta eiusdem mensis die, vt in eodem quintum etiam nobis tẽpus, veluti in quinta die, et ijs, qui sub finem seculi, Saluatoris occisionem futurã per vesperũ significetur. PAL. Totus itaq; sacræ scripture scopus ad Christi mysterium tendit. CYRIL. Omnino. Finis enim Legis, ac prophetarum Christus. Neq; aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluari. Ita enim ait Saluatoris discipulus. In promptu verò est probatio ex ijs, quę sequũtur. * Profecti, inquit, filij Israel de Socoth, castrametati sunt in Etham in Exod. 13.
deserto. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam ipsis viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis. Nunquam defecit columna nubis per diẽ, neq; colũna ignis per noctẽ. * Vides quomo

do Israëlitis Aegypto egressis Deus se ducem præbuerit per columnam nubis et ignis? Significatus autem est per vtramq; Christus. PAL. Quanã ratione? CYR. Primũ quidem, quòd columna sit, ac fundamentum veritatis, inconcussum planè, atque infractum, et terram altè sustinens. Scriptum est enim: Liberati enim sumus in Christo à cogitationibus carnalibus, et à terrenorum vitiorum volutabro, sublimes quodammodo per ipsum euecti, superna cogitantes, et in cœlestia animo versantes. Scriptum est enim, quòd fortes Dei vehementer à terra eleuati sunt. Quin et Christus alibi per vocem Dauid de terra, et sanctis apostolis ita inquit: *Ego firmaui colũnas eius.* Firmati enim sunt sancti discipuli terram sustinentes potestate ex alto, hoc est, gratia per Spiritum sanctum muniti. Colũnæ verò erant ipsi secũdum eandem quodammodo cum ipso formam, et secundum similitudinem in gratiam per spiritum. Manifestum itaq; fuerit, non aliam ob causam, quàm ob quas modo diximus, columnam vocatum esse Christum. Præcedebat autem per diem quidem in columna nubis: per noctem verò, inquit, in columna ignis. Familiare est sacræ scripturæ vocare noctem tempus ante aduentum Christi, quo tyrannidem adhuc exercente Satana, ignorantiæ tenebris humani animi erant obsessi. Diem verò, tempus aduentus Saluatoris nostri: quo quidem tempore illuminati sumus, et veræ cognitionis Dei radios mente suscepimus, solem iustitiæ cordis oculis intuentes. Ac de vtroq; quidem tempore ante nimirum, et post aduentum Christi testatur Paulus, dicens: *Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Intelligẽtes itaq; per noctem vetus illud tempus, per diem verò id, quo factus est homo vnigenitus, dicimus, præcessisse quidem Deum Israëlitas in specie ignis, tanquam in condemnante, et puniẽte lege. Punitionis enim signum est ignis. Nos vero præcedit in specie nubis, veluti in typo sancti baptismi, et salutis per aquam. An non enim nubes aqua est? PAL. Quis dubitet? CYR. Egressis autem Aegypto Israëlitis accensus est ad iram vetus ille tyrannus, hoc est, Pharao: et persequi instituit. *Iunxit enim, inquit, Pharao currus, et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitq; sexcentos currus electos, et quidquid in Aegypto equitatus fuit, et duces totius exercitus.* Et paulo post: *Et leuantes filij Israël oculos, viderũt Aegyptios post se, et timuerunt valde, clamaueruntq; ad Dominum, et dixerunt ad Moysen: Forsitan nõ erant sepulchra in Aegypto? Ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Cur hoc facere voluisti, educens nos ex Aegypto? Quibus respõdit Moyses: Bono animo este: state, et videte salutem à Domino, quam facturus est nobis hodie: nequaquam vltra videbitis eos vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. Dixitq; Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filijs Israël, vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et exsicca illud: et ingrediantur filij Israël in medium

Psal. 74.

Aposto-li columnæ.

Nox et dies quid in sacris scripturis significet.

Rom. 13.

Exod. 14.

dium

dium maris per ſiccum.* Quin et auxilij modũ manifeſtũ fecit Deus. *Suſtulit autẽ, inquit, ſe angelus Dei præcedens caſtra filiorum Iſraël, et abijt ex retro. Suſtulit autem ſe et columna nubis à facie eorum, et ſtetit poſt eos. Et ingreſſa eſt inter caſtra Aegyptiorũ, et inter caſtra Iſraëlitarũ, et ſtetit: factaq; eſt caligo, et tenebræ: et venit nox, et nõ cõmiſcuerũt ſe adinuicẽ tota nocte.* Atq; hic quidẽ eſt rudis hiſtoriæ textus. Oportere autẽ cenſeo ſenſus medullam rimari, mentis aciem in ea, quæ ſcripta ſunt, intẽdentes. PAL. Sit ita. CYR. Proficiſcuntur itaq; Aegyptij, in terrã ſanctã cõtendentes, Deo tanquã in columna ignis, ac nubis eos promouente, atque ducẽte. Neq; enim in ſupernã ac ſanctã ciuitatẽ perueniri poteſt, niſi duce Chriſto, et ſalutis viã nobis manifeſtè proponẽte. Ijs verò, qui hoc facere volunt, aduerſarij in mundo infrẽdent dentibus. Lex autẽ ad fortitudinẽ exacuit, timidiſq; animũ addit: et inimicorũ cuneos infringendos ſignificat. Aegyptiorũ enim interitus hoc nobis apertè innuit. Eos verò, qui metu ne plecterentur, tanquã in figura ſacri baptiſmi liberauit Deus. *Loquere enim, inquit, filijs Iſraël, vt proficiſcãtur. Tu autem eleua virgã tuã, et extende manũ tuam ſuper mare, et ſicca illud, et ingrediantur filij Iſraël in mediũ maris.* Nõne etiam diuus Paulus de filijs Iſraël ſcribit, *quòd omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, et in mari? PAL. Aſſentior. CY. Oportet itaq;, vt qui Chriſtũ ſequi velint, quiq; ad ſupernã ciuitatẽ cõtendunt, nequaquam Legi acquieſcere, neq; ad præcepta Moyſis tãquã ad ſaxũ adhæreſcere, et vmbris atq; figuris immorari, ſed potius proficiſci, alioq; commigrare, hoc eſt, ad ſacrum baptiſma. Hoc enim veteres illi fecerunt ex præcepto Dei per medios fluctus euntes: et, vt Paulus inquit, in mari baptizati. Tunc enim demum auxiliatorem habebũt Dei, atq; hominum mediatorem Ieſum Chriſtum. Deus enim verbũ exiſtẽs, caro factus eſt. Iuxta alium etiã modũ, mediator œconomicè veluti per medium incedere ſolens, eorum qui ipſum colunt: quiq; illos perſequuntur, cõmiſceri non ſinens, et inſultus hoſtium prohibens (ſuſtulit enim, inquit, ſe angelus Dei, et ingreſſus eſt intra mediũ caſtrorum Aegyptiorũ, et Iſraëlitarum, et nõ cõmiſti ſunt inuicem per totam noctem) veluti in angelo rurſus, et tanquã in columna nubis, Chriſtus ſignificatur. Vocatur enim nomen eius, magni cõſilij angelus. PAL. Chriſto itaq; ſe mediũ ſtatuente inter præliari volentes, nõ cõmiſcebimur. CYR. Ita res habet. Recte enim ſentis. Sed illud inſuper dicã, neq; (vt arbitror) à ſcopo ſentẽtia aberrauit. Qui recens à voluptaria, mũdanaq; vita diſcedere cœperunt, et diuinas leges ſummo ſtudio ſibi ſequẽdas propoſuerũt, nondũ verò gratiã per ſacrũ baptiſmum acceperunt, nõ admodũ robuſti, ſiue apti ſunt ad labores pro virtute ferendos, et bella adeunda. Quẽadmodum verò recentes, ac teneræ plantulæ flagrãtiſsimos ſolis radios nõ ferunt, neq; parũ lędũtur, ſi vehementiori vẽto quaſſentur, ſed omnino artificioſis quibuſdã adminiculis egẽt, quibus circũquaq; ſeptę à ſolis, vẽtorũq; iniuria cõſeruentur: eâdẽ planè ratione anima hominis, cũ tam primũ affectuũ ſeruitutẽ quaſit,

Ibidem.

Vulga. Abijt poſt eos. Vulgata. Priora dimittẽs poſt tergum.

Trãſitus maris rubri quid ſpiritualiter ſignificet.

1. Cor. 10

Chriſtus magni cõſilij angelus.

euasit, et ad meliora se contulit, ac diuinam legem sequi instituit, tenella, et mollicula est, facileq; retrorsum impellatur, sudoribus, bellicisq; laboribus oblatis, et priorem statum optabiliorem iudicabit. Israëlitæ igitur, viso exercitu Aegyptiorum ad solũ belli aspectum Moysi restiterunt, dicentes. *Nonne hoc est verbũ, quod locuti sumus ad te in Aegypto dicẽtes: Dimitte nos, vt seruiamus Aegyptijs, potius quam moriamur in deserto hoc?* Quocirca imbellis ad pugnam, paratissimaq; ad seruitutem, et timida vehementer est hominis anima ante sacrum baptismum. Cũ verò gratiam ex alto consequuta fuerit, fortissimeq; quidem persequi volentibus resistet, et generosè cum ijs manus conseret, facillimeq; hostium incursus propulsabit, duce, ac propugnatore Christo. Neque enim alia ratione victores euasèrimus. PAL. At vide, quibusnam exemplis hoc etiã nobis sis declaraturus. Neq; enim de futura tibi exempla satis scio. CYR. Quamplurimis certè id ostensu facilè est, etiam ex eo, quod primo vicinum est: et ex ijs, quæ Moyses ibidẽ scripsit. Nam qui ad solum Aegyptiorum conspectum metu perculsi fuerant, postquam mare rubrum trãsierunt, et sacri baptismi typum impleuerunt (baptizati enim, inquit, sunt in Moyse, quẽadmodum etiam Paulus scribit, in nube, et in mari) strenui bellatores, aptiq; ad resistendum hostibus sunt declarati, verum per Christum. Scriptum est enim:* Venit autem Amalec, et pugnabat contra filios Israël in Raphidim. Dixitq; Moyses ad Iosue: Elige tibi ipse viros, et egressus pugna cõtra Amalec cras. Et ecce ego stabo in vertice collis, et virga Domini in manu mea. Fecit autem Iosue sicut dixerat ei Moyses, et egressus conflixit cum Amalec. Et Moyses, et Aaron, et Hur ascẽderunt super verticem collis. Et factum est, quando eleuabat Moyses manus, præualebat Israël: quando autem remittebat manus, præualebat Amalec. Manus autem Moysi erant graues. Et accipientes lapidẽ posuerunt subter eum, in quo sedit. Et Aaron, et Hur sustentabant manus eius hinc vnus, et hinc vnus. Et factum est, vt manus eius sustentarentur vsque ad occasum solis. Et fugauit Iosue Amalec, et omnem populum eius in occisione gladij. Dixit autem Dominus ad Moysen. Scribe hoc ad Memoriã in libro, et trade auribus Iosue, quoniam deletione delebo memoriam Amalec sub cęlo. Aedificauitq; Moyses altare Domino, et vocauit nomẽ illius: Dominus refugiũ meum: quia in manu occulta pugnat Dominus contra Amalec à generatione in generationem.* PAL. Quis verò eorũ quæ scripta sunt, est sensus? Neque enim satis assequor. CYR. Atqui, vt ego arbitror, nihil difficile est, si quis inspicere velit. Iosue enim Moysi subditus, quidnam aliud significet, quã illud nimirum, quod Deus verbum existens, factus est sub Lege iuxta humanitatis figuram, et subditus quodammodo fuit præceptis Moysi varijs modis: nunc quidem circuncisionem in carne sustinens, nunc verò didrachma persoluens: et ijs, qui sub Lege erant, veluti sublex accensus, aperteq; dicens: Nõ veni soluere Legem, sed implere. Cœterum etsi factus est sub Lege per humanitatem, erat tamen

Exod. 17

Locus Exodi. 17. de Amalec, spiritualiter declaratus.

men etiam sic Deus, Saluator, ac redẽptor omnis populi. Delectis enim ex omni populo Israëlitico, et ex omni gente viris fortibus, sanctis (inquam) apostolis, ijsq;, qui per fidem vocati
2.Pet.2. sunt, quibus pulchrè dicat: *Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Vnà cum ijs in aciem prodijt aduersus principem seculi huius. De quibus omnium Dominus ipse omnia
Ioan.12. vincens ait: *Nunc iudicium est mũdi: nunc princeps seculi huius eijcietur foras.* Coronat verò splendida corona D. Ioannes etiam eos, qui cũ ipso, et per ipsum vincunt. Scribo vobis, inquit, iuuenes, quoniam fortes estis, et vicistis malignum. An non ita est, vt dico? PAL. Est certè. CYR. Et in crastinum quidem prælium cõmittẽdum esse, inquit Moyses. Neq; enim ijs temporibus, in quæ ille incidit, præclara Christi facinora edita sunt: sed ijs, quæ postea successerunt, vicinaq; fuerunt, hoc est, post Moysen, et Legem. Deinde ad collis cuiusdam cacumen cõscendit Moyses, vt inde præliũ cernere posset, quæq; in eo à Iosue fortiter gerebãtur. Attollit enim mediocriter legis disciplina, vt veluti eminus cernere possimus Christi stratagemata. Porrò attollente Moyse manus, præualebat Israël: remittẽte autem, præualebat Amalec. Inuincibilis enim diabolo, atque omni aduersario factus est, quãtumuis vastare cupienti non vniuersus Israël, sed quotquot configuratione ad Christum coluerunt, ferendo opprobrium eius, hoc est, venerandam crucem. Manus enim expansæ in aërem ostensæ, crucis figuram apertè significant. Quotquot autem crucem non susceperunt, faciles superatu hostibus facti sunt, auxiliatore nimirum destituti. Cum itaq; Moyses manus extẽdit crucis figuram ostẽdens, Amalec autem debilitatus cadit, nihil aliud nobis res hæc significat, quam eos, qui per venerandam crucem diabolum vincunt, atq; hostibus superiores euadunt. Quando verò remittentem manus videmus, ac deinde vincentem Amalec, eos, qui sub diabolo facti, victiq; sunt, intelligemus, quòd nimirum crucẽ amplecti noluerint: quibus Christus ipse inclamat, dicẽs: *Amen dico vobis, nisi credideritis, Ioann.8.
quòd ego sum, in peccatis vestris moriemini. Graues verò esse, inquit, manus Moysis, atq; egrè eleuari, segniterq; extendi ad ostendendam venerabilem crucis figurã. Illud, arbitror, figuratè innuens, Israëlitas nõ admodum promptos fore ad amplectendã fidem, sed tardissimè, ægerrimeq; vẽturos ad suscipiendum opprobrium Christi. Ideoq; Paulus crucem pulchrè scandalum Iudeis vocat. *Et ac Exod.17.
cepto, inquit, lapide, posuerũt subter eum, in quo sedit: et Aaron, et Hur sustentabant manus eius, vnus hinc, et vnus hinc.* Lapis autem pretiosus, electus, angularis, Christus est, in quo etiam requiescunt. Sessio enim, quietem significat. Qui verò ex Israëlitis modestia, et docilitate reliquis præstabant (quod acceptionem gratiæ significat) expãdunt manus, hoc est, suscipiunt crucem, stabiliente quodammodo, et cõfirmante ad hoc eos Christo, qui in Hur, et Aaron significatur, qui in eodem iudex, et summus sacerdos intelligitur. Hur enim erat incorruptus iudex. Aaron autem summus pontifex, acceptionem

ptionem gratiæ cõtinens secundum electionem Israëlitarum, nimirum ad salutem per fidem. Hoc enim, arbitror, significare, quod per vocem Esaiæ propheticè dictum est. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, tanquam Sodoma fuissemus, et tanquam Gomorra similes essemus.* Superato autem aduersario Amalec inquam: *Describe, inquit, hoc in memoriam in libro, et trade auribus Iosue.* Nam per sanctorum euangelistarum scripta, æternitati, perpetuæq; memoriæ Christi gesta commendanda erant. Dandam autẽ scripturam, inquit, in aures Iosue. Donarium enim quodammodo laudes, et encomia Christi sanctorum scripta sunt. Prostrato itaq;, et deuicto Amalec, erigit Moyses altare Deo, nomenq; ei designat: Dominus refugiũ meum. Typus verò etiam hoc est Christi. Dominus enim noster factus est, et refugiũ, deuicto principe seculi huius, et proculcato imperio mortis, consecrans seipsum pro nobis veluti irreprehensibilem hostiam in odorem suauitatis Deo, ac Patri. Typus igitur Christi altare, cui conueniens, ac verum nomen est, Deus refugium meum. PAL. Probo. Rectè enim sentis. CYR. Cum itaq; debellasset in manu occulta spiritualem Amalec, et vicisset Christus, dominus gẽtium est effectus, armaq; eius diripuit, quemadmodum ipse inquit, ligans potentem. Gregem enim, qui olim sub illo agebat, ex gentibus inquam, veteribus illis ouilibus aggregauit. Quocirca etiam dixit: *Et alias oues habeo, quæ non sunt de ouili hoc, illasq; me oportet adducere, et vocem meam audient, fietq; vnum ouile, et pastor vnus.* Christus verò est pax nostra, iuxta scripturas: qui fecit vtraque vnum, et medium parietem maceriẽ soluens, et inimicitiam præceptorum in doctrinis euacuans, atque in vnum nouum hominem, eos, qui ex circuncisione, et qui extra Legem erant, concili ns. Vide itaq; rursum ingens istud mysterium ijs, quæ modo diximus, coniunctum, tanquam in vmbra, et figuris. *Audiuit enim, inquit, Iethro sacerdos Madiã cognatus Moysi omnia, quæ fecerat Deus Israëli populo suo. Eduxit enim Deus Israëlem ex Aegypto. Accepit autẽ Iethro cognatus Moysi Sephoram vxorem Moysi post dimissionẽ eius, et duos filios eius, nomen vni eorum Gersam, dicens: Aduena eram in terra aliena. Et nomen secũdi Eliezer, dicẽs: Deus patris mei adiutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Iethro cognatus Moysi, et filij, et vxor ad Moysen in desertũ, vbi erat castramẽtatus iuxta montẽ Dei. Nunciatum autem est Moysi, dicentes: Ecce cognatus tuus Iethro venit ad te, et vxor, et duo filij tui cum ipso. Egressus itaq; Moyses in occursum cognato suo Iethro adorauit eũ, osculatusq; est eum, et salutauerunt se inuicem, et induxit eum in tabernaculum: Narrauitq; Moyses cognato suo omnia, quæ fecit Dominus Pharaoni, et Aegyptijs propter Israël, vniuersumq; laborem, qui accidisset ipsis in itinere: et quòd eripuerat eos Dominus de manu Pharaonis, et ex manu Aegyptiorum. Obstupuit autem Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat ipsis Dominus, eò quòd eripuisset eum Domiuus de manu Aegyptiorum, et de manu Pharaonis.

Esai. 1. Exod. 17 Ioan. 10. Christus pax nostra. Ephes. 2 Exod. 18 Iethro spiritualiter declaratus.

nis. Et dixit Iethro: Benedictus Dominus, quia eduxit populum ſuum de manu Aegyptiorũ, et de manu Pharaonis. Nunc cognoui, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos, propter hoc quòd ſuperbè egerit contra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſtomata, et hoſtias Domino. Veneruntq; Aaron, et omnes ſeniores Iſraël, vt comederẽt panem cum eo coram Deo. Altera autẽ die ſedit Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſsiſtebat Moyſi à mane vſq; ad veſperum. Dixitq; Moyſes cognato ſuo: Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. Cum enim inciderit eis aliqua diſceptatio, et venerint ad me, et diiudicabo ſingulos, et oſtendam eis præcepta Dei, et legem eius. Videns autem Iethro omnia, quæ faciebat populo, dixit: Cur hoc facis tu populo? Cur ſedes ſolus, vniuerſus verò populus aſtat tibi à mane vſq; ad veſperum? Non rectè tu facis verbum hoc. Non poteris tu ſolus præſtare hoc. Nunc igitur audi me, et conſulam tibi, et erit Dominus tecum. Neque enim aliter poteris. Interitu interibit intolerabili tu, et vniuerſus populus tecum. Graue tibi verbum hoc. Non poteris ſolus præſtare. Nunc audi me. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, et referes ſermones eorum ad Deum, et teſtificaberis ipſis præceptum Dei, et legem eius: oſtendesq; eis vias, per quas incedere debeant: et opera, quæ faciant. Et tu delige tibi ex omni populo viros potentes, et iudicabunt populum.* Et paulo poſt ſubiecit.* Audiuit autem Moyſes vocem ſoceri ſui: fecitq; omnia, quæ dixit ei.* PAL. Repete obſecro, et ſingula particulatim perſequẽs, declara. CYR. An non alienigenam, et gentilem Madianitam cenſes? Neque enim ex radice Abrahæ ortus erat. Erat autẽ alia ex parte ſacerdos, et cultor eius, quæ tunc temporis inualuerat, ſuperſtitionis. Adorabant enim (vt frequens eſt ſermo) inter ſe altiſsimum Deum, quemadmodum et nimirum Melchiſedech. Admittebant etiam alios quoſdam Deos, annumerabãtq; ipſi præſtantiores creaturas, vt terram, et cœlum, ſolem, et lunam, et præclariora ſidera. Peruetuſtus autem eſt hac in re error, et in hæc vſq; tempora propagatus. Sunt enim non nulli adhuc in Phœnicia, et Paleſtina, qui ſtultam hanc opinionem tenent, Dei cultores ſeipſos vocantes, cœterum mediam quandam religionis viam ſectantes, neque Iudæorum moribus purè, neque Græcorum addicti, ſed in vtramuis quodammodo partem vacillantes, diuiſi ſunt. Quam opinionem cum olim Iſraëlitæ ſectari vellent, propheta Helias eos increpauit, dicens. *Quouſque tandem claudicabitis in ambobus poplitibus? Aut Baal, Baal: aut Deo, Deo.* Huiuſmodi quendã religionis modum tenuiſſe Iethro, veriſimile eſt, qui auditis ijs, quæ à Deo pro ſalute Iſraëlitarum erant facta, ſtupendis eorum narrationibus perſuaſus cum vniuerſa familia, et cognatione ad Moyſen ſe contulit: qui cum eum amicè, humaniterq; excepiſſet, in tabernaculum ſuum duxit. Deinde apertius enarrat, quę per diuinam potentiã egregiè geſta ſunt: et miracula maiora, quam vt verbis exprimi poſſent. Vocatur enim ad pœnitentiam Deo præſtandam erran-

Vide Cyrilli Glaphyra ſuper Geneſim.

3. Reg. 18

errantium turba. Gẽtes, inquam: primùm quidem ex sermonibus, quos, de Deo fieri, audiũt: atq; ita deinceps ipsæ per se ad diuinam quodammodo transfugientes legem, hoc est, in instructionem per sacram literam, tanquam in primum tabernaculum incurrũt. Introductoria enim est Lex. Deinde antiquioribus narrationibus persuasa, transit etiam ad cogitationem de vno, ac solo Deo animo concipiendam, et ad fructus ipsi ferẽdos. Madianita enim audita Moysis narratione: *Nunc cognoui, inquit, quòd magnus Dñs super omnes Deos, propter quod superbè egerit cõtra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocaustomata, et hostias Dño.* Moyses itaq; elementa nos docet, et ad primos veræ Dei cognitionis aditus ducit. Hæc est per antiquiores literas institutio introductoria. PAL. Bene habet. CYR. Perficit autem Christus eos, qui per Legem instructi sunt. Quoties verò Legem nomino, vetus testamentum intellige. Quocirca ad Iethro quidem, Moyses sola de Deo narratione est vsus. In eam verò sententiam adductus est, vt apertè profiteretur, non esse alium Deum, præter vnum natura, ac verè existẽtem. Hæc verò prima est eorũ, qui recèns Legis elementis instructi sunt: opinionem, inquam, de pluralitate Deorum abijcere, atq; vnum verè, ac natura Deum amplecti. Aaron autem et Iethro etiam mensa dignatus est, et ad panis esum vocauit. Accessit enim, inquit, Aaron, et omnes seniores Israël ad comedendum panem cum cognato Moysi coram Domino. Christus enim verus Aaron pane viuente nos perfectos reddit.

Lex, vetus testamẽtum.

Perficit autem, non solùm eos, qui ex gentibus sunt, quin potius vnà cum electis eos, qui ex sanguine Israël sunt, quorum typus, et figura sunt seniores. Non mediocrem verò sanctificationis demonstrationem habet: quod tanquam in conspectu Dei panẽ comedere oporteat. Quid enim ita in conspectu Dei, vt mystica mensa, et hostia, quiq; eius participes fiunt? PALLA. Rectè ais. CYRIL. Quòd verò per Christum perfecti ad meliorem legali disciplina cognitionem transferemus, minimo negotio in Moyse, et Iethro, qui manifestum huius rei exemplum sunt, comperiemus. Moyses enim, inquit, sedebat iudicans. Astabat autem illi vniuersus populus à mane vsque ad vesperum. Dicit autem sententiam suam Iethro, quam probauit Moyses, optimamq; esse intelligens est amplexus. Audiuit enim, inquit, Moyses vocem cognati sui, et fecit omnia, quę dixit ei. Nonne igitur qui melius omnino consilium, melioremq; sententiam dicere valeat, præstantiori etiam scientia præditus esse intelligatur? PAL. Omnino. CYR. Quòd verò melior multò, præstantiorq; sit legali institutione perfectio per Christum, in cognitionem nos euehens incomparabiliter eminẽtiorem, facilè nobis Paulus ostenderit, *propter eminentem scientiam Iesu Christi, vt ipse ait, quæ in Lege sunt lucra, damna existimans, et reputans vt stercora, vt Christum lucrifaciat.* Philip. 3. Et quidem ad eos, qui adhuc, sola ea, quæ per Moysen sunt, venerantur: perfectionem verò per Christum reijciunt, propheta Ieremias dixit. *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, Ierem. 8.

mus, et lex Domini est nobiscum? Vanus factus est stilus mendax scribis. Confusi sunt sapientes, perterriti, et capti sunt. Quænam sapientia est in eis? Quia verbum Domini reprobauerunt.* Nobis verò qui salutare verbum non reprobauimus) libenter enim amplexi sumus Christi prædicationem) factus est ipse sapientia à Deo. Longè ergo superiores scientia facti sumus ijs, qui in Lege sunt, et qui legali narratione instructi sumus, comedentes panem in conspectu Dei meliora, et dicere, et sentire docti sumus. Iethro enim sententiam suam dicit: Moyses verò obtemperat. Non ab re igitur eorum, qui ex gentibus sunt, personam quodammodo agit Iethro. Eorum verò, qui iuxta Legem, Moyses. PAL. Rectè sentis. CYR. Perfectio itaque per Christum, efficaciaq; mysteriorum eius sapiētes nos reddit, et morti præualentes conspici facit: occultum spiritualemq; Amalec, hoc est, diabolum subuertens. Vnde rectè admodum Psalmista dixit: *Quia in Deo faciemus virtutem, et ipse in nihilum rediget affligentes nos.* Nobis verò de ijs, qui fide illustrati sunt, inclamat rursus veluti ad ipsum. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in nomine tuo exultabunt tota die.* Gloriabimur enim in Christo saluati, ipsumq; habentes scutum beneplaciti, secundum scripturas. Huius verò rursus typus, atq; figura sit id, quod sub finem secundi Regum libri scriptum est. Ita autem habet. *Surrexit itaque Dauid manè: et sermo Domini factus est ad Gad videntem Dauid, dicens: Vade, et loquere ad Dauid dicens: Hæc dicit Dominus: Tria dicam tibi Dauid, et elige vnum ex ijs, et faciam tibi. Et ingressus est Gad ad Dauid, annuntiauitq; ei, dicens: Elige tibi ipsi fieri, aut veniat tibi tres annos fames in terra tua, aut tres menses fugere te ante hostes tuos, et persequentur te, aut per tres dies fieri mortem in terra tua. Dixitq; Dauid ad Gad: Arcta mihi sunt vndique supramodum tria hæc. Incidam sanè in manus Domini, quia multæ miserationes eius valde: in manus verò hominum nequaquam incidam. Elegitq; sibi Dauid mortem. Erant autem dies meßis triticorum. Et immisit Dominus mortem in Israël à mane vsque ad prandium, et incepit afflictio in populo. Et mortui sunt è populo à Dan et vsque Bersabee septuaginta millia virorū. Et extendit angelus Dei manum suam in Ierusalem, vt disperderet eam, et misertus est Dominus ob afflictionem; dixitq; angelo percutienti populum: Sufficit nunc, contine manum tuam. Et angelus Domini erat stans iuxta aream Orna Iebusæi. Dixitq; Dauid ad Dominum, cum videret angelum percutientem in populo, et dixit: Ecce ego sum pastor, ego peccaui: et ego pastor malum perpetraui: Isti verò, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur manus tua in me, et in domum patris mei. Venitq; Gad ad Dauid in die illa, et dixit ei: Ascende, et constitue altare Domino in area Orna Iebusæi. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad prophetæ, quemadmodum præceperat ei Dominus. Et inclinauit Orna, et vidit regem, et filios suos tran-

Vulgata habet. Vere mēdacium operatus est stilus mendax scribarū.

Iethro gentium typus.

Psal. 59.

Psal. 88.

2. Reg. 24.

transseuntes supra se. Et egressus est Orna, et adorauit regem prona facie in terram, dixitq; Orna: Quid causæ est, vt veniat Dominus meus rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: Vt emam à te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio super populum. Et dixit Orna ad Dauid: Accipiat, et offerat dominus meus rex sicut placet ei. Ecce boues in holocaustum, et plaustra, et iuga boum in vsum lignorum. Omnia dedit Orna regi. Et dixit Orna ad regem: Dominus Deus tuus benedicat tibi. Dixitq; rex ad Ornam: Nequaquã, nisi quod emam abs te pretio, et non offeram Domino holocausta gratis. Et emit Dauid aream, et boues pretio argenti siclorum quinquaginta, ædificauitq; illic altare Domino: et obtulit holocausta, et pacifica. Et amplificauit Salomon altare, quia paruum erat initio: et propitiatus est Dominus terræ, cohibitaq; est plaga ab Israel.* PAL. Quis verò in his sensus latet? Arduam enim in se contemplationem habet. CYR. Arduam profectò, captuq; difficilem. Cœterum illud dicam, propositæ rei sententiam in pauca contrahens, et in sensum conuertens. Contemplare itaque ô Palladi, tanquam in speculo, et subtili cogitatione Christi mysterium, et diuinæ erga nos œconomiæ rationẽ. PAL. Facilè itaque effeceris, vt hoc assequi possim, adiuuante Deo. CYR. Audi itaque. Nam declarationem rei aggredior. Mors ob diuinam iram immissa populum Domini absumebat: et vsque ad tempus prandij nemine impediente grassabatur percussor. Cumq; iam Ierosolymis etiam manum admouere vellet, prohibitus est à Deo. Dauid verò, viso angelo, orauit dicens se esse peccati authorem, satiusq; ac iustius esse, vt pastor et dux potius morte plecteretur, quàm oues nullius mali consciæ. Deinde, imperante Deo, altare erigit in area Orna, quã vnà cum bobus emit siclis quinquaginta. Aedificato autem altari, obtulit in eo sacrificia, holocausta, et pacifica: atque ita deinceps plaga cessauit, grauissimaq; antea mors auersa est. Indicat præterea sacra scriptura, paruum initio altare fuisse: ad vltimum verò à Salomone auctum. An non me paucis totam propositæ rei sententiam complexum esse censes? PAL. Censeo. Cœterum quo pacto sensus clarus fiat, modo explana. CYR. An nescis, humanam naturam indubiè in mortem, atque interitum prolapsam, creatoremq; ad iram exstimulasse, tanquã in primitijs generis nostri, hoc est, Adam; qui cum diuinum initio præceptum violasset, audiuit: *Terra es, et in terram reuerteris.* PAL. Rectè. CYR. A mane ergo, hoc est, à primis præsentis seculi temporibus mors humanum genus oppressit vsque ad tempus prandij, hoc est, vsque ad tempus mensæ. Cum enim nobis aduenit sacræ mensæ tempus, mysticæ nimirum illius, et in Christo, in qua panem cœlestem, ac viuificantem comedimus, vetus illa grauissima, acerbissimaq; mors abolita est, propitiato Deo: et tunc demum percussor placatus est: qui cum vellet in eos, etiam qui sanctam ciuitatem habitant, spiritualem nimirum Ierusa-

Genes. 3.

Ieruſalem, exitialem manum extendere, Deo placato, tunc demum cōtinetur. Abſtine enim nunc, ei dicitur: ſufficit. Sancta verò ciuitas, eccleſia eſt: cuius habitatores ſunt, qui per panem viuum perfecti ſunt ad ſanctificationem. Cuius vſq; adeò ſanctę, admirandæq; ciuitatis Dauid etiā meminit, dicens: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas.* Inhabitauit enim in nobis Chriſtus, qui eſt vita, et viuificans. Quocirca auertit etiam Deus à ſanctificatis interfectorem, quippe qui nō amplius vincere debeat, poſt oſtenſum tempus menſæ ſanctę, quæ per tempus prandij ſignificatur. Eripuit itaq; nos Chriſtus, veluti in perſona Dauid intellectus. Cum enim vidiſſet mortem crudeliter in humanum genus graſſantē, patronus pro nobis factus eſt apud Patrem. Obtulit enim ſeipſum pro nobis, libenſq; morti ſe ſubiecit, placauitq; interfectorem, ſuum ipſius eſſe peccatum dicens. Non quod peccatum commiſerit, ſed quia, iuxta ſcripturas, *ipſe peccata noſtra tollit: et pro nobis affligitur, et cum iniquis reputatus eſt, tametſi peccatum non cognouit, factusq; eſt pro nobis execratio.* Præterea paſtorem potius pati debere, inquit, quàm oues. Nam tanquam bonus paſtor animam ſuam poſuit pro ouibus. Poſtea Dauid diuino monitu eò loci, vbi angelum interfectorē ceſſantem iam, et ſtantem vidit (viderat autem illum, inquit, iuxta aream) illic altare erexit: holocauſtomataq;, et pacificas (ſunt verò hæc ſacrificiorum iuxta Legem ſpecies, ac modi) Deo obtulit. Ac per aream quidem, eccleſiam intelliges. Ad quam cum perueniſſet mors, ſubſtitit, atq; ceſſauit, et antea exitialem, mortiferamq; manum interfector cōtraxit. Domus enim eſt vitæ ſecundum naturam, hoc eſt Chriſti. Aream autem eſſe dicimus, veluti ex ſimilitudine, et figura, eccleſiam: in qua inſtar manipulorum, ſiue ſpicarum colliguntur per ſermonem ſanctorum meſſorum, hoc eſt, apoſtolorum, et euangeliſtarum, vt in cœleſtes aulas conferantur, ac veluti in horreum Domini in cœleſtem Ieruſalem, tanquam purū quoddam frumētum conuehātur, poſt inutilium, ac ſuperuacanearum rerum, ſimul et cogitationum depoſitionem, ſiue euentilationem: quæquidem in figura palearum intelliguntur. Dictū vtiq; eſt alibi à Deo ad ſanctos apoſtolos: *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, et meſsis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos veſtros, et videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem: et qui metit, mercedem accipit: et congregat fructum in vitam æternam.* Et rurſum: *Meſsis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominū meſsis, vt emittat operarios in meſſem ſuam.* Meſſem, arbitror, ſpiritualem eorum, qui credituri ſunt, multitudinem vocans. Sanctos verò meſſores eſſe dicens eos, qui in mente, ac lingua diuinum ſermonem habent: *qui quidem viuus eſt, atq; efficax, ac acutior quouis gladio ancipiti: et pertingens vſq; ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus: compagum quoq;, ac medullarum.* Areæ verò nomine ſanctus etiam Baptiſta eccleſiam ſignificauit, de Chriſto alibi ita dicens: *Ego quidem aqua baptizo vos. Venit autem potētior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam

Marginalia: Pſal.88. — Eſai.53. — Area, typus eccleſiæ. — Ioan.4. — Matth.19. — Hebr.4. — Luc.3.

giam calciamentorum eius,ipse baptizabit vos in Spiritu sancto,et igne. Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam, et cōgregabit triticum in horreum suum,paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hanc igitur aream spiritualem(ecclesiam inquam) emit Christus quinquaginta siclis,hoc est,nō exiguo precio. Seipsum enim dedit pro ea: erexitq́, in ea altare,et ipsemet sacerdos, summus enim pontifex factus est,ipseq́; sacrificium obtulit seipsum,veluti in specie,ac figura bouis triturātis: et factus est holocaustum, et hostia pacifica. Soluta enim est maceries in Christo? quiq́; olim disiti,longeq́;semoti eramus ob peccatum, congredimur per ipsum,et in ipso ad Deum, et Patrem,veteri illa inimicitia extincta.*Ipse enim est pax nostra,* iuxta scripturas. PAL. Bouem itaq; triturātem intelligemus Christum. Quanā obsecro ratione? CYR. An nō enim boues aratores Apostoli per Legem Moysi vocati sunt? Ait enim figuratiuè.* Nō obturabis os boui triturāti.* Quod cū clarè intellexisset Paulus, inquit: *Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtiq; hoc dicit? Propter nos enim scriptum est,quoniam debet in spe,qui arat, arare: et qui triturat,in spe fructus percipiendi.* Boues igitur,iuxta similitudinē primi,hoc est,Christi,sunt beati Apostoli. Alia etiam ratione Christus bos arator est. Per ipsum enim fit purificatio,et superuacanearum rerum reiectio:distractionum,inquam, mūdanarum, et carnalium desideriorum, quæ etiam flammæ debentur,vt paleç. Erecto verò altari,pacificç in eo, et holocaustomata deinceps offeruntur. Placatus enim est Dñs terræ, et

Ephes.2.
Bos triturans, typus Christi.
Boues aratores Apostoli.
Deu.25.
1.Cor.9.

afflictio cohibita est. Sacrificāte enim Christo abolita est mors, interitusq́; auersus,parataq́; sunt ad omniū preces omnipotentis Dei aures.* Adhuc enim loquente te,inquit,dicā: Quid est?* Quòd autē paruū altare initio, successu verò tēporis amplificatum fuisse dicitur,significat euangelij secūdum tēpora incrementū futurum,et sanctarum ecclesiarum angustiā sub eius principium, amplitudinē verò deinceps. Amplificātur enim quodā modo semper altaria,adiectis semper alijs ecclesijs ad primas,et immēsurabilem multitudinē crescētibus populis,qui per seruitutē in Christo redēpti sunt,ipsum habentes sacerdotē,et sacrificium sanctū,odorisq́; suauitate flagrans,mundificans,atq; admirandū altare,et veluti in figura areæ Dominū ecclesię. PAL. Quàm clarus,et manifestus sermo. Artificiosè enim eum deduxisti. CYR. An non itaq; etiā tu nihil dubitās affirmaris,Christum esse omniū vitam,atq; redēptionē? PAL. Affirmarim certè. Ita enim sentio. CYR. Vnus igitur pro omnibus mortuus est,vnus instar omniū, propriáq; animam preciū redēptionis nostrę posuit,diaboli inclementiā placans, et regnātis in nobis peccati contradictionē,largáq; in omnes accusationē tollens. PAL. Quanam ratione? CYR. Cū enim regnauit in humanū genus peccatū, multū declinātibus ad malum à iuuētute, sicut scriptū est,cūq; omniū animi ad ea perpetrāda sedulò excubarēt,necessariò in mortis pœnā incidimus. Diuinæ enim legis trāsgresioni,et præceptorū Dñi violationi mortis pœna proposita est. Corruptā itaq; hoc pacto humanā naturam,misertus est creator,homoq; factus est vnigenitus,et

Esai.65.
Gen.8.

corpus

corpus morti naturaliter obnoxium geſtauit, carnēq; aſſumpſit, vt pro nobis tolerās mortē ex peccato nobis incūbentem, deleret peccatū: Sataneq; aduerſus nos criminationem: quippe qui exoluerimus in ipſo Chriſto debitas peccato pęnas. Tollit enim peccata noſtra, et pro nobis paſſus eſt, iuxta prophetę vocē. Nōne enim vibice eius nos ſanati ſumus? PAL. Verè. Vulneratus enim eſt pro peccatis noſtris, afflictusq; et verberatus. CYR. Paſſo itaq; Chriſto pro nobis, ſolutū eſt peccatū, nullaq; eſt aduerſus ſanctificatos per Chriſtum criminatio: quod et propheta Zacharias nos manifeſtè docet tanquā in viſione dicēs:
Zach. 5. *Et egreſſus eſt angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me. Leua oculos tuos, et vide, quid eſt hoc, quod egreditur. Et dixi: Quidnā eſt hęc menſura, quæ egreditur? Et dixit: Hæc eſt iniquitas eorum, qui ſunt in omni terra. Et ecce talentū plumbi eductum. Et ecce mulier quædā ſedebat in medio menſuræ, et proiecit lapidē plumbi in os eius. Suſtuli autē oculos meos et vidi. Et ecce duæ mulieres egrediētes, et ſpiritus in alis earum, et ipſę habebant alas, tanquā alas vpupæ, quæ acceperūt mēſuram inter terrā, et cęlum. Et dixi ad angelū, qui loquebatur mecum: Quo iſtæ deferunt mēſuram? Et dixit ad me: Vt ędificent ei domū in terra Babylonis: et parent, et ponant eam ibi ad parationē ſuā.* Vis ne, vt ſingula, quoad poſſumus cōtemplemur? PAL. Omnino. CY. Mēſuram quandā Ieruſalem egrediētem videt propheta. Percunctanti verò quidnā hoc eſſet, reſpondet angelus: Hęc eſt iniquitas eorū, qui ſunt in vniuerſa terra. Quod perinde eſt, ac ſi dicat: In hac mēſura menſurantur omniū, qui per vniuerſam terrā ſunt, ſecūdum tēpora, peccata. Cum enim peccata noſtra ad certam quātitatem peruenerint, tunc legiſlator offenſus pœnas exigit. Sæpenumero autē ex innata benignitate tolerat, et ad peccata conniuet, neq; omnino in indignationem erumpit ante eorū impletionem. Quocirca ad Abrahā ita inquit: Nondum impleta ſunt peccata Amorrhæorū vſq; nunc. Ad Phariſæos autem intolerabiliter eum vexātes, Chriſtus inquit: *Et vos impleuiſtis menſuram patrū veſtrorū.* Egrediente itaq; menſura, eleuatur plūbi talentū. Mulier verò in mediū inijcit implens mēſuram, quæ etiā proprio ore plumbi lapidem excepit. Deinde inquit angelus: Hæc eſt iniquitas. PAL. Nondū ſatis perſpicuus eſt ſermo. CYR. Paucis declarabo. Plumbi itaq; talentum, ipſe Chriſtus eſt: qui quidē eleuatur, hoc eſt, exaltatur per crucē, et diuinitatis dignitate excellens cernitur. *Deus enim eum ſuper exaltauit, deditq; ei nomen, quod eſt ſuper omne nomē.* Obſtruit autē os peccati, iuxta id, quod in pſalmis dicitur: *Et omnis iniquitas obturabit os eius: *prohibēs criminari eos, qui ex infirmitate peccarūt, et in fide iuſtificati ſunt. Deus enī iuſtificās eſt, quis cōdēnans? Chriſto verò paſſo pro nobis, quo pacto cōueniēs ſit, pęnas delictorū noſtrorū à nobis exigi? PAL. Rectè ais. Iuſtificati enim ſumus in Chriſto, accuſatioq; ob peccatū à nobis amota eſt. Cęterū libēter abs te doceri velī, q̄ nā de cauſa Chriſtus in plūbo ſignificetur, iniquitas verò tāq̄; in pſona mulieris appareat? CY. Atqui hoc quidē facilè ex ſacris literis intelligi poteſt. Multis enī alijs rebus Chriſtus cōparatur ob varia ſignificatorū

Matth. 23. Philip. 2. Pſal. 106.

in ipso intellectorum qualitatem. PAL. Quo pacto? CYR. Factus est nobis basis, et munimẽtum, firmũq; et inconcussum fundamentũ, ideoq; appellatus est lapis. *Ecce enim, inquit, mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem preciosum: et credens in eo, non confundetur.* Et ipse rursus splẽdidum, admirandumq; ecclesiæ fundamentum, diuitiæ nostræ spirituales. Dictus autem est margarita. *Simile est enim, inquit, regnum cœlorum homini negotiatori quærenti pulchras margaritas, qui inuenta vna pretiosa margarita, abiens vendidit omnia, quæ possidet, et emit eam.* Agglutinauit autem nos per seipsum Deo, ac Patri, dissoluta inimicitia in corpore suo, vt scriptum est. Vnde etiam ad Patrem, ac Deum cœlestem, de ijs, qui per fidem in ipsum iustificati erant, ita inquit. Pater volo, vt sicut ego, et tu vnum sumus, ita et ipsi in nobis vnũ sint. Vocatur itaq; etiam lapis stamneus: stamno enim compactilia conglutinantur. Quin et Deus alibi per vocem Zachariæ proprium nobis filium ostendens, veluti secundum tẽpora venturum, atq; adfuturum. *Et gaudebunt, inquit, et videbunt lapidem stamneũ in manu Zorobabel.* Sic ergo etiã illic massam plumbeam ipsum appellat. At quę nam sit huius rei ratio, rursus dicam. Argentum reprobum vnà cum plumbo liquefactum optimè expurgatur, rapiente ad se naturaliter plumbo argenti simul liquefacti sordes. Huiusmodi quid etiam in nobis Christus præstitit. Reprobis enim nobis corporaliter simul ac spiritualiter commissus est: atq; ita inhærentes nobis sordes

Esai. 28.

Matth. 13.

absumpsit. Tollit enim peccata nostra, vt nos propter ipsum, et per ipsum puritatem, splendoremq; consequamur. Quin et propheta Ieremias, populum Iudaicum purificationem per Christum non admittentem increpat, dicẽs: *Defecit follis ab igne, defecit plumbum. Frustra argẽtarius argentum conflat, malitiæ eorũ non sunt liquefactæ. Argentum reprobũ vocate eos, quia reprobauit eos Dominus.* Intelligis quo pacto scriptura sacra nõ ignorauit, argenti purgationem absq; plumbo fieri nõ posse? Quia ergo reprobos nos expurgauit Christus, plumbo cõparatur. Et ipse obturat os peccati, tãquam in forma mulieris. Mulier enim imbecillitatis simul, et voluptatis est symbolũ, per quæ omnis iniquitas perficitur. Voluptate enim quadam in hoc, aut illud præcipitata mens, atq; ita eneruata, à laboribus ad virtutem ducentibus abhorret: atq; ad peccatum humana natura prolabitur. Idcirco voluptatis potius studiosi, quam Dei, quidam dicũtur. Propheta verò ijs, qui ex infirmitate animæ peccato laborant, et ad vitia deficiunt, inclamat: Confortamini manus remissæ, et genua dissoluta. PAL. Hæc quidem bene habent. Copula verò mulierum, quæ mẽsuram et iniquitatem in terram Babylonionum deferunt, quid sibi vult? CYR. Obstructum quidem est amice iniquitatis os per Christum. Iustificati enim sumus in ipso, atq; ab omni culpa liberati: accusatioq; iniquitatis aduersus nos deleta est. Hic enim fuit diuinę erga nos administrationis scopus, propter nos, secundũ nos, et pro nobis mortem oppetere, tametsi reuixit iterũ. Neq; enim possibile erat

Ierem. 6.

vitam à morte ſuperari. Cœterùm quidam non crediderunt euangelio Christi: neq; hanc ex peccato redemptionem amplectentes, eodem onere premuntur, ſuis ipſorum id ceruicibus acceſſentes ob mentis infirmitatem, ac mollitiem, animæq; effœminationem. Hi omni ſpiritu malo circunferuntur, et in quoduis immunditiæ genus vehementiſsimæ propulſi, omne ſuum ſtudium ad malum cōferunt. Studij verò iſtius, atq; diligentiæ ſignum eſt ala, quam etiam vpupæ eſſe aiunt. Vpupa verò genus eſt auis, quæ ſemper cœnoſiſsimis, fætidiſsimisq; locis aduolitat: et ex cęno, atq; immunditie ſibi victum parat. Quotquot itaq; omne ſuum ſtudiū adhibent ad immunditiem, hi meritò alas vpupæ habere dicuntur. Muliebri etiam ſpecie, atq; effœminati ſunt. Deniq; eandem cum regnante in ipſis peccato formam præ ſe ferūt. Quemadmodum enim vniformes Chriſto facti ſunt per ſanctificationē qui ſub ipſo, et cum ipſo ſunt: eâdem planè ratione iniquitatis formam, ac ſpeciem referunt, qui hanc reſpuerunt, et immundæ prauitati acquieuerunt. Deferunt autem menſuram in Babylonem, atq; illic domum quę ſunt: quo quidem, vt arbitror, figuratè ſignificatur, quòd qui ea, quæ Chriſti ſunt, amplecti noluerit, et peccati obſtructionem amarit, ad ſolam immunditiem ſtudia ſua omnia conferens, eijcietur quidem è ſancta Ieruſalem, hoc eſt, primogenitorum ſancta matre, pulchraq; illa cœleſti ciuitate, et tantum non grauiſsimo preſſus peccati pondere, cum Babylonijs habitabit, hoc eſt, portionem, ac ſortem habebit cum impijs idolatris. Nihil enim ab idolatris differunt, qui redēptionem per Chriſtum impiè reiecerunt. Vnde Saluator noſter: *Si peccauerit, inquit, frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipſum ſolum. Matth. 18.
Si audierit te, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos: vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi neq; hos audierit, dic eccleſiæ. Si autem eccleſiā non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, et publicanus.* Obſcurum itaq; iam minimè eſt, quin potius quamplurimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs comprobatum, quòd omnis iuſtificatio, omniſq; redemptio ſit in Chriſto. PAL. Rectè ſentis.

Explicit liber tertius.

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratio ne in spiritu, et veritate.

Liber quartus.

BONAVENTVRA VVLCANIO
Brugensi Interprete.

Quòd is qui à Deo ad iustificationem vocatus est, et redemptus, sequi eum debeat: omnemq; ad vitium propensionem, ac mollitiem vitare: quin potius legaliter viriliterq; vitã instituere.

¶ Dialogus quartus.

CYRILLVS.

DAmnosum quidem, vt videtur, Palladi, imo verò execrabile, summęque demẽtię est, prauitati, atque peccato contraire nolle. sed absurdis voluptatibus quodammodo eneruatos, et mollitie effœminatos, eiq; addictos à contentione ad virtutem desciscere: cum alioqui per Christum ad quoduis opus laude dignum aspirare possimus. Atq; ad hoc quidem sanctissimus Paulus nos instigat, dicẽs:
Eph.6. *Confortamini in Dño, et in potentia virtutis eius.* PALLADIVS. Rectè ais. CYR. Colligemus enim vires in Christo. Cœterum nō absq; sudore quis hoc consequatur, vt affectibus imperet, mentemq; suam inuictam teneat. Atq; ijs quidem, qui supinè, remisseq; se gerunt, impossibile id fuerit: ijs verò, quibus labor cordi est, facillimum. Scriptũ est enim:
*Quòd vir in laboribus laborat sibi Prou.16
ipsi, et violenter conciliat suam perniticm.* Atqui res præstantissimas paruis sudoribus consequi posse, vel cogitare tantùm absurdũ duco. Nonne verò reliquis omnibus rebus pretiosius nobis, ac prius esse debet, saluare animam: et pro priuata nostra vita decertare? PAL. Omnino. CYRIL. Quibus verò athletis gloriam deberi censes, ijs ne, qui rectè, legitimeq; certarint, et quibus victoria curæ sit: an ijs, qui mollitie, ac delitijs diffluũt, quiq; ociosam vitã pro optima sibi delegerunt? PAL. Cui dubiũ esse potest, minimè conuenire victoriam ijs, qui segnitie laborant, ad probos verò hanc laudem pertinere? CYR. Illi itaq; qui nullis laboribus deterrentur, gloriam consequuntur. Absq; certamine verò nemo illustris euadit. PAL. Rectè habet. CYR. Rectà igitur ô Palladi, ad res laude dignas

gnas contendendum est, fortiterq; virtuti incumbendum, magnaq; animi promptitudo, atq; alacritas adhibenda est, quæ quidē à sacra scriptura magnopere commendatur, quęq; sanctorum animis amica, et familiaris. Quocirca et diuinus ille Dauid, ijs, qui ita affecti sunt, inclamat, inquiens: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes sperantes in Dominū.* Tāquam verò hoc ipsum præ alijs præstiterit, ipse de se gloriatur, dicens: *Dn̄s illuminatio mea, et salus mea, quē timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.* Infinita enim scandala nos circū stant, innumeraq; dæmoniorū multitudo nos ad peccatum extimulat: et præterea innatarum voluptatū feritas, pecuniç etiā studiū, superbia, et cædi vicina inuidia, odia, atq; obmurmurationes imminent: et quid nō huiusmodi malorum? Atq; ij quidē, qui faciles abductu sunt, neq; huiusmodi fortiter ferre norunt, si vel extremo digito attigerint, facilem sui vistoriā hostibus præbent, tāquam beta semicocta, iuxta prophetę vocem, in terrā abijcientes, et absq; vllo cōflictu, peccati pedibus subijciuntur. Boni verò, ac virtutis studiosi, cœlestisq; gloriæ cupidi, quiq; eternæ vitæ desiderio flagrant, fortissimè, excelsoq; animo affectuum suorum impetus propulsant, mortificantes carnē, et motibus, qui in ea, et ex ea sunt, superiores: has et quasuis alias prauitatis, ac peccati species artificiosissimè profligantes, sanctam, atq; irreprehensibilem vitā degunt. Quibus diuinus ille Paulus inclamat, inquiens: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiæ, et calceati pedes in præparationem euāgelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Spiritualis itaq; armatura sanctos decet: quā appetere debere nos, tametsi alia ratione, iubet tamen Saluator ipse. *Sint, inquit, lūbi vestri præcincti, et calceamenta in pedibus vestris, et lucernæ ardētes.* Succinctos nimirum nos, et expeditos ad labores pro bono, proq; amore erga Deum ferēdos per id, quòd præcingi nos iubet, significans. Prōptos verò, ac paratos ad alacriter à mūdo discedendū, per id, quod pedes calceatos esse præcipit, vt prōptè quocunq; diuina lex iusserit, eamus. Per lucernas autē accensas, vt nō veluti in tenebris, ignorantiaq; vitā transigamus, sed potius in luce per Christū ad mirabilia quæq; cōtendamus. Ac quidē Iudæis præ insania mentis id facere nolentibus Christus dixit. *Quādiu lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebrę vos cōprehendant.* Prōptitudo itaq; ad virtutem, et fortitudo prudentiæ coniuncta, illustrem, et cōspicuū pietatis amatorē est declaratura. PA. Rectè sentis. CY. Neq; enim ocio, atq; ignauia gloria cōparatur. Sed si quis desudare voluerit, tum demum præclarus, celeberrimusq; euadet. Cū itaq; adhuc Israelitę in Aegypto versarētur, prophanus Pharao eis graues, rigidosq; operum præfectos designari iussit. Ipsi verò inuoluntaria, ac necessitate quadā imposita seruitute pro exercitio tolerātiæ vsi, cōmodo potius revera, quā iniuria affecti sunt. Metuebat enī Pharao Hebręos in infinitā multitudinē excrescentes, astuteq; eorū incremēto obuiā ire tētans, pręfecit, inquit, eis magistros operum,

Marginal notes: Psal. 30. — Psal. 26. — Esai. 14. — Ephes. 6 — Luc. 12. — Ioan. 12.

operum, vt eos in operibus affligerent. At verò consilia eorum longè alium exitum sunt sortita. Afflictio enim ipsis illata, occasio fuit maioris in multitudinem incrementi, Deo nimirum rem administrante, malisq; eorum conatibus suam quodámodo gratiã opponẽte. Quãto enim magis inquit, eos affligebãt, et deprimebãt, tãto plures, fortioresq; euadebãt. Diabolus enim sanctis afflictiones infert, infrendens dẽtibus: et quos Deus tanquam peculiares sibi vẽdicat, ijs semper delectim præ alijs insultat. *Cibi enim ipsius electi,* inquit scriptura. Abac.1. At qui in his labori se tradunt, tentatĩ meliores euadunt: et tolerantia in certaminibus laudatiores omnino efficit. Quo circa per quæ quidem dolore ac damno afficere putabat, per ea ipsa præcipuè etiam inuitus, atque imprudens iuuat. Et per quæ eos de medio sublaturum suspicabatur, robustiores facit. Postquam verò versuti inuenti inopinatum exitum Pharao comperit, et per quæ damno eos afficere cogitabat, iuuare potius tandem ægreq; intellexit, mutat extemplo fraudulenti consilij sui rationem. Exod.1. *Accersitis enim obstetricibus Hebræorum. Quando obstreticabitis, inquit, Hebræas, et pariendi tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, reseruate. Timuerunt autẽ obstetrices Deum, et nõ fecerunt iuxta præceptũ regis Aegypti, sed conseruabant mares.* Cum verò ipsius impia, et sanguinolenta consilia aduersus genus Israëliticum successu carerent (neq; enim permisit Deus, vt obstetrices tãtum scelus perpetrarent) ad vim apertè inferẽdam se contulit: neq; deinceps eos occultis damnis afficiẽdos censet: sed aperto Marte aggreditur, et crudelem infantium recens natorum mortẽ promulgat. *Præcepit enim, (inquit) Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natũ fuerit Hebræis, in flumen proijcite: quidquid fœminini, reseruate* Parũ enim de muliebri sexu laborat. Ibidem. Mulier enim res est aliena à bello, neq; apta sciẽtiæ. Masculum verò, iuxta vtrũq; affligit, nimirum vt sapientem, et bellicosissimum. Gratissimus igitur, optatissimusq; est sanguinolento draconi, Satanæ, inquam, muliebris animę intellectus, effœminatusq;, ac imbellis, et inhabilitate ad sapientiam laborans. Inimicus verò, atq; odiosus, prõptus ad virtutem, quiq; nec mollitie eneruatur, neque metu infringatur, summaq; prudentia præditus sit. Idcirco quidem muliebris sexus vitę indulget: et ab ijs sanguinolentum consilium suum quodammodo auertit. Stultum enim arbitror, bellũ aduersus eos suscipere, qui prostrati iam, suaq; sponte sub iugum duci gaudẽt. Mergit verò quodammodo id, quod masculum est, in occupationum vertigines immittens. Quod mihi diuinus etiam ille Dauid decantare, ac dicere videtur: *Nisi quia Dominus nobiscum, quum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos. Quum irasceretur furor eorum in nos, forsitã aqua absorbuisset nos. Torrentẽ pertansiuit anima nostra.* Psal.123. PAL. Ita est. CYR. At verò animaduerte subdoli consilij rationem. Primùm enim illos acerbissimis laboribus affligebat, ne in ingentem multitudinem excrescerent, fraudulenter excogitans. Atqui ea, per quæ malis

cos

eos afficere putabat, damnũq; adhuc occultum erat, neq; tyranni ſcopus ſatis cognitus. Oppoſuit autẽ ſe quodammodo diuina gratia eorum miſerta. Quanto enim magis deprimebantur, tanto magis robore et numero creſcebant. Deinde per obſtetrices Hebręorũ mulieribus inſidias ſtruit. Sed ne hoc quidem Deus permiſit. Tertium deniq;, atq; vltimum damnum eis machinatur, omni populo ſuo præcipiens, vt omne maſculum ſubmergerent, non amplius occultè eis inſidiandum exiſtimans. Satanas igitur ijs, qui fortiter viriliterq; rem gerunt, inuiſibiliter bellum infert: et triplici quodammodo ratione inſidias ſtruit, atq; aggreditur quidem pugnam verſutis conſilijs, incrementum virtutis à mente intercipiens. Incautos enim laboribus opprimere nititur, durisq; certaminibus implicare. Cum verò per ea nihil proficere ſe ſentit (propugnante nimirum nos Deo) ſæpenumero eos, qui noſtrę fidei, et eiuſdem gentis ſunt, concitat: atq; ad inimicitiam, ac pugnam extimulat. Quod et Paulus teſtatur,
2.Cor.11 dicens: *Periculis in falſis fratribus: periculis ex genere.* Si verò ne hac quidem ratione voti ſui compos ſit, diuinum ipſis incutiente metum ſanctorum præfecto, quemadmodum et olim obſtetricibus, manifeſtè deinceps ſuos ſatellites ad crudelitatẽ, et ſanguinolentiã exercendam excitat. Nos verò etiam ita flagranti fortitudinis amore, magnaq; animi contentione reſiſtemus: non ignorantes id, quod inuiſum illi eſt, Deo acceptum eſſe. Magni enim facit, ſuaq; cura dignatur id, quod à mollitie eſt alienum. PAL. Ita crediderim. Facilè verò, vt arbitror, fuerit hoc ipſum è ſacris literis rurſum cognoſcere. Nihil enim in intellectu huius rei dubium amplius eſt. CYR. Dicamus itaque Deo aſpirante, quemadmodum in Numeris (Moſaycus verò hic liber
eſt) *loquutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sina in tabernaculo teſtimonij, prima die menſis ſecundi anno altero egreſsionis eorũ ex Aegypto, dicens: Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes, et domos ſuas ſecundum numerum nominum ipſorum, ſecundum capita ipſorum omne maſculinum à vigeſimo anno, et ſupra. Omnis egrediens in exercitu Iſraël, numerate eos in virtute ipſorum. Tu, et Aaron numerate eos.* Num.1. Quòd igitur maſculum omne, et bellicoſiſsimum, quodq; ad iuuentutem euaſit, hoc eſt, in ſpirituale robur, et in mẽſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in diuino albo Deiq; libro accenſeatur, facilè ex his intelligi poteſt. Neque enim aliam ob cauſam, vt equidem arbitror, maſculum, quod vigeſimum et vltra annum attigerit, accenſetur, quàm vt nos etiam ipſi intelligere poſsimus, quàm vile, et contemptibile ſit id, quod imbecilla, atque imperfecta prudentia prę ditum eſt: cuiuſmodi ſunt iuniores adhuc, qui nondum ad iuuentutis metam peruenerunt: quam quidem diuina Lex vigeſimo anno definit, Deoq; accepta eſt: et ab eo accenſeri iubetur, ſecundum multitudinem, et generationes, et capita, ac nominatim quod in vigore ætatis conſtitutum, et maſculum eſt. Hac enim ratione fortibus, inq; hãc intellectus menſuram perductis ſanctis apoſto-

lis dictum est à Christo alibi quidē:
Luc. 10. *Ne gaudeatis, quòd dæmonia vobis obediant: gaudete verò potius, quòd nomina vestra scripta sunt in
Matth. 10. cœlis.* Alibi verò rursum: *Nonne duo passerculi asse veneunt, et vnus ex ipsis non cadet in terram absque Patre meo, qui est in cœlis? Vestrûm autem etiam capilli capitis numerati sunt.* Summam nostri curam Deum gerere, per id, quòd capilli capitis nostri numerati sunt, significans. In libro igitur Dei ij, qui in vigore ætatis sunt constituti, et masculi, describuntur. Census autem fit per Moysen, et Aaron: vt per vtrumq; vnum intelligamus Christum, tanquam in Moyse, legislatorem: tanquam in Aaron, summum sacerdotem. Factus enim est nobis legislator simul, et sanctus, atq; immaculatus pontifex, perq; ipsius intercessionem, fortium, ac virtute eminentiorum in sacris libris descriptio, siue census est factus. Quibus sapiens etiam ille Ioannes inclamat, inquiens:
1. Ioan. 2 *Scribo vobis iuuenes, quia fortes estis, et vicistis malum.* Illi itaq; sint, de quibus modo diximus, Quod omne masculum à vigesimo anno, et vltra omnis egredeins in exercitu Israël. Quos quidē, quòd cura sua, atque protectione dignetur beneficentissimus creator, facilè ex ijs, quæ deinceps scribuntur, intelligas. Inquit enim rursus ad eos, qui circum Moysen, et Aaron erant: (manifestum autem est, quòd Deus.)
Num. 1. *Et vobiscum erunt quilibet per tribum vniuscuiusq; principum per domos familiarum. Et hæc nomina virorum, qui aderunt vobiscum.* Vnaquæq; enim tribus præstantissimū, bellicosissimūq; ducem cōstituit: qui propugnator, et consilij princeps, rerumq; agēdarum suasor, atq; author sit: quorū quidē typus sint angeli: electis, et in libro vitæ scriptis præfecti. Scriptū est enim de omni iusto: *Castra figet angelus Domini in circuitu timentium eum, et liberabit eos.* Psal. 33. Vulg. habet: Inmittet angelus.
Quòd verò angelicis auxilijs liberati simus iuxta voluntatē Dei, omni ex parte manifestū est: et superuacaneū, arbitror, probationes ad hāc rem cōferre, cum passim obuia sint exēpla: facillimeq;, qui volet, ea colligere posset. PAL. Ergo veluti in typo Moysis et Aaron, census fortium per Christū fit. CYR. Ita aio. Deducit enim nos ad huius rei rationē verisimili argumēto id, quod apud Danielē est. PA. Quidnā ais? CYR. *Vidit enim tanquā in ætate antiqua Patrem alba canitie coronatum, et vestibus instar niuis indutū. Dixit autem, quòd libri aperti sunt, et iudiciū sedit. Et aspiciebā. Et ecce cū nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et vsq; ad antiquum dierū peruenit: et in conspectu eius obtulerunt eum; et data est ei potestas, et honor, et regnū.* Dan. 7. Vulg. Et antiquus dierum sedit.
Quando enim vnigenitus nostrā figurā assumpsit, tunc et Pater libros aperuit, et desijt quidē iudicare eos, qui peccatis obnoxij erāt, ac fortes deinceps accēsere, et supernis locis annumerare cœpit, atq; in memoriā Dei collocare. Quin et beatū Dauid cantantē audio de ijs, qui Christum contumelia affecerunt: *Deleātur de libro viuentiū, et cum iustis nō scribantur.* Psal. 68.
Imbecillitate enim mētis laborantes, à vita, quę est in Christo prę mollitie sua exciderunt: qui beneuola, atq; propēsa erga humanū genus Dei volūtate digni habiti erāt. Vocati enim sunt ad nuptias.

nuptias. Molliter verò, segniterq; sanctis ad prandium vocantibus responderunt, dicentes: *Hic quidē, agrum emi: alius verò, vxorem duxi: et nō possum venire.* Audis, quo pacto vndiq; responsitent, se non posse? Mens enim humana, si ad mūdanas voluptates vergit, imbecilla planè, atq; eneruis est ad ea, quæ Dei sunt, pręstāda. At verò qui ita affectus est, cœlestis diuinæq; festiuitatis expers est futurus. PAL. Solùm itaq; adultū atq; virile et prudens in Dei album referetur, et libro viuentium adscribetur. Quod verò tale omnino non fuerit, reijcietur? CYR. Si diligēter, accurateq; animaduertas, quinam accensi sint, facilè veritatèm cognosces. Describitur enim id solùm, quod ad florem ætatis, atq; ad annum vigesimum peruenit. Adijcitur verò, quòd omne masculū. Assequeris ne, quid velim? PAL. Assequor. CYR. Quocirca si fortitudini in Christo intellectæ, eorum, quæ ad perfectè exercendam virtutem necessaria sunt, modus adijciatur, propriam ac peculiarem descriptionē sunt habituri, qui hanc gloriam sunt consecuti, tanquā viriles, et bellica laude pręclari: quiq; iam pueriles cogitationes euaserunt. An non vnicuiq; nostrum proprius quidam, ac decens locus conueniat descriptionis et gloriæ, actorum nostrorum splendori respōdens? PAL. Omnino. CYR. Neq; enim sanctis apostolis vlla ratione is, qui eis nō cōueniat, tribuetur. PAL. Rectè. CY. Neq; verò rursus hoc dicimus, quòd ijs, qui multiplici virtute illustres sunt, rectissimamq; iuxta Legis normam vitā instituerint, non talis locus sit ordinandus. Minimè enim obscurum esse potest, quod secundum propriā quisq; mensurā sortietur. PAL. Bene dicis. CYR. Quocirca, prout credimus, in vniuersorum Saluatorē, ac redēptorem, et per baptismū cœlesti, supernaq; potentia locupletati sumus (induti enim sumus potentiā ex alto, sanctispiritus sigillo insigniti) collocati sumus etiā nos in ordine, ac numero masculorū, et in librum Dei relati. Cœterū est quædā etiā illic differentia. Primi enim quodámodo in descriptione, Deoq; propinquiores sunt, qui cōsacratiores, sanctioresq; existunt. Vna quidē est fides in Christum: cœterum nō omnes, qui crediderunt, similibus æqualibusq; moribus, ac vita sunt prædıti. Sed hi quidē sic, alij verò sic, iuxta beati Pauli sententiam. Qui ergo castitate vitæ alijs præstant, atq; ob id sanctiores, primū locum in descriptione diuina, et memoria Dei obtinent. Qui verò minore sanctimonia sunt præditi, eò quòd minore virtute sunt instructi, posteriores etiam omnino in descriptione existūt. PAL. Vnde verò hoc manifestum esse possit? CYR. Ex ijs, quę ibidem scripta sunt. Nam post enumerationem virorum, atq; ætate florentium ab eo factam, alium etiā descriptionis modum Deus nobis ostēdit, qui sic habet: *Et loquutus est Dominus ad Moysen in deserto Sina, dicens: Numera filios Leui per domos patrum suorum, et familias. Omne masculum ab vno mense, et supra. Et numerauit Moyses, et Aaron, vt præceperat Dominus.* Facta verò hoc pacto descriptione per familias, et domos patrum suorum, totam statim enumerationem edit, dicens: *Omnis numerus filiorū Leui, quos nume

Luc. 14. Num. 3. Ibidem.

numerauit Moyses, et Aaron iuxta præceptum Dñi per familias suas omne masculum à mense vno, et supra, viginti duo millia.* Subiunxit verò statim, inquiens: *Et dixit Dominus ad Moysen: Numera omne primogenitum masculum filiorum Israël, ab vno mense, et supra: et accipe summam eorum ex nomine. Et tolle Leuitas mihi. Ego enim Dominus pro omni primogenito filiorum Israël. Et pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecorum filiorum Israël. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus. Fueruntq; omnia primogenita mascula secūdum numerum per nomina sua à mense vno, et supra viginti duo millia ducenti septuaginta tres. Loquutusq; est Dominus ad Moysen, dicēs: Tolle Leuitas pro primogenitis filiorū Israël, et pecora Leuitarum pro pecoribus eorū, eruntq; mihi Leuitæ. Ego sum Dominus. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Israël. Accipies quinque siclos per singula capita per didrachmum sanctū accipies viginti oboli siclos, et dabis argentum Aaron, et filijs eius, pretium eorum, qui supersunt.* Quam arduum, ac difficile est, Palladi, res adeò remotas intellectu comprehendere. PAL. Rectè dicis. Fac tamen mētis tuæ periculum, Deo omnium datori confisus. CYR. Intelligis quidem, quod in prima descriptione omne erat masculum, et viginti annorū, quod quærebatur, hoc est, prudens, et virile, atq; in flore ętatis constitutum: quodq; ijs, quæ Deus volebat, præstandis par esset. Sed de hoc abūdè satis à nobis dictum est. In vtraq; autem hac descriptione omne quidē masculum ex tribu Leui diuino, ac sacro numero adscribitur. Ex reliqua verò multitudine, non amplius omne masculum simpliciter, sed primogenitum omne vnius mēsis, et supra censetur. Et census quidem infantiū Leuitarum fuit viginti duo millia. Primogenitorum verò, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. Deinde iubet Deus pro primogenitis Leuitas consecrari oportere. Quoniam verò plebeius numerus maior erat, siue excedebat ducentis septuaginta tribus capitibus, censuit legislator adferri debere pro ipsis pretia tribui Leuitarum, vt pro ipsis ministeria exercerent, et cultus exhiberent, mercedem veluti quandam perpetuæ assiduitatis hoc ab ipsis auferentes. An non in his esse censes propositæ rei intelligentiam? PAL. Censeo. CYR. Dicam igitur illud (neq; mihi rursus à scopo discedet oratio) veritati consentaneum. Quando enim de fortitudine simul, ac prudentia in Christo intellecta quæstio erat, et veluti in typo cēsus fiebat, describebatur masculum minimè imbecilla corporis constitutione præditum. Quando verò præter hæc oportuit aliam tanquam in fide, et charitate in Christum descriptionem fieri, differentia adhibita est, vt in ijs, qui credunt, videre licet. Quidam enim, simulac fidem suscipiunt, sanctis vnà operibus, et seruituti sub Deo vacant. Alij verò, non totos se consecrant, mundanis rebus diuisi. Quocirca legislator meritò sacros in genere Leuitico, veluti in typo significatos, alteris præferri iubet: primumq; illis in descriptione, siue censu locū designat.

Ibidem.

Vulgr. Ad mensurā sanctuarij.

Idcirco

Idcirco primum quidē meminit Leuitici generis. Sequitur verò hoc, et quodammodo annexum est, masculum ac primogenitum. Magni enim fit apud Deum, quod spirituali fortitudine præditum est: et configuratione secundum Christum, qui primogenitus est. Vnde Paulus quosdam circa fidem claudicantes, et mollibus cogitationibus effœminatos increpat dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Accensetur itaq; in librum Dei omnis, qui tanquam in figuratione secūdum Christum primogenitus est, masculusq;, et prudentia stabilitus. Animaduerte autem, quòd, sicut modo dixi, ex alijs tribubus non omne masculinum simpliciter accensetur, sed primogenitū solùm. Neq; enim omnis homo fide, et configuratione secundum Christum est præditus. Multi enim sunt, non credentes. Describitur verò, atq; annumeratur solummodo primogenitum propter eum, qui in nobis est primogenitus, et in multis fratribus. Omne autem masculum generis Leuitici simpliciter, et absq; vlla differentia describitur. Deo enim proprium est integrè sanctum. Vnius autem mensis, et supra sunt, quæ describuntur. Quod nihil aliud significat, quàm eorum, qui credūt, simplicitatem in Christo minimè reiectitiam esse apud Deum. Symbolum verò quodammodo simplicitatis in Christo, et spiritualis infantiæ, ætatis teneritudo est. Quemadmodum enim diximus, bellicosissimorum iuuenum descriptionem pulchrè, atq; irreprehensibiliter factam à vigesimo anno, et supra: ita dicimus simplicitatis in Christo signum manifestum esse, tempus vnius mensis. Huiusmodi quid Paulus etiā nobis innuit, dicens: *Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia pueri estote: sensibus autē perfecti estote.* PAL. Putabimus itaq; nos participes fore cum sanctis eorum, quæ ipsi suis ipsorum capitibus peregerunt, viriliter agentes, summoq; studio ad gloriam contendentes? CYR. Omnino. Nam cum sint verè diuina gratia pleni, laboribus ac sudoribus munus adepti, innumerisq; certaminibus cōsecuti, replent etiam nos ijs, quibus donati sunt ex amore Dei. Vnde et D. Paulus quibusdam eorum, qui crediderunt, inclamat: *Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis.* An non enim munus cœleste, et spirituale donum esse censes irreprehensibilē, omnisq; erroris expertem de Deo cognitionem, et exactam optimarum quarūcunq; rerum notitiam? PAL. Omnino. Siquidem res est viuificans. Apertè enim cognoscere, quis sit natura, ac verè omnium opifex, et Deus: quę etiam vita, aut optima via, ad sempiternam vitā perducit. CYR. Rectè ais. Atqui Christus hoc ipsum nos docens, sanctis apostolis pręcepit, dicēs: *Gratis accepistis, gratis date.* Cœterum alia etiam ratione non inutilis alijs sanctorum probitas existit. Nam in illorum sanctimonia nostra delicta quodammodo de medio tolluntur: benignissimusq; Deus noster, habita ratione eorum, qui animi fortitudine alijs antecellunt, imbecillioribus culpas remittit. Etenim Israelitæ cum effreni quodam impetu ad inobedientiam ruerent, nullumq; flagitij genus intentatum relinquerent, neces-

Galat. 4.

Infantia typus simplicitatis in Christo.

1. Cor. 14

Sanctorū virtutes quo pacto etiā alios beent.

Rom. 1.

Matth. 10.

necessariò legislatorem aduersus se concitarũt. Cum verò pœnas de ijs, qui adeò grauiter ipsum offenderãt, summere vellet, propheta quidẽ supplices preces attulit. Quid verò ad hoc Deus? * Circuite, inquit, in vijs Ierusalem, et videte, et cognoscite: et quærite in plateis eius: et si inueneritis hominem, qui faciat iudiciũ, quęrat fidem, misericors ero ipsis, inquit Dominus. * Remissurum etian Sodomis supplicium dixit, si quinq; in ipsis sancti, ac boni reperti fuissent. Quocirca sanctorũ probitas nonnunquam in causa est, vt supplicia à vehementer peccatoribus auertantur: diuinam quodammodo iram placans, furoremq; mitigans. Ijs verò, qui fidẽ purè susceperunt, cœterum non ea animi fortitudine præditi sunt ad labores subeundos, vt diuinis donis impleantur) ipsi tantum non gloriam suam impertiuntur: instruẽtes, (quoad eius fieri potest et ad omnia, quæ Deo grata sint, manuducentes, propriæq; ipsorum laudis ob res præclarè gestas eos participes efficiũt: queq; ipsi vix magnis laboribus sunt adepti, ea aliorum animis immittunt. Quod enim vnà cũ sanctis participes futuri simus laudis, et gloriæ, quam rectè factis sibi conciliarunt, cõmiscente quodãmodo, et contẽperante Deo ex innata sua benignitate, atque clementia nostra delicta, cum ipsorũ virtutibus: nostrũq; defectum cũ ipsorum perfectione coaptante, ita vt acceptabilis sit, ex hoc rursus manifestũ esse potest. PAL. Quanam ex re ais? CYR. Moabitæ, et Madianitæ, populi quidem erant impij, et barbari. Habitabant autem terram promissionis, quam hæredituri erant Israëlitæ. Cum verò iam bellum ipsis immineret, tanquã illico perituri, neq; pares ad resistendum exercitui Israëlitico, magicis artibus hostes propulsare conati sunt. Tẽtatis verò modis omnibus, cum nihil proficerent, Deo ipsos propugnante, falsumq; prophetam Balaam ad benedicendum incitante, cum alioqui ad eos execrationibus deuouendum mercede cõductus esset, extrema consilij inopia laborantes, cogitarunt apud se nulla alia ratione Israëlitis dãnum inferri posse, nisi Deus ipsis iratus redderetur: atq; ita superno auxilio destitutos facilè, si vellent, bello opprimerent. Neque ignari quàm feruida, ac procliuis sit in mulieres mascula natura: quamq; ægrè impuræ hæ voluptates habenis compesci possint, mulieres formosissimas submiserunt, quæ inhonestam cum Israëlitis consuetudinem haberent: quarũ pulchritudine facillimè pellecti sunt, quicunq; ad carnis desideria propensiores erant: breuiq; tẽpore à cultu Dei abducti earum sententiam sectantes, vnà cum scortatione in defectionem inciderunt. Scriptum est enim: * Initiatusq; est Israël Beelphegor. Hoc autem ipsum etiã per vocem prophetarum Deus inquit: Et populus, qui conuenit, cõmistus est cum meretrice. * Indignatus itaq; fuit, et quidẽ meritò, hac de causa legislator, neq; paruo Israëlitis dãno cessit. Nam ob hoc statim extremis calamitatibus sunt inuoluti, fratre, et vicino absumptis manu fornicantium. At verò Deus statim bellũ aduersus Madianitas suscipi iussit, ad Moysen dicens: * Vlciscere vltionem filiorum Israël de Madianitis, et vltimo adderis ad populum tuum. Locutusq;

Marginal notes: Ierem. 5. — Gen. 18. — Num. 25 — Locus Num. 31. spiritualiter declaratus. — Num. 31 — Vulga: Colligeris.

tusq; eſt Moyſes ad populum, dicēs: Armate ex vobis viros, et pugnate coram Domino contra Madian, ad dandum vindictam Domino de Madianitis. Mille ex tribu, et mille ex tribu, ex omnibus tribubus Iſraël mittite ad pugnandū. Et numerauerūt ex millibus Iſraël mille ex tribu, duodecim millia armatorū in pugnam. Miſitq; eos Moyſes mille de tribu, et mille de tribu cum exercitu eorū, et Phinees filium Eleazar filij Aarō ſacerdotis. Et vaſa ſancta, et tubæ ſignorū in manibus eorum: pugnauerantq; contra Madian, ſicut præceperat Dñs Moyſi. Et occiderūt omne maſculū, et reges Madiā occiderunt, cum vulneratis eorū: et Eui, et Recem, et Sur, et Rebec, quinq; reges Madiā. Et Balaam filiū Beor occiderunt in gladio ſimul cum vulneratis eorum. Ceperūtq; mulieres Madiā, et ſupellectilē ipſorū, et iumenta eorum, et omnem ſubſtantiam eorū ceperunt, et omnes ciuitates eorum in habitationibus ipſorū, et vicos eorū cōbuſerunt igne: et acceperunt omnem prædā, omnia ſpolia eorū ab homine vſq; ad iumenta: et adduxerūt ad Moyſen, et ad Eleazar ſacerdotem, et ad omnes filios Iſraël captiuitatē, et ſpolia et ſupellectilem in caſtra in Araboth Moab, quæ eſt in Iordane cōtra Hierico. Egreſsi autem ſunt Moyſes, et Eleazar ſacerdos, omneſq; principes ſynagogæ in occurſum eorū extra caſtra. Iratuſq; eſt Moyſes cōtra epiſcopos exercitus, millenarios et centuriones venientes ex pugna belli: et dixit eis Moyſes: Vt quid viuum cepiſtis omne fœmininum? Hæc enim fuerūt filijs Iſraël iuxta verbum Balaam, vt rebellaretis, et contemneretis verbum Domini propter Phogor: et facta eſt plaga in ſynagoga Domini. Et nūc occidite omne maſculum in omni ſumma: et omnē mulierē, quæ nouit lectū viri, occidite. Et omnem ſummā mulierū, quæ nō nouit lectū viri, viuas capite eas.* Hæc præcipiente Deo, delecti iuuenes ad belli vſum conuenerunt, et ex omni tribu confluxerunt, qui tolerātia, ac probitate reliquis antecellebāt, vt ex priuata ſingularū tribuum gloria, laus ad totam ſynagogam perueniret: et partis prǫſtantia cum toto corpore communicaretur, iuxta id, quod ſapiēter à Paulo dictum eſt: *Si enim patitur vnum mēbrum, omnia membra cōpatiuntur. Sive gloriatur vnum mēbrum, congaudent omnia mēbra.* PAL. Rectè diſſeris. CYR. Cōflixit itaq; cū Madianitis electorū iuuenū fortiſsima multitudo, aſsiſtēte ipſis Phinees ſacerdote, et vaſis ſacris, et tubis, quæ vocantur ſignorū. Semper enim aſtat, atq; auxiliatur viriliter agētibus Chriſtus magnus noſter pontifex. Quin et angeli operam ſuam nobiſcum ad pugnā conferunt, qui veluti per vaſa ſancta ſignificantur. Vaſa enim ſancta et miniſterio deſignata ſunt rationales in cœlo ſpiritus, ad noſtrū auxiliū à Deo inſtituti. Adſunt verò nihilominus etiā tubæ ſignorū, hoc eſt, ſacrorū cōcionatorū ſermones: qui, qua ratione hoſtes debellare, et affectus in nobis regnātes ſuperare poſsimus, optimè declarāt. Chriſti itaq; typus eſt ſacerdos, hoc eſt, Phinees. Angelorū verò, vaſa ſacra. Eorū autē qui diuinū ſermonē nobis prǫdicāt, tubǫ ſignorū. Hoc enim pacto minimo negocio hoſtiū in Xpo victores euademus, dicentes id, quod in pſalmis cantatur. *In te inimicos no-

Vulga. Ceperūt filios Iſrael ad

ſuggeſtionem Balaam.

Vulga. etiam in paruulis

1. Cor. 12

Vaſa ſancta, typus angelorum.

Tubæ ſignorū, ſacri cōcionatores.

Phinees, typus Chriſti.

Pſal. 43.

nostros ventilabimus cornu: et in nomine tuo spernemus insurgentes nobis.* Quod ipsum Israëlitæ fecerũt. Omnibus enim Madianitarum ciuitatibus, et regione deuastata, adduxerũt ad Eleazar sacerdotem, et ad omnem synagogam filiorum Israel captiuitatem. Sacra enim quodammodo donaria sunt Christo omniũ summo pontifici, minimeq; obscura populis sanctorum rectè facta, iuxta illud: *Non est occultum, quod non manifestetur: neq; absconditũ, quod nõ cognoscatur, et in palam veniat.* Adducuntur itaq; in conspectum sacerdotis, quæ in prædam cesserunt. Figuratè verò, et œconomicè. Præterea Moyses increpat victores, quòd nõ omnino rectè, atq; inculpatè rem gessissent. Neq; enim oportebat, inquit, viuos capi viros, sed ne fœminas quidem viros expertas. Atq; historiæ quidẽ sermo clarus est. Oportebat enim profectò, masculos ab ea terra, cuius nunquam amplius domini futuri essent, extirpare: vtpote qui paulatim ad pubertatem, et robur essent peruenturi, hostesq; populi Israëlitici futuri. Vnà verò etiam mulieres de medio tolli oportebat: quippe quę si seruarentur, eandem breui rursus scandali occasionem essent præbituræ. Quantum verò ad spiritualem contemplationem attinet, aliud quid in his eleganter nobis significari cõperies PAL. Quidnam obsecro? CYRIL. Delecti è tribubus, etiam si victoria potiuntur, reprehensionem tamen non effugiunt. Per quod apertè significatur, eos etiam, qui viriliter, et bene rem gerunt, inculpatũ in vniuersum vitæ genus consequi non posse: quin imo ea ipsa, quæ rectè nobis facta videntur, reprehensione et culpa non vacant, expendente ea, atque examinante Deo. Vnde etiam scriptũ est: *Si iniquitates quæsieris Domine, Domine quis sustinebit?* Et rursum: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Cadit itaq; nonnunquam etiam in electorum bona opera, sancta quędam reprehensio, cuius ratio soli legislatori cognita est, nos autem latet: nequaquam enim illam intelligimus, iuxta illud: *Delicta quis intelliget?* Esaias etiam alibi inquit. *Quòd omnis nostra iustitia, quasi pannus menstruatæ.* Ea ergo, quæ omni reprehẽsione vacet, in nos cadere non potest. Vnde sapientissimus Paulus: *Nihil mihi ipsi conscius sum, scribens, sed non in hoc iustificatus sum, inquit. Qui autem iudicat me, Dominus est.* Reprehensio verò, qua Moyses vsus est, non ad omnes simpliciter, sed ad solos exercitus præfectos pertinebat, et ad tribunos, ac cẽturiones. *Potẽtes enim potenter tormenta patientur:* et cõtra ipsos pręcipuè legis rigor spectat. *Cui enim multum crediderunt, inquit, multum petent ab eo.* Idcirco etiam Saluatoris nostri discipulus ita scripsit: *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis.* Culpa itaq;, in qua omnes ex æquo erant, ad episcopos, siue ordinum pręfectos refertur. Semper enim in ducũ vigilantia subditorum gloria consistit. Ideoq; populis, qui sub alterius potestate sunt, scriptum est: *Obedite præpositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris

Luc. 18. Psal. 129 Psal. 18. Psal. 18. Esai. 64. 1. Cor. 4 Sap. 6. Luc. 12. Iacob. 3. Heb. 13.

veſtris reddituri.* Cœterum poſt interfectionem mulierum, et puerorū, Moyſes bellatores illotos in caſtris verſari non ſinit: ſed prius purgari debere iubet, dicens: *Et manete extra caſtra ſeptem diebus. Omnis, qui occiderit, aut vulneratum attigerit, luſtrabitur die tertio, et ſeptimo: vos et omnis præda veſtra, et omne indumentum, et omne vas pelliceum, et omnis operatio ex caprina pelle, et omne vas ligneum expiabitis.* Vides, quo pacto optimum, præſtantiſſimumq; inter nos electorum genus non in vniuerſum reprehenſione vacat? Nemo enim omnino labis expers eſt, etiam ſi ex eorum numero quis ſit, qui virtutis laude excellunt. Perfecta enim ſanctitas futuro ſeculo reſeruatur. A caſtris igitur victores arcet, atque expiari eos debere tertia die ait, et ſeptima. Per tertiam diem, vel tertium illud tempus nobis ſignificans, in quo purificatio per Chriſtum facta eſt poſt tempus Moyſen ſubſecutum, in quo ſanctorum prophetarum chorus oſtenſus eſt: vel tēpus reſurrectionis, in quo Chriſtus à mortuis ſuſcitatus eſt, affixo venerandæ cruci, quod contra nos erat, chirographo, mortēq; propter nos paſſus peccati ſolutricem. Per ſeptimam verò diem tēpus conſummationis præſentis ſeculi intelligitur, in quo reiecto in vniuerſum à nobis peccati pōdere ad ſummā ſanctificationis vnà cum Chriſto erigimur: puriſsimam, et in beatitudine ſecūdum Chriſtum vitam agentes. PAL. Rectè hęc ſe habent meo iudicio. CYR. Mireris verò, præter hæc, myſterium, quod in his latet. Excipit enim ſtatim Moyſis ſermonem Eleazar ſacerdos, et ad viros exercitus venientes ex acie belli, ita ait: *Non hæc iuſtificatio Legis, quam præcepit Dominus Moyſi prę ter aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et ſtannum: omnis res, que tranſibit in igne, et purificabitur: ſed aqua expiationis expiabitur. Et omnia, quæ non tranſibūt per ignem, tranſibunt per aquam, et lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptima, et mundabimini: et poſt hæc introibitis in caſtra.* Animaduerte, quo pacto Moyſes quidem primus victoribus purgandi tempus patefecit. Modum verò purgationis nequaquam. Lex enim prius nobis annuntiat tempus purificationis per Chriſtum. Secundus verò, et poſt Moyſen nos alloquitur ſacerdos, hoc eſt, Eleazar. Imperat enim nobis poſt Moyſen Chriſtus. Neque verò tempus purificationis viriliter agentibus oſtendit. (Ipſe enim erat tempus) ſed modum declarat, et myſterium oculis noſtris ſubijcit, exactam Legis mentem nobis demōſtrans. Præcepit enim, vt omnia, quæ in ſupellectile erant, quæ ignis vigorē, atq; vim ferre poſſent, per ignem traducerentur, atq; expiarētur. Quæcunq; verò ex natura ſua eo robore prædita nō eſſent, ſed debiliora, atq; ita affecta, vt facilè à flamma in vniuerſum abſumi poſſet, veſtes nimirū, et quod ex pellibus, aut lignis factū eſt, per aquam duci: nimirū nos, veluti in aureis et argēteis vaſis, atq; alijs, figuratè ſignificans, quibus purificatio per Chriſtum facta eſt, tanquā in igne, et aqua. Baptizati enim ſumus in Spiritu ſancto, et igne. Quòd itaq; ea, quæ ex ſpolijs collecta ſunt, per ignem et aquam tranſmittātur, recētem noſtrā purificationem ſignificat:

Num. 31.

Tertia dies quid ſignificet.

Coloſ. 2.

Septima dies quid ſignificet.

Num. 31 Apud lxx aliter legitur.

Moyſes tempus purgādi victoribus Madianitarum præſcribit: Eleazar vero modū, quid ſpiritualiter ſignificet.

ficat: quippe quos, cum olim diaboli quodammodo thesaurus essemus,
Luc. 11. Christus sibi vēdicauit: ingressus domum potētis, et supellectilem ipsius diripiens, et ligans potentem. Tunc verò demum Eleazar victores castra ingressuros ait, cum septima post die vestes abluerint, atq; ita puros fore. Perfecta enim purificatio, et omnis labis abstersio in vltimis erit cōsummationis temporibus, quemadmodum modò dixi, sublato in vniuersum peccato, et in supernā, antiquissimamq; pulchritudinē humana natu
Esai. 35. ra restituta. *Erit enim tunc, inquit Esaias, via pura, et via sancta vocabitur: et non transibit illac immundus, sed ambulabunt in illa redempti per Dominum.* Equidem, arbitror, interpretationis huius rationem nequaquam à scopo aberrare. Cœterū si quis hoc etiam aliter intelligi debere contendat, ita dicimus. Vniuscuiusq; victorum supellex, siue aurea sit, siue argētea, siue ænea, aut ex alia materia confecta, per ignem trāsmitti iubetur. Nam, vt B. Paulus inquit, vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Iubet autem etiam per aquam nonnulla transmitti. Neq; enim aliter, quàm huiuscemodi modis sanctorum animas probandas esse, psalmi nobis innuunt. Ita enim Dauid
Psal. 65. cecinit: *Quia probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Transiuimus per ignē et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* PAL. Cœterum dicant fortasse nobis discendi studiosiores, abūdè satis demonstratum esse, quo pacto cum Madianitis electi congressi sint, victoresq; euaserint, quaq; ratione immunditiem, quam ex bello contraxerant, expurgarint: tempus verò esse probandi, an revera participes simus futuri eorum, qui viriliter rem gesserint, fortitudinis: et an præclarè ab ipsis factorū portio ad nos sit peruentura, tametsi in vniuersum pari virtute præditi non simus, sed ipsorū fortitudine inferiores. Hoc enim nobis sermone tuo promissum est. CYR. Atqui in procinctu est, hac de re Lex, manifestam, minimèq; obscuram in se demonstrationem continens. *Loquutus est enim, inquit, Dominus ad Moysen, dicens: Accipe Num. 31
summam spoliorum captiuitatis ab homine vsq; ad iumētum tu, et Eleazar sacerdos, et principes familiarū congregationis. Et diuidetis spolia inter bellatores egressos in bellum, et inter omnem congregationem, et separabitis tributum Domino ab hominibus bellatoribus egredientibus ad bellum: vnam animam à quingentis, ab hominibus, et à iumentis, et à bobus, et ab ouibus, et à capris, et ab asinis. A medietate eorum accipietis. Et dabis Eleazar sacerdoti primitias Domini. Et à medietate filiorum Israel accipies vnum ab hominibus, et à bobus, et ab ouibus, et ab asinis, et ab omnibus iumentis: et dabis ea Leuitis custodiētibus custodias in tabernaculo Domini. Et fecit Moyses, et Eleazar sacerdos sicut precepit Dominus Moysi.* Statim enim diuino præcepto satisfactum est, spoliorūq; census, et ex dimidio partitio facta, primitiæq; Deo datę, sacerdoti (inquam) Eleazar, et ijs, qui ex tribu Leui erant. Num fideli memoria præditus es, cui facilè succurrat, quod initio diximus? Retuleris. PAL. Quænam? CYR. An non enim mille ex singulis

ſingulis tribubus ad belli vſum delectos fuiſſe ſacra ſcriptura nobis ſignificauit? PAL. Omnino. CYR. Partis verò laudem, ac gloriam rerum bene geſtarum, cum tota multitudine cõmunicatam fuiſſe, apertè ſatis oſtendimus: Deo pro ſingulari ſua erga nos benignitate ita ordinante, vt tanquam vno, eoq; præſtantiſsimo ſuffimento ex varijs ſpeciebus confecto, vna quædam omnium odoris fragantia ad Deum offerretur: vtq; id, quod minus illuſtre eſt, ex eo, quod illuſtriſſimũ eſt, cõmunem quendam ſplẽdorẽ intuetur. PAL. Rectè. Hoc enim nobis inueſtigandũ propoſitum erat. CYR. Vide itaq;, Deum hæc Iſraëlitis clarè, manifeſteq; præcipientem. Mille enim ſelecti ſecundum tribus cum Madianitis conflixerunt: et victoria multo labore, ac ſudore parta, prædam quam ex hoſtibus retulerant, cũ toto ſtatim exercitu ſunt partiti: atq; ita fortiũ virorum rebus benè geſtis, reliqua etiã multitudo illuſtrata eſt. Diuide enim, inquit, ſpolia tu, et Eleazar ſacerdos, et principes familiarũ congregationis: Et diuidetis ſpolia inter bellatores egreſſos ad bellum, et inter omnẽ cõgregationem. Quòd enim eorum, qui valde electi, illuſtreſq; ſunt, laus, ac gloria etiã ad eos ſit peruentura, qui paulò inferiores ſunt, neq; pari cũ illis animi præſtantia ſunt præditi, Diuus etiã Paulus nos docet. Enumeratis antẽ veteribus ſanctis, qui fide laude excelluerunt, quorũ gloria eminẽtiſsima eſt, ob eximiã erga Deum pietatẽ: *Iuxta fidẽ, inquit, defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſsionibus, Deo pro nobis melius aliquid prouidẽte, vt nõ ſine nobis conſummarentur.* (Heb. 11.)

Alijs etiam ita ſcribit: *Iam perfecti eſtis, ſine nobis regnatis: et vtinam regnetis, vt et nos vobiſcũ regnemus.* (1. Cor. 4.) Vides, quo pacto vna perficiendi ſint cum perfectis etiã ij, qui inferiore loco ſunt, et benedicendũ vna cum electis etiam ijs, qui ex ſe parum fortes ſunt? Quod et Dauid alibi teſtatur, inquiens: *Benedicti vos à Dño, qui fecit cœlum, et terrã. Benedixit domui Iſraël, benedixit domui Aarõ. Benedixit Dñs timentibus eum, puſillis cũ maioribus.* (Pſal. 113.) Benedicitur vnà cum maioribus etiam ijs, qui vocantur puſilli, qui quidem robore, quoad gloriam contendant, impares ſunt, neq; tanta ad tolerandum animi fortitudine præditi: zelo autem, ac fide, pares: et viribus pro ſuo modulo adhibitis Chriſtum oblectantes. (Benedicti puſilli cũ maioribus, quo pacto intelligendũ.) Atqui Moyſes, et Eleazar typus ſunt vnius ſummi ſacerdotis, et legiſlatoris Chriſti diſtribuẽtis populo ſpolia, aſtantibus ſanctis angelis, quorum typus ſunt principes familiarum cõgregationis. An nõ enim in terra multos angelos eſſe cenſes à Deo conſtitutos, vt fidelibus auxilientur, et quodammodo ductores ſint populorum? PAL. Cẽſeo. CYR. Venturus certè è cœlo expectatur Chriſtus cum ſanctis angelis: et ſedebit quidem in throno gloriæ ſuæ. Diſtribuet verò ſingulis conuenientia cuiq; munera, et honores æquali proportione benefactis reſpondentes. Vnde etiã Eſaias de Chriſto ita inquit: *Ideo diſpertiam ei plurimos, et fortiũ diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animã ſuam, et cũ ſceleratis reputatus eſt.* (Eſai. 53.) In Chriſto itaq; eſt bonorum diſtributio, tanquã in Moyſe, et Eleazar ſignificata. Legiſlator enim in eodẽ, et ſummus

pontifex

pontifex Christus. PAL. Rectè ais. CYR. Ipsa verò per se distributionis ratio, an non tibi admiratione digna videtur? PAL. Omnino. Aequali enim honore afficitur bellator, qua otiosus. CYR. Aequali, nequaquam. Multum enim interest, tametsi totius prædæ medietas bellatoribus cesserit: altera verò medietas toti congregationi. Vniuersus enim Israëlitarum numerus sexcentis millibus, et quingentis quinquaginta constabat, vltra trium millia, quæ separata erant: neq; sacræ multitudinis catalogo continebatur. Bellicosissima verò multitudo mille tributim. Partitis itaq; ex æquo spolijs, cum vtriq; multitudini medietas cederet, multo ampliora premia paucioribus contigerunt, quàm ijs, qui numero erant superiores. Quo circa si quæ vnquam vniuerso populo gloria conferenda est secundum tempora, et cęlestis doni mensuram, huius exacta medietas electis cedet, et diuina visitatione dignos seipsos esse demonstrātibus. Altera verò medietas vniuersæ multitudini danda est, etiam si tantopere numero maior sit. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Profundus enim hic sermo est. PAL. Intelligo. Etsi enim participes futuri sumus sanctorum gloriæ, minore tamē gradu, quā illi. Hoc enim nobis sermo tuus indicat manifestè. CYR. Rectè ais. Cœterum aliud etiam vide, ex quo præstantium, fortiumq; virorum liberalitas apud Deum facilè tibi constare poterit. PAL. Quo pacto? CYRIL. Duodecim millia bellantiū ex tota medietate, quæ ipsis cessit, iubentur offerre summo sacerdoti, vnum caput è quingentis tam ex hominibus, quàm iumentis: atq; hoc erat ipsis tributū Deo. Reliquam verò multitudinem iubet Dominus vnam animam ex quinquaginta sacræ tribui offerre: figurante autem rursum nobis in seipso Eleazare, vnum ac revera solum summum sacerdotem, hoc est, Christum, præcipuè ac verè, et quodammodo ipsi secundum personam propriè tribuetur electorū oblatio. Ipsi enim offerunt, interueniente nemine: quod et beati apostoli faciebant: faciunt autem adhuc etiā nunc populorum antistites, diuinæ prædicationis labores propriam, ac peculiarem oblationem Christo consecrantes. Reliqua verò beneagentium multitudo facit quidem oblationes in gloriam Christi, sed per medium sanctorum, tanquam in sancta tribu intellectorum. Dictum est enim: *Genus electum, regale sacerdotium.* Quo circa per medium sanctorum est reuerentia erga Deum, et cultus offerentium quidem, non tamen propriè ad personam Christi pertingentem oblationem: cuiusmodi quid præstare conati sunt, qui eas, quas vocant Collectas, conferentes, et ministeria mittētes sanctis in Ierusalem, aut alia quapiam cura consecratos Deo recuperant. Atq; hic quidem de quingentis vnam offerunt animam, hi verò de quinquaginta. Minus enim est eorum, qui præstantiores sunt, debitū: ideoq; minor etiam oblatio: longè verò plura eorum, qui inferiores illis sunt: idcirco etiā munera plura sunt, quæ ab ipsis offeruntur, æqualiq; proportione oblationes singulorum lapsibus respondent. *Cui enim plus dimittitur, inquit, plus diliget: et cui minus dimittitur, minus diliget.*

Decuplo

Marginal notes: Matth. 20. — Oblationes per se, et oblationes per alios. — 1. Pet. 2. — Collectarū vsus. — Luc. 7.

Decuplo igitur amplius præ electis offerunt, qui ex ipsorum numero nō sunt, non tāquam religione, pietateq; superiores, sed tanquam multò pluribus inuoluti lapsibus, multoq; maiore necessariò purificatione indigētes.
Ioan. 13. Nam, vt Saluator inquit: *Qui lotus est, nō indiget, nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus.* Sancti verò exiguâ admodum purgatione egēt. Natura enim ita affecta est, vt in vniuersum peccati expers esse non possit. PAL. Rectè ais. CYR. Electi itaque tribuum diuinis legibus parentes, belli spolia in totam multitudinem partiti sunt, obtuleruntq; munera Domino ex Legis precepto. Quin et ipsi electorum præfecti præstātioribus oblationibus Deum condecorarunt, vtpote qui eminentiore quàm secundum ipsos gloria præditi essent. Ita enim
Num. 31. rursus scriptum habetur: *Et accesserunt ad Moysen omnes constituti in tribunatus exercitus Millenarij, et Centuriones, dixeruntq; ad Moysen. Famuli tui acceperūt summam virorum bellatorū eorum, qui apud nos: et non defuit ab illis vnus. Et obtulimus donū Domino: vir, qui tulit vas aureum, murenulam, et armillam, et anulū, et dextrale, et torquem, vt propitiaretis pro nobis coram Domino. Et accepit Moyses, et Eleazar sacerdos aurum ab illis, omne vas elaboratum. Et fuit omne aurum segregatio, quam segregauerunt Domino, sex et decem millia, et septingenti quinquaginta sicli à tribunis, et à centurionibus. Et viri bellatores prædati sunt, quilibet sibi ipsi. Et accepit Moyses, et Eleazar sacerdos aurum à tribunis et à centurionibus, et intulerūt ea in tabernaculū testimonij, memoriale filiorum israël coram Domino.* Audis, quo pacto exactā bellatorum cōputationem factam esse dicat, neminemq; prætermissum, à quo donum oblatū non sit, iuxta diuinæ legis præceptum? Quin et decreuisse se aiunt offerre Domino etiā ea, quæ ipse non iusserat oportere offerri: armillam, et torquem, et dextrale, et quæcunq; in mūdo ex auro fiūt. Præceperat enim legislator ex hominibus, et pecoribus dona offerri. Et quidem oblata sunt, iuxta diuinum, ac cœleste mandatū. At verò volūtaria oblatione ea, quæ in maximo pretio habebant, seposita offerunt: magnoq; gloriæ studio electorū duces præditi Legis terminos excedunt. Moyses verò, et Eleazar, acceptis donis in sanctum tabernaculum ea conferunt, et recondita asseruant in monimentū coram Domino. Populorum enim præfecti, ac duces constituti splendidis, eximijsq; donarijs Deum honorant, ornatu quodammodo quendam offerentes, et cōsecrantes Deo, omne nimirum virtutum genus, ac veluti ipsam Legis mēsuram præuertentes, celebriores, illustrioresq; euadūt. PAL. Quanam ratione? CYR. Ij, qui euāgelium annūtiant, vt ex euāgelio viuant, Christus præcepit: quod etiam ex legali præcepto cōfirmare studuit Paulus scribēs: modo quidē qui edūt oblationes, participes altaris sunt: modo tāquam necessarijs exemplis innoxium esse demonstrat, dicens: *Quis plantat vineā, et de fructu eius non edit? Quis 1. Cor. 9.
pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Nunquid secūdum hominem hæc dico? An et Lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui triturāti. Nunquid

quid de bobus cura est Deo? An propter nos vtiq; hoc dicit? Nam propter nos vtiq; scriptum est: Quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe percipiendi fructus. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare nō potius nos? Sed nō vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus euāgelio Christi.* Et paulo post
Ibidem. cōfirmat, dicens: *Quę est ergo merces mea? vt euangeliū pręedicans, sine sumptu ponam euangelium?* Donū quodāmodo voluntarium, rem hanc ipsi cōsecrans. Atqui nō esse cōtrahēdas nuptias, neq; veteri Lege, neq; noua sancitum est. At Paulus ita inquit:
1. Cor. 7. *De virginibus pręceptū Dñi nō habeo.* Cęterū qui iuniores sunt, mortificantes carnē ad pietatem, eximiū donū Christo offerunt, continentiam Lege maiorem, ac veluti mūdū quēdam artificiosè elaboratum, ex opere et sermone optimè cōpositam vitā. Porrò Moyses, et Aaron intulerūt in sanctū tabernaculum ea, quæ erant oblata. Accepta enim sunt Christo, magnoq; apud eum pretio sanctorū præclarè facta, per quæ ingentē, imò potius immortalem memoriā consequuntur, diuinaq; cura dignos sese efficiunt. Quòd enim dona in cōspectu Dñi posita dicuntur, tale quid significat. Magnū verò, atq; eximiū est, tanquam in cōspectu Dei constitutū esse. Ingenti enim honore eos afficit, quos aspectu suo dignatur. PAL. Multis, vt videtur, rationibus inducis ad credendum, oblationem nullos magis decere, quàm eximiè fortes, quiq; rerū præclarè gestarū gloria excellere cōfuerint. CYR. Euge ô Palladi. Rectē enim censes. Nam et rei natura ita se habet: et sacra scriptura id testatur. Cum enim Israëlitis adhuc in solitudine versantibus, Deus sanctū tabernaculum erigere vellet in imaginem ac figurā ecclesiæ ex gentibus, necessaria ad id cōparanda esse pręscripsit, atq; ita ad Moysen loquutus est: *Cū accipies cōputationem filiorū Israël in visitatione eorum: et dabunt vnusquisq; pretia redēptionis animæ suæ Domino: et non erit in ipsis plaga in visitatione eorū. Et hoc est, quod dabunt, quicunq; trāsierint ad visitationem, dimidium didrachmatis, quod est iuxta didrachma sanctum: viginti oboli didrachma. Dimidiū didrachmatis oblatio Dño. Omnis transiens ad visitationem à vigesimo anno, et supra, dabunt oblationē Domino. Diues non addet, et pauper nō minuet à dimidio didrachmatis in dādo oblationem Domino in propitiationem pro animabus vestris. Et accipies argentum oblationis à filijs Israël: et dabis illis ad vsum tabernaculi, et erit filijs Israël memoriale coram Domino ad propitiandum pro animabus vestris.* Ecce rursus quomodo legislator exactā cōputationem fieri debere dicat. Offerre autē Domino iubet dona dimidiū didrachmatis. Quinam verò sint, qui offerre debeant, manifestè definit. Neq; enim mulieribus, vt id faciāt, neq; minus pueris Deus pręcipit: respuēs, arbitror, id, quod imbecillum, ac molle, minimeq; ad prudētiam cōfirmatum est. Designās verò ad offerendū adultum, et ætate florētem iuuenē, quiq; transierit visitationē, quibus et annum vigesimum præfinit. Soli enim ij digni censentur ad offe-

Exod. 30

offe-

offerendum Domino munera ſecundum Legem, qui pueriles cogitationes, et muliebrem mētem exuerint, quiq; iam in viri euaſerint mēſuram, habentes cognitionem ætatis in Christo intellectæ, et ſpiritualis. Hi tranſibunt viſitationem, hoc eſt, dignos ſe ipſos declarabunt, qui in conſpectu Dei verſari poſsint, iuxta id, quod in
Pſal. 33. Pſalmis cantatur: *Oculi Dñi ſuper iuſtos.* Porrò hæc pretia redemptionis dantur pro ſalute offerentium, et ad vſus tabernaculi, et in memoriale coram Domino. Conſtituunt enim eccleſias, atq; ad ornatū ſancti tabernaculi neceſſaria ſunt ſtrenua ſanctorum facta, præter id, quòd animæ ſalutem pulchrè operentur, perpetuaq; gloria fortes coronent. Nunquid tibi res ita ſe habere videtur? PAL. Omnino. CYR. Pretia itaq; redēptionis, ſiue didrachma colligi debere Deus præcepit: atq; hoc erat fortium virorum tributū. At verò tribuum duces adijcientes præcepto Legis alia maiora, ac præſtātiora obtulerunt quædā, quę ſelecta habebant. Scriptū eſt enī:
Exod. 35. *Quòd duces tribuum attulerunt lapides Smaragdi, et lapides impletionis in ſuperhumerale, et rationale, et cōpoſitiones, et oleum vnctionis, et cōpoſitionem thymiamatis.* Nunquid his, quę retro dicta ſunt, hęc affinia cenſes? Bellatorū enim multitudo, quæ ex captiuitate ipſis ceſſerant, obtulerūt Deo, iuxta præceptū ipſis datū, ab homine vſq; ad iumentum. Tribuni verò, et centuriones adiecerunt his murenulam, et armillam, et torquem, et anulū, omnemq; ſupellectilem auream elaboratam, quę Eleazar ſacerdos contulit in ſanctū tabernaculum. In his verò tota adoleſcentium multitudo didrachma perſoluit. At rurſus duces tribuum lapides pretioſos in ſuperhumerale, et rationale, quæ ad ornatum conferebantur eius, qui ſacerdotio præerat. Offerūt enim ſeipſos in ornatū Chriſto prefecti populorū, tanquam lapides quoſdam pretioſos. Vnde et propheta ſanctos nobis apoſtolos ſignificās: *Lapides, inquit, ſancti voluuntur in terrā eius:* cuiuſmodi eſt diuinus ille Paulus, qui ab Ieruſalem vſq; ad Illyricū percurrit ob prędicationem. Lapides itaq; pretioſi, et in gloriā Chriſti, ſanctorū cœtus. Quin et oleum vnctionis ipſi ſunt, et cōpoſitio thymiamatis, Chriſti cognitione fragrantes, et veluti oleo ſapiētiſsimis doctrinis, ſermonibusq; ex ſpiritu profectis initiatorū animas delinientes. Cōpoſitum verò, thymiama eſt. Componitur enim cognitio de Chriſto ex duobus, quòd ſit Deus, et homo. Præterea vnus ex vtraq; natura Filius et Chriſtus: ad quē alibi dictū eſt, et pro nobis ipſis: *Vnguentū effuſſum nomē tuū.* PAL. In cenſu itaq; apud Deū id, quod bellicoſum, et robuſtum eſt, deligitur cuius etiam fructus, eccleſiarum conſtitutio eſt, et quæ ad gloriam Dei pertinent. Hoc enim nobis huius rei contemplatio ſignificare videtur. CYR. Rectè dicis. Quòd verò huiuſmodi ſors ſplendida, atq; eximia ſit, quodq; eos, qui hac laudis via graſſari cōſueuerint, Deus omnis boni participes ſit facturus, quo pacto, aut vnde cuipiam dubiū eſſe poſsit? An non enim prophetam Dauid cātantem audis, *Labores fructuum tuorum comedes,* et ſapientem, ac ſanctum Paulum ſcribētem: *Quod ſeminauerit homo, hoc et metet?*

[Margin, right column: Zach. 9. / Vulga. habet. Eleuabūtur. / Cant. 1. / Pſal. 127 / Gala. 6]

PAL. Crediderim. CYR. Gerit se quispiam fortiter, non absq; mercede: et verax omnino est, qui dicit:
Hebr. 6. *Nō enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Nequaquam igitur obliuiscetur. Quod verò laborum præmia sit daturus ijs, qui mollitie ad vitium propellente superiores extiterint, ea, quæ rursum in Numeris scripta sunt, abundè testantur:
Num. 26 *Et loquutus est, inquit, Dominus ad Moysen, et Eleazar sacerdotem, dicens: Accipe summam vniuersæ congregationis filiorum Israël, à viginti annis, et supra per domos familiarum ipsorum: omnis egrediens ad præliandum in Israël.* Deinde facto censu per populos ac tribus, rursus infert: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Istis diuidetur terra, vt possideant ex numero nominum ipsorum. Pluribus maiorem dabis hæreditatem, et paucioribus minorem dabis hæreditatem: vnicuiq; sicut numerati sunt, dabitur hæreditas eorum inter multos, et paucos.* Et Lex quidem ita se habet ad sortiendam hęreditatem, qui vigesimū annum essent ingressi. Cœterū post factum censum promiscuæ multitudinis, censetur genus Leuiticum.
Ibidem. *Et filij, inquit, Leui per populos suos: Gedeon, populus Gedeonitarum. Caath, populus Chaathitarum. Merari, populus Meraritarum. Hi populi filiorum Leui.* Ac deinceps cū Moysis, et Aaron genealogiam persequutus est, subijcit rursus de filijs Leui.
Ibidem. *Et fuerunt ex connumeratione eorum tria et viginti millia, omne masculum ab vno mense, et supra. Non enim connumerati sunt in filijs Israël, quia non data est eis sors in medio. Et hæc numeratio Moysi, et Eleazar sacerdotis, qui numerauerunt filios Israël in Araboth Moab, in Iordane contra Hierico. Et in his non erat vir in ijs, qui numerati sunt à Moyse, et Aaron, quos numerauerūt filios Israël in deserto Sinai, quia dixit Dominus ipsis: Morte morientur in deserto. Et non fuit relictus ex eis vnus, præterquàm Chaleb filius Iephone: et Iosue, filius Nun.* Atqui age summatim, particulatimq; singula percurrentes, dicamus manifestius, atque distinctius. PAL. Dic igitur absq; cunctatione. Iucundū enim est, huiusmodi res minutius, enucleatiusq; pertractare. CYR. Paucis itaque ad ea, quæ ante dicta sunt, mentem reuocantes, hoc dicimus: Deum præcipere ætatem adultam, ac peritam belli accenseri debere. Nam, vt modo diximus, in descriptione apud Deum, et in libro viuentium, non quod imbecillum, atque inualidum, neque quod puerili intellectu præditum est, sed quidquid robustum, aptumq; est ad bellum aduersus affectus, et peccata suscipiendum, quodque prudentia præditum est, exequendisq; diuinis præceptis par: hi (inquam) terram secundum tribus, et nomina sua, et singulatim partientur. Hæredes enim futuri sunt terræ sanctæ: bonorumq; qui in spe consistunt, participes futuri sunt hi, de quibus est sermo secundum tribus, et secundum genus, vt in hoc.
Beati humiles corde, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et sicut in reliquis beatitudinibus. Hanc enim tanquam pro- Matth. 5

propriam quādam hæreditatem cernent miſericordes, humiles, et pauperes ſpiritu, quiq; perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Præterea viritim, et nominatim gloriæ corona decernitur, Deo nimirum vnumquēque ex proportione bonorum operū ſuorum honorante, et conuenientem ijs, qui fortiter ſe geſſerint, gratiam commenſurante: quæ quidem intelligi poteſt, tanquam in menſura maiore, et abundantiore diſtributione.
Luc.6. *Menſuram enim, inquit, bonam, et confertam, et ſupereffluentē dabunt in ſinum veſtrum.* Atque hoc quidem, arbitror, ſignificare Deum dicē tem: Pluribus dabis maiorem hæreditatem, et paucioribus dabis minorem hæreditatem, vnicuiq; ſicut numerati ſunt, dabitur hæreditas eorū. Nam per plures numero hominum, ij, qui virtutibus abundant, atq; exce-
1.Cor.7. dunt, ſignificantur. *Hic enim ſic, alius verò ſic, iuxta Paulū, bene agit.* Cecidit autem in hæreditatem terra, iuxta illud alibi ad Deum dictum:
Pſal.30. *In manibus tuis hæreditates meæ.* Diuino enim calculo futurorum bonorum certiſsima fiet diſtributio, eo, cui omnia noſtra ſunt cognita, conuenientem cuiq; hæreditatem decernē te. Peculiaris autem rurſus fit Leuitarum cenſus ab vno menſe, et vltra, et ſors ipſis data nō eſt in medio filiorum Iſraël, neq; annumerati ſunt illis. Sanctius enim, et ſacerdotale genus, ideoq; ſeparatim ab alijs cenſetur: neq; ipſis ſors eſt cum alijs cōmunis, ſed propria, ac peculiaris deſcriptio. Portio verò, ac ſors ipſorum eſt
Matth.5. vniuerſorum Deus, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniā ipſi Deum videbunt.* Cum enim ijs, qui vocātur pauperes ſpiritu, regni cœlorum hæreditas proponatur: ijs verò, qui lugere voluerint, conſolatio: ijs autē, qui miſericordiam exercent, miſericordiæ conſecutio: Beati, inquit, mūdi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Hi verò ſint, qui alios conſecratione, ſanctimoniaq; antecellūt, quorum portio, ac ſors eſt exacta Dei viſio, hoc eſt, de Deitate cognitio: quod et Chriſtus ſanctis apoſtolis ſe daturum promiſit, inquiens: *Hæc in parabolis loquutus ſum vobis: venit hora, quando non amplius in parabolis loquar vobis, ſed palàm de Patre annuntiabo vobis.* At verò Leuitę ab vno menſe deſcribuntur, vt modo dixi. Deſcribūtur enim in libro Dei ex ſanctioribus, non ſolùm ij, qui ſpirituali robore, et ſapientia præ cœteris eminent, ſed etiam qui ſimplicitate ſecundum Chriſtum præditi ſunt, et in malitia infantes ſunt. Deſcribitur itaq; omne genus ſanctum, ſapiens pariter, et ſimplex: atq; huiuſmodi quandam differētiam Palladi, in ſanctorum animis, mente, ac moribus videre poſsis. Adiecit verò: Et nō erat vir in ijs, qui numerati ſunt à Moyſe, et Aaron, quos numerauerunt filios Iſraël in deſerto Sinai: quia dixit Dominus ipſis: Morte morientur in deſerto, et non fuit relictus ex eis vnus, præterquam Chaleb filius Iephonæ, et Ioſue filius Nun: Manifeſtè demonſtrans, quòd hæreditas ad incredulos non pertineat, ſed ad eos potius, qui fidem ſuſceperint, in Chriſtum nimirum. De incredulis enim Dauid ita inquit: *Deleantur de libro viuentium, et cum iuſtis non ſcribantur.* Pſal.68.
Significat verò nobis etiam in his diuinus ſermo, quòd credentibus gra-

Ioan.16.

Descriptio Israelitarum apud Iordanē facta, quid significet.

tia cōferatur. Idcirco enim iuxta Iordanem cęsum factum esse sermo mysticè ait. Descriptus enim est, qui baptismum suscepit. Præterea non vniuersus Israël spe excidit. Reliquiæ enim saluatæ sunt, iuxta prophetæ vocem. Cuius quidem rei typus est, quòd soli ex omnibus Chaleb, et Iosue relicti fuisse dicuntur, descripti, vnaq; hereditatem cernētes cum ijs, qui incredulitatis rei non erant. Cæterum animaduerte penitus sanctorum descriptionem, ac destributionem. Fit quidem illa per Moysen, et eum, qui in sacerdotio pręfectus erat: vt, quemadmodum ante dixi, vnum per ambos intelligas Christum, tanquam summū sacerdotem, et legislatorem: per quem omnis gratia, et in supernis libris descriptio confertur, quos et Daniel se vidisse testatur:

Dan. 7.

Libri enim aperti sunt, inquit. Cū enim varia, neq; vnius generis sit descriptio, idcirco multi, et non vnus tantùm est liber. PAL. Rectè igitur, ac sapienter prouerbiū illud habet:

Prouer.

Segnes, ac timidi diuitijs carent, fortes verò, ijs affluūt. CYR. Affluunt certè, et Deum propitium habent, ac ducem supernis benedictionibus eos permulcentem, et eminētissima gloria coronantem, celeberrimisq; laudibus euehentem. An nō enim ipse verè inquit: *Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me, glorificabo?* PAL. Omnino. CYR. Perficit itaque, quæ ad gloriam Dei pertinent, quicunq; fortis, ac strenuus est, et in spirituali robore exercitatus: quiq; visibilibus pariter et inuisibilibus hostibus acriter obsistit: et seipsum simul atq; alios seruare nouit, fortis in Deo. PAL. Assentior. CYR. Visne igitur, vt hoc perquam pulchrè tanquam in tabula adumbratum videamus in vtilissima nobis Abrahę historia? PAL. Velim equidē. Nihil enim mihi gratius accidere possit. CYR. Scriptum est itaq;, *Quòd habitabat quidē in Sodomis Loth. Cum verò graue bellum terram occuparet, finitimiq; populi cū ducibus suis eam vi cepissent, abduxerunt vnà cum alijs captiuis etiam Loth. Quidam verò eorū, qui euaserāt, nūtiauit hoc, inquit, *Abrahæ trāsitori, qui habitabat apud quercum Mābre, Ammor fratris Eschol, et fratris Aunan, qui erant confœderati Abraham. Quòd cum audisset Abraham, captum (videlicet) Loth fratrem suum, numerauit proprios vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est eos vsq; Dan. Et irruit super eos tota nocte ipse, et famuli eius, et percusserunt eos, persecutusq; est eos vsq; Hoba, quæ est ad Leuam Damasci, reduxitq; omnē equitatum Sodomorum, et Loth fratrem suum, et omnem substantiam illius, et mulieres, et populum. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum illi, postquam reuersus est à cæde horum atq; horum, inquit, regum. Et Melchisedech rex Salem protulit panes, et vinum (erat autem sacerdos Dei altissimi) et benedixit Abrahæ, et dixit: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum, et terram. et benedictus Deus altissimus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas: deditq; ipsi decimam partem ex omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi viros, equitatum autem tolle tibi. Qui respondit ei: Extēdam manum meam ad Deum altissimum, qui creauit cœlum,

Gen. 14. Abrahæ historia Loth e captiuitate liberātis, spiritualiter declarata.

*Vulga. habet. Hebræo

lum, et terram, quòd si à filo, vsq; ad corrigiam calciamenti accipiam ex omnibus tuis, vt non dicas, quòd ego ditaui Abraham, præter ea, quæ cõmederunt iuuenes, et partem virorum, qui venerunt mecum, Eschol, Aner, Mambre. Isti accipient partem. Post hęc autem verba, factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: Noli timere Abraham. Ego protector tuus sum: et merces tua magna nimis. Dixitq; Abrahã: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego morior absq; liberis: filius autem Masec vernaculæ meæ, hic Damascus Eliezer. Et ait Abraham: Quoniam mihi nõ dedisti filium, hic vernaculus meus hæres meus erit. Ac statim vox Domini facta est ad eum, dicẽs. Nõ erit hic hæres tuus, sed qui egredietur ex te, hic hæres tuus erit. Eduxit autem eum foras, dixitq; ei: Suspice cœlum, et numera stellas, si poteris numerare ipsas: et dixit ei: Sic erit semen tuum.* Vides sanctorum promptitudinem ad fortitudinem, vtq; se voluntariè ad labores conferunt? Simulac enim resciuit periclitari Loth, misertus quidem statim est calamitatis fraternæ, collectisq; festinanter familiaribus suis, et nonnullis confœderatorum, qui Hebræi non essent, aduersus opprimentes contendit, facileq; de eis victoriam reportauit, et Loth fratris sui filium à seruitute vindicauit, vnaq; reliquos, qui in victorum potestatem deuenerant. Deinde debitum illi, vt victori, honorem deferentes, obuiam ipsi iuerunt rex Sodomorum, et Melchisedech sacerdos Dei altissimi, vt scriptum est. Neque obiter tantùm obuiam iuit. Obtulit verò sacerdotij symbola, vt ibi moris erat, panes ac vinum: benedixitq; Abrahæ, et munus dedit vocis sacræ. Fortiter itaq; rem gessit, victorq; euasit Abraham. Eiusmodi enim ferè sunt fortes secundum Christum, qui gratissimam Deo animi constantiam, ac robur præ se ferunt. Adferam autem veluti in exemplũ, ac probationem præsentis sermonis, sanctos apostolos, qui diripienti passim omnia Satanæ, contrarijsq; veritati dogmatibus, simpliciorum animas deprædanti strennuè restiterunt vnà secum familiares suos in aciem ducentes, hoc est, eos, qui in sacris literis erant enutriti: et nonnullos ex confęderatis, qui Hebræi nõ essent, hoc est, qui quidem adhuc res mũdanas animo agitant, simul tamen cum sanctis in aciem prodeunt: eosq; imitantur. Hi verò ita fortiter, ac strenuè rem gerentes victores euaserunt, et à diaboli tyrannide captiuos vindicarunt. Hos enim ab idololatria, et ab adoratione creaturarum vltra creatorem: Hos verò à falsi nominis sciẽtia eripientes, cõciliarunt. Atqui eximię huius, atq; præclaræ animi præstãtię mercedem sibi lucrifaciunt, honoris ab ijs, qui in mundo sunt, delationẽ. Egressus est enim, inquit, rex Sodomorũ obuiam Abrahæ, et Melchisedech sacerdos Dei altissimi, benedictione per Christũ, viuificanteq; gratia exhilarantes per panẽ, ac vinũ. Idcirco verè de seipsis dicũt: Benedicti Dño, qui fecit cœlũ, et terrã. Melchisedech verò typus est sacerdotij secũdum Christum. Neq; verò huius rei probatio multis verbis indiget, cũ sacra scriptura ad hoc sufficiat. Dicẽte verò Sodomorũ rege ad Abrahã, vt pote victorẽ: Da mihi viros, equitatũ

Gen. 15.

Melchisedech typus sacerdotij secundum Christũ.

verò tibi serua, statim nihil omnino se accepturum iurauit, præterquam cibum eorum, qui communem cum illo laborem subierant, et portionem cōfœderatorum Eschol, Aner, Mambre. Sancti enim bellantes, et generosè pro perditorum libertate dimicantes, nullumq; laboris genus detrectātes, nihil à mundo accipiunt, neq; terrestrem thesaurum accumulant, lōgè ab ea exprobratione, quæ inde oriri posset, fugientes: vt non dicas, inquit, quod ditasti Abraham. Sola verò alimenta adiutoribus debita accipiūt. Dignus est enim operarius mercede sua: ijsq;, qui euangelium annūtiant, ex euangelio viuere Christus præcepit. Confœderati verò portionem suam accipiunt, benedicente (vt arbitror) Deo, etiam in rebus ad communem vitam pertinentibus, sanctorum coæmulatores. Nam pro vitæ iustitia commensuratim eorum fortunas locupletat. Ijs enim, qui nondum perfectè à terrenis rebus discesserūt, sed quodāmodo Deo, ac mundo partiti sunt, terrestres etiam benedictiones distribuit Deus: atq; ita benedixit Iacob, pecudes eius in ingentem producens multitudinem. PAL. Rectè ais. CYR. At verò eos, qui rerū præclarè gestarum laude illustres sunt, non oportere torpere, animoq; concidere iubet is, qui saluare nouit: amplissimamq; mercedem eos reportaturos esse vtiliter denuntiat: imbellē, timidamq; affectionem à grege timētium ipsum quàmlongissimè remouens, atque vna promissorum spe ad promptitudinem animi incitans, et robustiores, cōfirmatioresq; efficiēs. Quocirca et diuus Paulus ita affectus alibi quidem ait: *Omnia possum in cōfortante me Christo.* Alibi verò: *Cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Tristatur verò Abrahā, filiumq; habens seruum, non parua animi ægritudine laborat, orbitatisq; instar ducit, filium habere illegitimū, et ex serua natum. Deinde promittit illi Deus filiū ex libera, hoc est, Isaac: et futurum ipsum, ait, in illo patrem multarum gētium: habiturum verò semen sicut stellas cœli. Graui enim dolore afficiebat sanctos apostolos, veluti ex serua quadam, ex legali nimirum cultu spurium habere fructū. Quærebant autem potius fructum ex libera, hoc est, ex nouo testamēto. Hic autem erat Christus: in cuius etiam typum Isaac secūdum promissionem intelligitur, et per fidem. Vnde et Paulus de legalis vitæ laude ita inquit: *Quæ mihi erant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, et inueniar in ipso, non habens meam iustitiam, quę ex Lege est, sed illam, quę ex fide est Christi Iesu.* In Christo enim facti sunt patres multarum gentium, et innumerabilis seminis, quēadmodum et Abraham in Isaac. Atqui hic sermo non de veteribus solis, et sanctis apostolis explicari potest, verum etiam de ijs, qui deinceps eos sunt cōsecuti, et sacerdotio funguntur, ecclesijsq; sunt prefecti, aut de quouis sancto, et bono.

Philip. 4

2. Tim. 4

Abrahā dolēs se carere filio nato ex libera quid spiritualiter significet.

Philip. 3.

D. CY-

¶ Explicit liber quartus.

D. CYRILLI, ARCHIEPIſcopi Alexandrini de Adoratione in ſpiritu, et veritate.

Liber quintus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

De fortitudine quæ eſt in Chriſto.

CYRILLVS.

SCopus itaque ſanctorum fuit ô Palladi, vt tametſi quis alios debellauerit, nulla ratione ad res mundanas animum adijciat. Ita enim futurum eſt, vt ſapientes ac fortes, bonaq; ſpe pleni, et ſuperna beneuolẽtia ſint optimè muniti. Atq;, vt tu quidem probè noſti, res aliter ſe habere non poteſt. Cum enim mentem temporarijs, mundaniſq; cupiditatibus ſuperiorem, inuictamq; tenuerint, imbelles planè hoſtes offendent, minimoq; eos negotio ſuperabunt, promouente nimirũ eorum conatus Deo. At verò mundanis affectibus irretitos, terreniſq; cupiditatibus inuolutos facillimè, qui inſectari volet, deuaſtauerit, et ſub iugum miſerit. Cum enim ſuperno prę ſidio ſint deſtituti, tanquã parata quędam præda hoſtibus exponuntur. PAL. Quænam ſit eorum, quę dicta ſunt, probatio, vellẽ equidẽ clarius intelligere. CYR. Scriptura ſacra, quæ nobis ea, quæ veteribus acciderunt, vtiliſsimè inclamat. An non enim diuinus ille Paulus, ea ad noſtrã inſtructionem ſcripta eſſe, prędicat? PAL. Omnino. Ingentem enim nobis vtilitatem, quæ per ea ſignificãtur, adferre poſſunt. Figuræ enim erant veritatis, vmbræ. CY. Age ergo, dicamus. Iſraëlitæ traiecto Iordane obſederũt ciuitatẽ Hierico, ad eamq; expugnandam ex præcepto Dñi feſtinarunt, vt iam iam victores futuri, eamq; capturi, acceſſerunt bellica diſciplina inſtructi bellatores optimi. Scriptũ eſt enim, * quòd intrauit Ioſue filius Nun (Ioſue. 6.) ad ſacerdotes, et locutus eſt eis, dicẽs: Annuntiate populo, vt circumeant, et circũdent ciuitatem, et bellatores propè eant armati coram Domino.* Imperante enim Chriſto, per ducum vocẽ expugnamus inimicos noſtros, non aduerſus carnem, et ſanguinem (Epheſ. 6.) bellum gerentes, ſed potius aduerſus principatus, et poteſtates, et regnantem in mẽbris carnis Legẽ. Erimus

autem

autem tunc in conspectu Dei omni generis armatura tanquam coaptati diuina, et intellectuali, (arma enim nostra, iuxta Paulum, non sunt carnea,) iustitiæ verò gloriatione illustres. Intuetur itaq; dominus Deus fulgentia iustitiæ arma indutos. Hoc est, tãquam in conspectu Christi prope incedere bellatores armatos. Gloriosum quippe est, et perquam optabile in conspectu Dei versari: quod vel hinc manifestè intelligi potest, quòd Deus ijs, qui eum offendunt, auersionem oculorum suorum tanquam vltionem, et pœnam comminatur, inquiens: * Quando extenderitis manus ad me, auertam oculos meos à vobis.* Cum autem produceretur obsidio ad septimum vsque diem, dixit rursus Iosue filius Nun filijs Israël: * Vociferamini ad Dominum. Tradidit enim vobis ciuitatẽ: et erit ciuitas anathema, et omnia, quæ sunt in ea, Domino virtutum Sabaoth. Veruntamen Rhaab meretricem protegite illam, et omnia, quæ sunt in domo eius. Sed vos cauete ab anathemate, ne forte concupiscentes vos accipiatis de anathemate, et faciatis castra filiorum Israël anathema, et elidatis nos. Et omne argentum, et aurum, et omne æs, et ferrum sanctũ erit Domino, in thesaurum Domino inferetur.* Permittitur quidem viris fortibus aliorum spoliorum direptionem: inferri autem oportere dicit in thesaurum Domini omne argẽtum, et aurum, æs, et ferrũ. Hoc enim est cognomento anathema, hoc est, tributum à singulis, et sepositum, siue designatum Deo. Quod preceptũ cum nihili fecisset, * accepit, inquit, Achar filius Charmi, filij Zambri, filij Zarra de tribu Iuda ex anathemate: et accensus est ira Dominus in filios Israël.* Necessarium enim esse existimo eum, qui mundanis voluptatibus, alijsq; huius vitæ illecebris, atq; auocamentis, firmata in Christo voluntate obuiam ire statuerit, et iustitiæ armis ad laudem grassari voluerit, quiq; iam in cõspectu Christi versatur, nullo planè earum rerum, quas mundus admiratur, desiderio affici debere, non diuitiarum, non gloriæ, non potentiæ, aut dignitatis, non impiorum dogmatum, quæ ex Græcanica sapientia fluxerunt. Sit autem typus splendoris illius, in quo versantur, qui in dignitatibus, et summis honoris gradibus constituti sunt, argentum. Splendida enim materia est: diuitiarum verò, aurum. Eloquentiam autem sapientum mundi, æs significare videtur. Robur autem et potentiam ferrum, quòd vehementer durum sit, et vniuersæ materiei resistat. Porrò qui hæc cõsequi eligit, tametsi in optima statione prope Deum sit, et bellatoribus accẽseatur, ac tametsi spiritualibus animi bonis insignis sit, offendit Deum: cumq; commilitonem, atq; auxiliatorem adulterina deceptione tristitia affecerit, debitã eius irã incurret. PAL. Rectè ais: atq; equidẽ facilè assensero. Sed hoc amplius mihi velim dicas, abducto paulisper à litera, et historia nostro sermone: Cur Domino consecrantur, argentum, et aurum, atq; ęs, et ferrum, ac nõ potius tanquam superuacanea, atq; inutilia fortasse, aut alioqui tanquam coinquinare valẽtia castris eijciuntur? Impura enim esse hæc, spiritualis contemplationis sublimitas demonstrat. CYR. Quia, mi Palladi, splendor

[Margin notes: 2. Cor. 10. — Auersio oculorũ Dñi pœnã significat. Esai. 1. — Iosue. 6. — Argentũ typus dignitatũ mundanarum. — Aurũ, typus diuitiarum. — Aes, typus eloquentiæ sapientũ mundi. — Ferrum, typus potentiæ.]

ſplendor omnis, et diuitiæ, quin et potentia conuenienter, atque religioſè Deo tribui debet. Ipſius enim eſt gloria, et ſplendor omnis, et diuitiæ, et ſapientia, et potẽtia. Si quis verò ab ipſo accipiat, etiam ex theſauro Domini diteſcet, diuitijs nimirum intellectualibus, gloriamq; nanciſcatur, et ſcientiam, potẽtiamq; ſpiritualem, is meritò præclarus, et beatus cenſeri debet. Qui verò à mũdo ea accipere cõtendit, execrabilis eſt et deſpectus apud Deum, iudicium eius et ſupplicium experturus. Comitatur enim plerumq; diuitias ſtudiũ voluptatis. Splendor verò, et dignitates ſuperbię vicinia laborant. Potẽtię cognata eſt, plus habendi cupiditas. Sapientiæ verò mũdanæ, opinionum deformitas, tametſi eæ ſcriptorum ſuauiloquentia ſint inuolutæ: quod et Paulus innuit, inquiens: *Si quis in vobis ſapiens eſt, ſtultus fiet, vt reddatur ſapiens. Sapientia enim mundi huius, ſtultitia eſt apud Deũ.* Porro Achar quòd non ex theſauro Chriſti accepiſſet, ſed tanquam ex mundo ciuitatis Hierico, offendit Deum. Damna verò, aliaq;, quæ ex diuina ira proueniunt, non ad illum tantum vt criminis reum, ſed ad totam congregationem peruenerunt. Deſtitutus enim auxilio diuino, priſtinum robur, et vires perdidit populus Iſraëliticus, olim alioquin inuictiſsimus. PAL. Vnde, aut quo pacto veritas huius rei nobis cõſtare poterit? CYR. Ex ijs, quæ deinceps ibidem ſcribuntur. Nam poſt multa in obſidione Hierico pręclarè, et viriliter ab Iſraëlitis geſta, *miſit Ioſue viros ab Hierico in Gai: et aſcẽderunt viri, et explorauerunt Gai, et reuerſi ſunt ad Ioſue, et dixerunt ad eum: Non aſcẽdat ad eam omnis populus, ſed circiter duo millia, vel tria aſcendat, et obſideant ciuitatem. Ne adducas illuc omnem populum, pauci enim ſunt. Et aſcenderũt illuc quaſi tria millia virorum, et fugerunt à facie virorum Gai, et occiderunt ex eis viri Gai ad triginta ſex viros, et perſecuti ſunt eos à porta, et contriuerunt eos per prona: et territũ eſt cor populi, et factum eſt inſtar aquæ.* Ecce qui vrbes capiũt, et regiones deuaſtant, quiq; feriſsimas nationes nullo ferè negotio ſub iugum mittũt, in imbelles incidũt Gaitanos, et vix euaſerunt, receſſeruntq; malè mulctati: cum ipſi initio totam bellatorũ multitudinem arma ſumere vetaſſent: ciuitatem etiam à paucis expugnatu facilem eſſe vna voce prædicantes: *nõ enim (inquiebant) aſcendat omnis populus, ſed quaſi duo millia virorũ.* Cœterum cum ob inexpectatam hãc cladem, et opinione maiorem calamitatem grauiter animo conſternatus eſſet Ioſue, et diſciſſa veſte, Deo procidiſſet, rei nouitate perculſus, dixit ei Dominus: *Surge. Cur ita procidiſti in faciem tuã? Peccauit populus, et præuaricatus eſt pactum meum, quod pepigi ad eum, et furati de anathemate, impoſuerunt in vaſa ſua. Non poterunt filij Iſraël ſuſtinere ante faciem hoſtium ſuorum. Ceruicẽ conuertent coram inimicis ſuis, quoniã facti ſunt anathema. Non addam amplius ire vobiſcum, niſi abſtuleritis anathema de vobis ipſis. Et oſtenſo Achar, dixit Ioſue: Da gloriam hodie domino Deo Iſraël, et da cõfeſsionem: et indica mihi, quid feceris, ne abſcondas à me. Et reſpondit Achar Ioſue, et dixit: Verè ego peccaui

coram

1. Cor. 3.

Ioſue. 7.

coram domino Deo Iſraël, ſic, et ſic feci. Vidi in ſpolijs pallium varium bonum, et ducentas didrachmas argenti, et linguam auream vnã quinquaginta didrachmarum. Et concupiſcẽs illa accepi: et ecce hæc abſcõdita ſunt in terra in tabernaculo meo, et argentum abſconditũ eſt ſub eis.* Vides, quo pacto is, qui furatus erat, vidiſſe ſe, ait, in ſpolijs pallium variũ, et ducentas didrachmas argenti, et linguam auream quinquaginta didrachmarum. Cõcupijſſe autem illa, hoc eſt, in illicitum eorum deſideriũ veniſſe? Palliũ autem illud chlamys erat variè contexta, et veſtis militaris, auaritiæq; ſymbolum. Innatum enim ferè, et peculiare eſt militari ordini plus habendi ſtudium. Mundani verò ſplendoris typus eſt argentum, vt ſuauiloquæ gentium ſapientiæ, lingua. Huiuſmodi ferè eſt Grecię ſapiẽtum lingua pariter et doctrina, tanquam aurea, et pretioſa ob elocutionis ſplendorem, atq; apparatum. Detecto itaq; peccato, Ioſue Achar debito ſupplicio affecit, quippequi nõ peccarat ſolùm, ſed ob priuatam ſuam, atq; effrenem concupiſcentiam totũ exercitum communi damno inuoluerat. Atq; hoc eſt, quod optimè ſapiẽ-
1. Cor. 5. terq; a Paulo ad nos dictũ eſt: *Profligate ex vobis eum, qui malus eſt. paulum enim fermenti totam cõſperſionem fermentat.* Satis itaq; declaratum eſſe arbitror in primo Abraham, quàm innoxiè ſanctis ſint de virtute bellica ouationes: vtq; facilẽ de hoſtibus victoriam ſin reportaturi, qui hoc ſibi propoſitũ habuerint, nihil à mundo quærere. In Achar verò, quàm contraria illi ab his omnia euenerint, quippequi à recto tramite declinans, ad ea, quæ in mundo ſunt, ſe conuertit. PAL. Omnino. Nihil enim poteſt hac re dici manifeſtius. CYR. Quòd autẽ oporteat ſanctos vniformes, non autem varios, et mutabiles eſſe, facilè quis intelligat ex Lege ita dicente: *Non erunt veſtitus viri in muliere: neq; induetur vir veſte fæminea, quoniam abominatio eſt Domino omnis faciẽs hæc.* Abominatio enim, hoc eſt, deformiſsimũ ſpectaculum eſt coram Deo, prætextus ſiue opinio fortitudinis in mollitie. Hoc enim eſt eſſe veſtitum viri in muliere, et in virilitate laborare mollitie: quod perinde eſt, atq; indui virum veſte muliebri. PAL. Qua ratione obſecro? CYR. An non hypocriſis res eſt mala, odioſaq; Deo, et hominibus? PAL. Eſt certè. CYR. Si quis igitur libidinoſus, atq; intemperans ſit, talemq; eum eſſe re ipſa conſtet, deinde fictitiam quandam probitatis opinionem de ſe cõcitet, laudesne huiuſmodi hominem Palladi? PAL. Nequaquam. CYR. Porrò qui bene temperans, et honeſtus ſit, an non illum eundem mentis tenorem firmiter tenere, neq; ſui diſsimilem cognoſci debere iudicabis? PAL. Omnino. CYR. Nunquam igitur molles atq; effœminatæ quorundam cogitationes in fortitudinis opinionem ſeſe inſinuent. Hoc enim eſt: Non erunt veſtitus viri in muliere: neq; rurſus id, quod verè robuſtum et maſculũ eſt, mollitiei ſe dedat. Hoc enim eſt: Non induetur vir veſte muliebri. Par ſiquidem eſt quodammodo in vtriſq; vitium, et iniuria virtuti illata, cuius criminantur. PAL. Damnoſa, vt videtur, res eſt mollities, neque omnino pœna vacat. CYR. Non eſt quòd

Deut. 22 Locus Deuteronomij. 22. cap. ſpiritualiter explicatus.

Molliti-es, res vilis, et deo inuiſa. quòd dubites. Vitium enim eſt vile, et Deo vehementer inuiſum. Quocirca ſacris etiã cohortibus eijcitur, qui huius culpæ reus eſſe cognoſcitur. Ego enim ita ſentio neceſſarium eſſe vt qui verè fortis, ac generoſus ſit, mẽtem ſuam priuata negligentia infringi, nequaquam patiatur: quin potius timore vecordiaq; omni abiectis, irreprehenſibiliq; in Deum fide firmatũ, dicere debere: *Omnia poſſum per Christum, qui me corroborat.* Deuitare autem tanquã mortis conciliatricem, quę q; nos reprobos apud Deum conſtituat, rerum terrenarũ cupiditatem. Scriptũ vtiq; eſt in Deuteronomio: *Si exieris in bellum cõtra hoſtes tuos, et videris equitatum, et aſcẽſorem, populumq; maiorem te, non timebis ab eis, quoniam Dñs Deus tuus tecum, qui eduxit te de terra Aegypti. Et erit, quando appropinquaueris prælio, et accedens ſacerdos loquetur populo, et dicet ad eos: Audi Iſraël, Vos acceditis hodie in pugnã contra inimicos veſtros, ne diſſoluatur cor veſtrum, ne timeatis, neq; turbemini, neq; declinetis a facie eorũ: quoniam Dominus Deus veſter, qui præit vobiſcum, debellabit vobis inimicos veſtros, et ſaluabit vos. Et loquentur ſcribæ ad populum, dicẽtes: Quis homo, qui ædificauit domum nouam, et nõ dedicauit eam? Vadat, et reuertatur in domũ ſuam, ne moriatur in bello, et homo alius dedicabit eã. Et quis homo, qui plantauit vineam, et non lætatus eſt ea? Vadat, et reuertatur in domum ſuam, ne moriatur in bello, et homo alius lætabitur ex ea. Et quis homo, qui deſpondet vxorem, et non accepit eam? Vadat, et reuertatur in domum ſuam, ne moriatur in bello, et homo alius accipiet eam. Et addent ſcribæ loqui ad populum, et dicent: Quis homo metuens, et timidus corde? Vadat, et reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat cor fratris ſui, ſicut cor ſuũ.*

Philip. 4

Deut. 20

PAL. Quòd quidem oporteat confidentes Deo excellere virtutibus, et in omni bono viriliter agere, equidẽ facilè ipſe iudicarim. Excluduntur autem quidam à bello tãquam parum idonei: quod, quo pacto, aut qua ratione fiat, non ſatis aſſequor. CYR. An ignoras, neminem Deo gratum eſſe poſſe, imo verò neminẽ labores, qui pro pietate erga eum preferuntur, æquo animo ſubiturũ, niſi vitam hãc mũdanam peregrinationem eſſe duxerit? Quod quidem nobis optimè, manifeſteq; tanquam in imagine, et figuris ſanctorum patrum vitæ teſtãtur. Abraham enim in tentorijs, tanquam peregrinus, agebat: et ex hoc in alium locum migrabat. Omnis etiam populus Iſraëliticus frequentes habebat per ſolitudinem manſiones, et in tentorijs degebat. Qua de re propheta Dauid non parum gloriatur, ita dicens ad Deum: *Ignoſce mihi, quia accola ego ſum in terra, et peregrinus ſicut omnes patres mei.* Supernas autem manſiones vehemẽter charas habebat, ita inquiens: *Quàm dilecta ſunt tabernacula tua Domine poteſtatum. Deſiderat, et deficit anima mea in atria Domini.* Hi ergo ſuperna cogitant, et ad manſiones, quę in cęlis ſunt, anhelãt: quas Saluator ipſe diligentibus eum pollicetur, dicens: *Vado, et parabo vobis locũ. Et iterum veniam, et aſſumam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, et vos ſitis.* Eius itaq; qui non perſua-

Deo gratus nemo eſſe poteſt, qui vitã mundanã pro peregrinatione nõ habuerit.

Pſal. 38.

Pſal. 83.

Ioan. 14.

ſum habet præſentem vitam peregrinationem eſſe, typus eſt, ędificans domum: et occupationibus quas illa ſecum trahit, aſsiduè incumbens. Auari autem, ſiue attenti ad rem, figura eſt vitem plantans. Mollem verò, atque effœminatum, quiq; mētem carnalibus deſiderijs addixit, ſignificat is, qui vxorem deſpondet. Quocirca militaris præconis voce, à ſacro, bellicoſiſsimoq; cœtu arcentur. Porrò ea, quæ veriſimile eſt huiuſmodi vitijs inuolutos cogitare apud ſe, et dicere, ea præco ipſe proclamat. An nō conſtat, quòd qui huiuſmodi vitijs laborāt, plerunq; in afflictionibus quietem amāt: et labores pro Chriſti amore ſubire detrectant? credentes nimirum ſi quid eis ex cōflictu ſiniſtri eueniat, ſed domibus, et fortunis ſuis, voluptatibusq;, quas maximi faciūt, priuatū iri. Quo fit, vt timidiſsimos eos, degeneresq; reperias. Quod itaq; par eſt huiuſmodi homines ſecū agitare ac dicere: hoc ſcriba ipſe proclamat obliqua quadam reprehenſione, et modeſta vrbanaq; exprobratione perſtringens, degenerem ac timidū mollitiei ſuæ excuſationes prætexentem, et veluti fomentum quoddam timiditati ſuæ mundanas voluptates ſuggerentem. Quocirca extremam, eamq; nudam, et nullis planè inuolucris obtectam vocem edere præco à Domino iubetur: *Et addent, inquit, ſcribæ loqui ad populum, et dicēt: Si quis homo metuēs, et timidus corde, vadat, et reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat cor fratris ſui, ſicut cor ſuum.* Tantum nō enim apertè illud dicit. Qui terrenis rebus incumbit, qui domos ædificat, qui vineas plantat, quiq; carnalibus voluptatibus indulget, timidus is, et imbellis ſit, neceſſe eſt. Huiuſmodi verò nullo planè vſui, quin potius damno alijs exiſtit. Corrumpunt enim mores bonos conuerſationes prauæ. Et nonnunquam is, quem facilè timor occupat, fortem etiam animoſumq; virum eneruat, et in timiditatem vnà ſecum trahit. Vnde diuinus ille Paulus increpat illos, qui eum ab aſcenſione Ieroſolymorum deterrebant. Ait enim: *Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non ſolum ligari, ſed etiam mori paratus ſum pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Notandum etiam eſt, quòd eorum, qui ad nuptias vocati ſunt, excuſatio erat, * Agrum emi et vxorem duxi, et nō poſſum venire.* Ita enim in euangelio, et parabolis ſcriptū eſt. Neque verò difficilè fuerit, ex veteribus etiam exemplis huius rei probationem petere. PAL. Age igitur, dic abſque cunctatione: feceris enim mihi pergratum. CYR. An non in Numeris legimus? *Et poſt hæc profectus eſt populus de Aſeroth, et caſtrametati ſunt in deſerto Pharan, et locutus eſt Dominus ad Moyſen. Mitte tibi ipſi viros, et conſiderent terram Chananeorum, quam ego do filijs Iſraël in poſſeſsionem. Virum vnum per tribum, per populos familiarum ſuarum mittes eos, omnem principem ex ipſis. Et miſit eos Moyſes de deſerto Pharan per vocem Domini. Omnes viri principes filiorum Iſraël. Enumeratis verò ſecundum tribus, et generationes ijs, quos miſit, ſubijcit: Et aſcendentes conſiderauerunt terram à deſerto Sin vſque ad Rhoob, intrantibus Emath.

Timidus etiā fortes in timiditatē trahit.

Act. 21.

Luc. 14.

Num. 13

Locus Num. 13 de exploratoribus terræ Chanaā ſpiritualiter explicatus.

Et paulo

Et paulo poſt: Et venerũt vſq; ad vallem Botri, et abſciderunt illinc palmitem, et racemum vuæ vnum in eo: et tulerunt eum in vectibus, et de malis punicis, et de ficis: et locum illum cognominauerunt, Vallis racemi, propter racemum, quem abſciderunt illinc filij Iſraël. Et reuerſi ſunt inde, cum cõſiderauiſſent terram poſt quadraginta dies. Et euntes venerunt ad Moyſen, et Aaron, et ad omnem congregationem filiorum Iſraël in deſertum Pharan Cades: et reſponderunt eis verbum, et omni congregationi. Et demonſtrauerunt fructum terræ, et enarrauerunt ei, et dixerunt: Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, terram fluentem lacte et melle, et hic fructus eius. Sed quia fortis gẽs habitans terram, et ciuitates munitę, muratæ, ac magnæ valde, et generationem Enach vidimus ibi.* Vides, vt timidi illi, parumq; fortes terræ promiſsionis exploratores fatentur quidem terrã eſſe fertilem, et vineis abundantem, ſpecioſiſsimisq; fructibus affluẽtem: Adijciũt verò his, quę metum incutere poſsint, incolas nimirum gentem eſſe ſtrenuam, ciuitatesq; munitiſsimas, atq; vndequaq; muratas prædicantes, eaq; ratione Iſraëlitis potiundi ſpem infringẽtes, eis timiditatis autores extiterunt? PAL. Ita ſe res habet. CYR. At verò ſapiẽtes, atq; animoſi Chaleb et Ioſue illorum præſtigijs acriter reſtiterunt, dicentes ad populũ, et Moyſen. *Non, ſed aſcendentes aſcendamus, et poſsideamus eam, quia potẽtes poterimus aduerſus eos.* Exploratores contrà acrius reclamabant, difficillimam ſuperatu fore Iſraëlitis terrã promiſsionis aſſeuerantes. Deinde inquit: *Et accipiens omnis cõgregatio dedit vocem, et fleuit populus totam noctem illam, et murmurabant contra Moyſen, et Aaron omnes filij Iſraël: et dixit ad eos omnis congregatio filiorũ Iſraël: Vtinam mortui eſſemus in terra Aegypti, aut in deſerto hoc ſi mortui eſſemus. Et quare Dominus inducit nos in terrã hanc cadere in bello? Vxores noſtrę, et filij erunt in rapinã. Nũc ergo melius nobis eſt reuerti in Aegyptum. Et dixit alter alteri: Demus ducem, et reuertamur in Aegyptũ.* In tantum miſeriæ, et timiditatis deuenit tota congregatio. Cum autem eos Ieſus filius Naue cõſternatos erigere conaretur, et diſciſſa veſte, innumeras terrę laudes prædicaret, nũquam tantum apud eos proficere potuit, vt animũ reciperẽt. Inaudita itaque eorum puſillanimitate Deus auxiliator offenſus, quodq; ſuis ipſorũ viribus ſpei erectionem derogarẽt, iurauit dicens: *Non videbit quiſquã horum virorum terrã, quam promiſi patribus ipſorum, niſi Chaleb filius Iephone, et Ieſus filius Naue.* Dubiũ ne igitur eſt, quòd timidus, et tardus ad fidem alios ſecum in perniciẽ trahat, praua conuerſatione corrũpens, et quòd hæreditate excidet, et ſpe, quæ eſt in Chriſtum? Qui verò fortiter, ſtrenueq; ſe geſſerit, is ſpei ſuæ cõpos, et amicus futurus eſt Dei. PAL. Ita ſe res habet. Satis enim id apertè comprobaſti. CYR. Ergo, vt initio diximus, ineptus eſt ad ſpirituale bellum, qui mundanis voluptatibus eſt implicitus. PAL. Omnino. CYR. Adijciam hîc aliud. Ego enim ita cẽſeo ad virtutem ſumma animi cõtentione enitendum eſſe. Eum verò, qui iam recens ad virtutis alicuius exercita-

Ibidem. Ibidem.

citationem se contulit, nondũ pugnæ idoneum esse. Facilè enim in vitium relabitur. PAL. Quo pacto? CYR. In Deuteronomio scriptũ est: *Si quis acceperit vxorem nuper, non procedet ad bellũ: et non iniungetur ei res aliqua, immunis erit in domo sua: annum vnum lætificabit vxorem suã, quam accepit.* Attendẽdum est hîc Palladi ad sola mac nudã literam. Legislator noster domi manere iubet bellatorem, neq; vult rebus gerendis interesse, qui muliebri consuetudini se dediderit: quiq; voluptatem potiorem habuerit. PAL. Equidem nõ facile assenserim, hãc fuisse legislatoris mentem. Probabilis autem aliqua, vt videtur, huic rei ratio subest. CYR. Itaq; quod dixi, breuiter repetam. Qui virtutis alicuius studium aggressus, nondũ eam plenè assequutus est, facilè in contrarium vertitur. PAL. Dic quo pacto. Neq; enim satis assequor. CYR. Solomon alibi inquit: *Dic sapientiam, tuam sororem esse: et prudentiam notam acquire tibi.* Familiares enim quodãmodo nobis facimus virtutes: cum in ipsis fructus ædere summa vi enitimur. Nam hic qui sapientiam, quæ in cognitione cõsistit, est cõsequutus: hic verò mãsuetudinem, et in irascentiam, aut aliam quampiam virtutem, quam perfectè sibi conciliandã proposuit, non absq; multo studio, exercitationeq; fuerit adeptus. Neq; verò, qui iam primùm modestię studere cœpit, aptus statim ad probãdum, et tentandum erit. At qui recens sapientiæ studijs est initiatus, si in eos, qui recta distorquent, incidat, an nõ facilè eorum argutijs peruertetur, et conuincetur, quippe qui nondũ solida prudẽtia, eruditioneq; sit stabilitus? PAL. Ita videtur. CY. At verò is, qui mansuetudini studet, nisi diu, multũq; fuerit exercitatus, si à quopiam irritetur, an non facilè in iram excandescet? PAL. Opinor certè. CYR. Vir autẽ, qui multo studio doctus euasit, an non cum alijs cõgredietur, eorumq; versutijs, et fallatijs rectam rationem opponet? PAL. Ita est. CYR. At qui mãsuetudinem sibi iam familiarem fecit, non facilè irascetur, etiam si ad iram lacessitus. PAL. Aio. CYR. Rectè igitur Lex, tanquam in muliere figurans eleganter familiarem sanctis virtutem: *Si quis, inquit, acceperit vxorẽ nuper, non procedat ad bellum, et nõ iniungetur ei res aliqua, immunis erit in domo sua: annum vnum lætificabit vxorem suam, quam accepit.* Neq; enim laboribus, et persecutionibus onerari vult eum, qui recens quodãmodo formatus, et tenellus est, quiq; adhuc in virtutis palestra tyronem agit, sed tanquam ociosum, sibiq; vacantem relinqui tantisper dum incalescat, virtutisq; amore inflãmetur. Huiusmodi quid apostolos etiã factitasse legimus. Nam ijs, qui ex gẽtibus conuersi, et recens ad Dei cognitionẽ vocati erant, sapiẽter præcipiũt: *Visum est sãcto spiritui, et nobis, nequid amplius imponeremus vobis oneris, quã vt abstineatis à scortatione, et suffocato, et sanguine.* Prætermittẽtes enim, prout res exigebat, grauiora præcepta, pauca quædã et necessaria ad obseruandũ proposuerũt ijs, qui recẽs ad Dei cultũ adducti erãt: quippe qui, quid ferre possent, nõ ignorabãt. His autem, qui per insuetos labores iter faciunt, tametsi aliquãdo pusillanimitate peccent, ignoscit Dominus, iramq;

Locus Deuteronomij. 24. explicatus spiritualiter

Prou. 7.

Actor. 15

iramq; ſuam, et culpam condonat. Poſtea verò exigit pœnas, iræq; ſui vibramentis ſubijcit: nimirum quòd iam imbecillitatem prætexere ob laborum inſuetudinem non poſsint: at potius ad id, quod ſuaue et blandum eſt, quodq; Deo diſplicet, promptiſsi mè relabantur. Ardua itaq; et accliuis eſt ad virtutem via, neq; abſq; ſudore ad eius culmen euaditur. PAL. Intelligo. CYR. Erat itaq; minimè abſurdum quin potius æquum, atque conueniens, eos, qui iam primùm ad hoc adducti ſunt, benignè atq; indulgenter habere, manuq; ducere, vtpote quorum animi nondum ſatis firmati ſunt, ſed teneris quodammodo pedibus incedũt, veteriſq; adhuc imbecillitatis reliquijs laborant. Ij verò qui iam exercitati ſunt, laboribus, ac metu vrgẽdi ſunt, quippe quibus deinceps tolerandi, obediendiq; neceſsitas quædam impoſita ſit. PAL. Rectè colligis. CYR. Res eſt minimè obſcura, ſi quæ figuratè veteribus acciderunt, ſtudioſè inquirere velimus.

Exod. 15. Ita enim ſcriptum eſt: *Eduxit autẽ Moyſes filios Iſraël de mari rubro, et duxit eos in deſertum Sin. Et ambulauerunt tres dies in deſerto, et nõ inueniebant aquam ad bibendum. Venerunt autem in Marath, et non potuerunt bibere aquam de Marath, amara enim erat. Propter hoc vocatum eſt nomen loci illius, Amaritudo. Et murmurauit populus contra Moyſen, dicentes: Quid bibemus? Clamauit autem Moyſes ad Dominum, et oſtẽdit ei Dominus lignum, et coniecit in aquam, et dulcis facta eſt aqua.* Cum enim Iſraëlitæ iam recens Aegypto excederent, et grauiſsimum, atq; intolerabile ſeruitutis, quam ibi paſsi erant, iugum ceruicibus ſuis excuterent, et ad terrã iam olim patribus promiſſam, Deo vocãte, feſtinarent, prima ſtatim ærumna eos excipit, aquarum penuria: quam vix poſt multos labores exhauſtos inuenerunt, cuiuſq; non niſi difficillimus eſſet vſus. Amara enim erat, ſicut ſcriptum habetur. Ligni verò ad motione ſuauis, dulciſq; reddebatur, Deo nimirum Moyſi modum, quo id fieret, indicante. Cum enim diuina lege docti ſimus Deum ſequendũ, qui nos ex affectuum ſeruitute aſſerit, et à diaboli tyrannide liberat, deſudandum nobis eſt, cum tentamur, et ad gloriæ coronam accipiendam ſummo ſtudio enitendum, exercitationis labore ea, quæ carnis ſunt, conſumentes, et indomitos animi motus ſemper ad voluptatem vergentes, tãquam immanem quandam feram ſiti, atq; inedia demetantes. Nam ijs, qui continentiam ſibi exercendã proponunt, primùm aduerſus carnem et carni annexa eſt confligendum. Neq; quiſpiam aliter, vt arbitror, abſolutã continentiæ laudem conſequetur. Tipus itaq; laborum, qui in exercitatione ſunt ſubeundi, eſt ſitis: quæ veteribus in deſerto obtigit, et prælu dia exercitiorum, ſunt corporalia. Animaduerte enim, quo pacto non ſtatim ad bellum adhibeantur. Nam qui iam primùm cum affectibus conflictari, virtutiſq; ſtudiũ aggredi cœperunt, non ſtatim ad pugnam aduerſus principatus et poteſtates ſunt decernendi, quippe quod nouitiorum robur nondum ſatis firmum ſit, ſed carnis laboribus primùm probãtur, Deo nimirum labores, tentationeſq; pro cuiuſq; viribus, et diſpoſitione

accomodante. Atq; hoc est, vt arbitror: *Tentatio vos nõ cepit, nisi humana: sed fidelis est Deus, qui non sinet vos tẽtari supra id, quod potestis: imo faciet vnà cum tentatione euentũ, quo poßitis sufferre.* Cum verò vehementer amari sint labores, qui pro virtute subeuntur, Christus eos in suauitatem, dulcedinemq; conuertit: qui et dicitur, et est lignum vitæ: atq; ipsemet alibi in euangelicis scriptis dicit: *Si in humido ligno hęc faciunt, in arido quid fiet?* humidum, et floridum seipsum appellans lignũ. Ostensum verò est Moysi lignum à Deo. Solus enim pater filiũ reuelat: quandoquidem solus ipsum nouit. *Nemo enim nouit, quis sit filius nisi pater.* In Christo itaq; ligno vitę dulcia fiunt, quæ antea erant amara: tolerabilia verò, quæ antea erant toleratu difficilia. ad vitam deniq; necessaria, quæ suapte natura pernitiosa esse solebant. PAL. Qua ratione? CYR. An non verum est, quòd labores, si supramodum acerbi sint, corpus labefactent, animam verò æternæ vitæ participem efficiant? Cum Paulus alibi dicat: *Cum infirmus sum, tunc fortis sum.* Et rursus: *Tametsi externus homo noster corrumpitur, internus renouatur de die in diem.* Quis verò ita comparatus sit, vt tam acres dolores tolerare velit, nisi dulci in Christum spe erigeretur? PAL. Nemo planè, opinor. CYR. Vide igitur (necesse est enim Palladi, vt ad eorũ, quæ initio diximus, repetitionem veniamus) populum Israëliticum in deserto siti laborantem, et Moysi obmurmurantem impunè tamen in tãtum pusillanimitatis incidisse. Neq; enim pœnas de eis sumpsit Deus, sed impunitos reliquit, cum alioqui grauiter in huius culpæ reos animaduertere soleat. Est enim dignus misericordia, qui in primis adhuc virtutum exercitamentis nõnunquam labitur. Postea verò, si nimia pusillanimitate peccet, et effreni defectione in absurdas cupiditates deuoluatur, veniam non inueniet. Porrò de filijs Israël alibi in Numeris sacra scriptura ita dicit: *Et profecti sunt de monte Domini viam trium dierum, et arca testameuti Domini præibat prior illis viam trium dierum, vt consideraret illis requiem. Et factum est, cum leuaretur arca, et dixit Moyses: Exurge Domine, et dispergãtur inimici tui: et fugiant omnes odientes te. Et in requie dixit: Conuerte Domine millia milliaria in Israël. Et nubes erat obũbrans super eos interdiũ, cum mouerent ipsi ex castris. Et erat populus murmurans mala coram Domino: et audiuit Dominus, et iratus est ira; et incensus est in illis ignis à Domino, et deuorauit partem castrorum. Et clamauit populus ad Moysen: et orauit Moyses ad Dominum: et cessauit ignis. Et vocatum est nomen loci illius Incensio, quia incensus est in illis ignis à Domino.* Et paulo post iterum: *Et discedentes ex Or mõte per viam ad mare rubrũ, circuierunt terram Edom, et defecit populus in via. Et loquutus est populus contra Deum, et contra Moysen, dicentes: Quare eduxisti nos ex Aegypto, vt occideres nos in deserto? Quoniam non est panis, neq; aqua: at anima nostra grauata est in pane vacuo hoc. Et misit Dominus in populum serpẽtes mortiferos, et mordebant populum, et mortuus est populus multus filiorum

[Marginal notes: 1. Co. 10. — Christus lignum vitæ. — Luc. 13. — Matth. 11 — 2. Cor. 12. — 2. Cor. 4 — Num. 10 — Locus Num. 10 et 11. declaratus de arca Israelitis præcedẽte. — Cap. 11.]

rum

tum Israël.* Vides igitur, quo pacto obloquax, et murmurator populus ab igne, et serpentibus depastus sit? Illi enim proficiscentes è monte Domini, præcedente eos arca, et quærēte eis requiem: orante verò, ac deprecāte pro eis Moyse, quin et nube obūbrante eos: hi verò vacuum appellātes panem cœlestē, grauissimo Deū et Moysen vituperio affecerunt. Idcirco illi quidem ignis pabulum sunt effecti: hi verò serpentum morsibus miserè perierunt. PAL. Quidnam præterea in vtroq; hoc exemplo obseruādum est, et quid est mons Domini? CYR. Montem, opinor, dicit Sina: in quem descendit in forma ignis totius vniuersi creator: visusq; est ab omni populo, et de rebus faciendis leges sanxit. Posuit enim ibi filijs Israël iustificationes, et iudicia. Sed et is, qui olim leges illas statuebat, Christus erat. Leges enim per Moysen editas, verba sua appellat. Inquit enim: Amen dico vobis, donec prætereat cœlum, et terra, iota vnum, aut apex vnus non præterierit ex Lege, donec omnia facta sint. Cœlum, et terra trāsibunt, verba autem mea non transibunt. Age igitur, omisso rudi historiæ textu, spiritualis intelligentię subtilitatem inuestigemus. Qui Dei visione, eiusq; cognitione digni habiti sunt, quiq; diuinæ naturæ splēdorem mentis oculis tanquam in mōte sunt contemplati, (hoc enim est, in altissima, ac pręcelsa sublimitate, omnibus enim rebus superior est gloria, et natura Dei) quiq; seipsos quodammodo per fidem Christo exhibent, eiusq; dictis obtemperaturos se pollicentur, (hoc enim etiam tunc faciebat Israël, dicens: *Omnia, quæ dixit Dominus Deus tuus faciemus, et obtemperabimus) ea, quæ par est cura fruentur, eiusq; solicitudinis participes erunt, quæ illis sufficiat ad salutem. Ipsum enim habituri sunt ducem, et propugnatorē, ac præeuntem ad quærendū eis locum quietis. Primus enim Christus propter nos, et pro nobis se opposuit veteri tyranno Satanæ. Ieiunauit etiam, et tētatus est in deserto, vt nos requiem haberemus; victum illum, et ad pedes eius prostratum videntes. Idcirco dixit: *In mundo afflictionē habetis, sed bono animo sitis. Ego vici mundum.* Et rursus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnē virtutem inimici.* Primus propter nos, et pro nobis morti addictus, eius potestatem fregit, atq; dissoluit, quęsiuit autem nobis requiem, renouans nos ad immortalitatē. Primus ingressus est paradysum, placans quodāmodo gladiū inde auertentē, diuellensq; à nobis peccatum, quod nos inde arcebat. Persoluit enim ipse nostra debita, et viuice eius nos sanati sumus, vt scriptū est. Primus enim ascendit ad Patrem et Deū, instaurans nobis aditum ad cœlū, præparāsq; nobis supernas māsiones. Ita enim ipse dixit? *Vadam, et præparabo vobis locū.* Præfiguratus itaq; est in arca Christus. Nam illa ex lignis imputribilibus erat cōstructa, et diuinam in seipsa occultabat legem, quæ est verbum Dei. Vides, quàm pulchrè hoc mysterium Christo quadret? Deus enim erat verbum in incorruptibili tēplo. Præcedebat itaq; arca, explorans Israëlitis locum quietis. Præcedit etiā nos Christus, ijs, quos modo diximus modis: atq; insuper mediatoris officio

Mōs Dñi quid sit.

Christus leges Moysi verba sua appellat.

Exod. 24

Ioan. 16

Luc. 10

Ioan. 14

Arca, typus Christi.

cio funges aduocatus noster fit apud Patrem, et piaculum, siue propitiatio pro nobis, sicut etiam olim Moyses: qui quidem, cum eleuaretur arca, dicebat: *Exurge Domine, et dispergãtur inimici tui, et fugiãt omnes odiẽtes te.* Et cum quiesceret, dixit: *Conuerte Domine millia milliaria in Israel.* Cũ enim vnigenitus Dei filius ad nostrũ auxilium exurrexit, qui etiam olim dixit per Psalmistæ vocem. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nũc surgam, dicit Dominus*), tunc ceciderũt inimici, fugeruntq; aduersarij, et diuinę glorię hostes. In cruce enim de principatibus ac potestatibus triumphum tulit, morteq; sua deuicit principem seculi huius, vt scriptum est. Quãdo autem conquieuit, totiq; administrationi salutis nostræ finem imposuit per resurrectionem è mortuis, et ascẽsum in cęlum ad Patrem, vniuersam terram conuertit: milleq; myriades suos cultores, atq; adoratores effecit. Cum enim, inquit, exaltatus fuero à terra, omnes traham post me. Moysis itaq; oratio, typus fuit mediationis Christi, quippe qui in specie humana orauit, atq; adeò impetrauit nobis res præstantissimas à Deo, et patre. Diuus enim Ioannes *aduocatum, inquit, habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: et ipse propitiatio est pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mũdi.* Protectorem præterea ipsum habemus, tãquam in nube obumbrante significatum. Audiat enim, qui fide in ipsum iustificatus est: *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* Dicunt autẽ nonnulli in mercedum distributione iuxta euangelicam parabolam: *Nos tulimus pondus diei, atq; æstum.* Vehementem nimirum, vt arbitror, feruentissimamq; indomitarum voluptatum inflammationem, aut fortasse tentationum, ardorem ac pondus diei appellantes. Auxiliator itaq;, et protector in salutem nobis factus est Christus. Si verò quidam eorum, qui diuina visione digni habiti sunt, et diuinis præceptis morigeros se præbuerunt, fideiq; professione quodammodo vouerunt obedientiam aspernentur (turpi in vitiũ defectione) præeuntem, siue ductorẽ (Christum, inquã) quærendum eis locum quietis, atque instar mediatoris negotium nostrũ transigentem, et tanquam sub figura nubis significatum protectorem, tũc certè, tũc et quidem meritissimè suæ ipsorũ stoliditatis ratione ab eis exacta grauissimum per ignem supplicium luent. Atq; hoc quidẽ est, quod Paulus sapientissimè ait: *Nam si volentes peccauerimus post acceptam cognitionem veritatis, non vltra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quædam expectatio iudicij, et ignis vehemẽtia, qui deuoraturus est aduersarios.* PAL. Qui itaq; vniuersam Christi dispensationem peccato irritam fecerunt, igne sunt absumẽdi. Significat autem murmuratio, vt videtur, rebellionẽ et salutem ab ipso oblatam receptaculo dedignatam, cum alioqui iam gratiã degustassent, cumq; præteritorum experientia, tãquam certo quodam de futuris argumento niti possent. CYRIL. Ita aio. Quin et alij pari pusillanimitate laborantes eãdem quærela sunt vsi: atque aduersus Deum, et Moysen murmurantes cœleste nimirum manna panem

Num. 10

Psal. 11.

Moysis oratio, typus mediationis Christi.

1. Ioan. 2

Psal. 120

Matth. 20.

Pondus diei, atq; æstus, quid significet.

Heb. 10.

panem vacuum, hoc est, pauci nutrimenti appellantes à serpentibus occisi sunt. Qui enim ingrato animo omnium Saluatorem, redemptoremq; despiciunt, et libertatis beneficium parui æstimant, atque insuper sancti spiritus donum tanquam inutile irrident, sanguinolenti draconis morsus incurrent. Qui verò absurdis huiusmodi erroribus irretiti non fuerint, effugient simul cum vitio paratum ei supplicium, fortioresq; inimicis erunt. *Super aspidem enim, et basiliscum ambulabunt: ascendent, et cõculcabunt leonem, et draconem.* Satis iam ex rebus ipsis cõstat, quàm noxia sit animi abiectio, relapsioq; in mollitiem in ijs, qui iam exercitati sunt, quibusq; minimè, aut insolens est per labores gloriam quærere: quin potius vsitatum iam, ac familiare est pro virtute desudare. PAL. Satis assequor: et reuera ita est. CYR. Confirmatum etiam nobis est, non solum rem esse odiosam Deo, et supplicio dignam murmurare aduersus Deum, et posillanimitate nostra Saluatoris benignitati quodãmodo obstrepere, tametsi nonnulli interea labores sese offerant: verumetiam nihilo detestabilius esse Deo, si quis diuinis beneficijs syncerè, cum liceret, frui desinat, contemptisq; ijs, quæ cœlitus, et per spiritum sanctum dictantur, ad momentaneas voluptates, et impura carnis desideria effreni cupiditate feratur. Insigne enim flagitium est, mala potius, quã ea, quæ bona sunt, quæq; nos saluãt, sectari velle: impijssimeq; mentis institutum est, cœlestibus prę ferre terrena, summamq; in se execrationẽ habẽtia. Quos rectè deflet propheta Esaias, ita dicens: *Væ qui dicitis malum bonũ, et bonum malũ: statuentes tenebras lucem, et lucẽ tenebras: æstimãtes amarum dulce, et dulce amarum.* Huiusmodi malis erroribus inuolutos inueniemus Israëlitas. Nam statim post pœnam eorum murmurationi inflictam, in vicinũ, atq; annexũ morbum, turpissimarũ, scilicet, rerum desideria inciderunt. Conspuentes enim quodammodo diuina dona, et bona, quæ cœlitus acceperant, impiè reijciẽtes, iudicis iram aduersus se necessariò concitarunt. Scriptũ est enim: *Et vulgus, quod in ipsis desiderauit desideriũ: et sedentes flebant filij Israël, et dixerũt. Quis nos cibabit carnibus? Recordati sumus piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis, et cucumerum, et peponum, et cæparum, et alliorum et porrorum, nunc autem anima nostra arida nihil, prætérquã oculi nostri in manna. Et audiuit Moyses plorantes ipsos per populos suos, vnusquisq; in ianua sua. Et iratus est Dominus ira valde, et coram Moyse fuit malum.* An nõ dignos censes ira, vltioneq; diuina viros sanctos, et iam dudũ exercitatos, qui in tantam mollitiem, animiq; imbecillitatẽ deuenerint, vt ad res turpissimas redire summopere desiderent, quiq; adeò impotẽter dissoluantur, vt pueriliter fleant, acres nimirum cupiditatis stimulos nõ ferentes? PAL. Rectè ais. CYR. Cũ verò Moyses hac de causa summo animi mœrore afficeretur, summaq; cõsilij inopia laboraret, atq; ad Deũ clamaret, se non amplius solum parem fore ferendo populo vsq; adeò ad errorẽ, et defectionem procliui, adiutores, quiq; in partẽ curarũ veniret, septuaginta viros ei constituit Dñs, quos et spiri-

Psal. 90.
Esai. 5.
Num. 11.
Locus Num. 11. de Israelitarũ murmuratione explicatus.

et spiritus sancti immissione illustrauit. Prophetauerunt enim in castris. Ad Moysen verò dixit: *Et populo dices: Sanctificamini in crastinum, et comedetis carnes, quia fleuistis corã Domino, dicentes: Quis nos cibabit carnibus? Quia bonum nobis est in Aegypto. Et dabit Dominus vobis carnes, et manducabitis carnes: non diem vnum comedetis, neq; duos, neque quinq; dies, neq; decem dies, neque viginti dies, vsq; ad mensem dierũ comedetis, donec exeat per nares vestras: et erit vobis ad cholerã, quia inobedientes fuistis Domino, qui in vobis: et fleuistis coram eo dicentes: Quare nobis egredi de terra Aegypti?* Offenderat enim hoc Saluatorem, quòd populus Israëliticus seruitutẽ ipsam, et labores, quos in Aegypto perpessi erant, nihili facerent prę carnium et putidorum olerum esu. Ea ratione nos ipsos etiam flagrantissimæ voluptates eò inducunt, vt seruitutem sub diabolo tolerabilem esse censeamus: et fluxibilium, terrenarumq; cupiditatum causa, peccati iugum ceruicibus nostris imponi minimè recusamus. Permisit verò ijs Dominus tunc temporis carnium esus, non in vnum, aut decem, sed in triginta dięs: quo significatur iræ in eos prorogatio. Permittit autem etiam nunc ijs, qui ad mundanas voluptates deflexerunt, frui, si velint, carnalibus etiam in multum tempus interdum. Ita enim dicitur tradere nonnullos in sensum reprobum, vt facerẽt, quæ non cõuenit. Cœterum illis fuit esus carnium ad choleram. Ita etiam eorum, qui amant carnalia, et manna spirituali (quod est verbum Dei) res terrenas, corruptioniq; obnoxias prę

Rom. 1. Tradere in reprobum sensum quo pacto intelligendum.

ferunt, actiones et conatus in mortẽ desinent. Atq; hoc, vt arbitror, est: *Seminans in carne, ex carne metet corruptionem.* Huiusmodi verò infirmitatis fortasse remediũ est: *Spiritu ambulate, et concupiscentiã carnis non facietis. Nam caro cõcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. (Hęc enim inter se repugnant.)* Quemadmodum populus Israëliticus, si mannæ commeatũ sufficientes delitias esse duxisset, concupiscentiam carnis nõ fecisset: neq; etiam interitum ex ea mẽsus fuisset. Atqui insignia sũt populi sepulchra. *Ibi enim, inquit, sepelierunt populum desideratorem: vt sint spectaculo omni carni: et populus ita mulctatus Desiderator vocatus est: iuxta illud, arbitror, quod de quibusdam dictum est: *Quorum gloria in turpitudine eorum.* Nam à peccato appellatio indita est: et æternum mollitiei opprobrium miserè mortuis irrogatum est, et nota delicti genus indicans imposita. PAL. Ita est. CYR. Fugienda itaq; in primis est vero virtutis amatori detrectatio laboris, et vilis murmuratio, ingrataq; obmussitatio: et, quod magis impium est, improbarum, turpiumq; voluptatum concupiscentia. Nam huiusmodi in vtramq; partẽ vergit, animoq; claudicat. Scriptum enim est: *Væ cordibus timidis, et manibus dissolutis, et peccatori ingredienti in duas semitas.* Oportere autem censeo eos, qui laborum tolerãtiam tanti, ac par est, faciunt, meminisse Christi dicentis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Hoc est: Si quis voluerit meus esse discipulus, per easdẽ, quas

Galat. 6.

Galat. 5.

Eccles. 2.

Luc. 9.

quas ego, afflictiones alacriter inccdat: et quodam modo eandem calcet, atq; amet viam. Hic enim vnà cum eo quieſcet, vnàq; epulabitur. Hoc verò ipſe à Deo Patre nobis petijt dicēs: *Volo, vt vbi ego ſum, illic et ipſi mecum ſint.* Alio etiā modo vnà cum Chriſto ſumus verſantes quidē in terra: cœterum nō amplius carnaliter, ſed ſpiritualiter viuentes manſionem quietemq;, vbi illi viſum fuerit, facere ſtudētes. Cuius rei figurā in Numeris ſcriptam habes: *Et die, qua erectū eſt tabernaculum, operuit nubes tabernaculū domū teſtimonij, et veſpere erat ſuper tabernaculum vt ſpecies ignis vſq; ad mane. Sic fuit ſemper: nubes cooperiebat illud die, et ſpecies ignis nocte, et quādo aſcendit nubes à tabernaculo: et poſt hæc profecti ſunt filij Iſraël. Et in loco, quo ſtetit nubes, ibi caſtrametati ſunt filij Iſraël. Per præceptū Dñi caſtrametabūtur filij Iſraël. Et quādo atracta fuerit nubes ſuper tabernaculū diebus pluribus: et cuſtodient filij Iſraël cuſtodiā Domini: et nō proficiſcentur. Et erit, quando fuerit nubes dies numero ſuper tabernaculo: et per vocem Domini caſtrametabuntur: et per præceptum Domini proficiſcētur. Et erit, quando fuerit nubes à veſpere vſque ad mane, et aſcēderit nubes mane, et proficiſcentur die, aut nocte. Et ſi aſcenderit nubes, proficiſcētur die, aut menſe diei. Multiplicāte verò ſe nube et obumbrāte ſuper illud, caſtrametabuntur filij Iſraël, et nō proficiſcētur: quia per præceptū Domini proficiſcētur. Cuſtodiam Domini cuſtodierāt per præceptū Dñi in manu Moyſi.* Erecto in ſolitudine tabernaculo, nubē illud operuiſſe dicit: deinde vnà cū ea proficiſci, vnàq; quieſcere Iſraëlitas iubet: vtq; has tabernaculi eleuationes accuratiſsimè obſeruet, imperat: dānoſam nimirū trāſgreſsionem ijs, qui negligētiores fuerint, ex his fore demōſtrans. Sed hæc quidē hiſtorico more. Nunc verò ſpiritualiter contēplemur. Simulac exortum, ſiue erectū eſt in terris verū illud tabernaculū, quod eſt eccleſia, impletū eſt gloria Chriſti. Nihil enim aliud ſignificari exiſtimo per vetus tabernaculū nube obtectū. Impleuit itaq; Chriſtus eccleſiā ſua ipſius gloria: et nobis in ſumma ignorātia atq; errore, tanquā in nocte denſiſsimaq; caligine verſantibus, inſtar ignis illuxit: ſpirituale nimirū lumen immittens. Asq; ijs quidē, qui iam illuminati ſunt, quiq; luce ſpirituali in cordibus ſuis fruuntur, vmbrā protectioneq; largitur: et ſpirituali rore eos ſaginat; hoc eſt, ſupernis, et per ſpiritū ſanctū immiſsis adhortationibus. Hoc enim ſignificat, tanquā in ſpecie ignis, viſum eſſe per noctē: in ſpecie verò nubis per diem. Coueniebāt enim eos, qui infantes adhuc, planeq; rudes erant, illuminatione, illuſtrationeq; ad Dei cognitionē deduci. Ij verò, qui vlterius progreſsi et fide illuſtrati erāt, protectione atq; auxilio indigebāt: vt præſentis vitę ardorē, et pondus diei fortiter ferre poſſent. *Omnes enī, qui piè in Chriſto vitā inſtituūt, pſecutiones patiētur.* Proficiſcēte autē nube, vnà etiā pficiſcitur tabernaculū: ſubſiſtēte verò ac quieſcēte, ſimul ſubſiſtit: ideq; quod ipſa, faciebāt Iſraëlitę. Sequitur vbiq; Chriſtū eccleſia: et ſancta fideliū multitudo à vocāte ad ſalutē minimè ſeiungitur. PAL. Quęnā autē intelligatur pfectio noſtra, et quies pręcedēte, et ducto-

Marginal notes: Ioan. 17. — Num. 9. Nubes tabernaculū obūbrās, Nume. 9. ſpiritualiter declarata — 2. Thim. 3.

et ductore Christo? CYR. Agitetur nobis hac de re sermo. Cum hoc vnà proficisci, vnaq; subsistere cum nube figuratè nobis ostendat, semper nobis Deo esse adhærēdum. Cœterum ad subtiliorem quoad possumus sensum mentem intendentes, illud rursum dicamus, quòd prima quidem decessio sit ab infidelitate ad fidem: et ex inscitia ad scientiam: atq; ab ignoratione quis sit natura et verè Deus, venire in eius cognitionem, clareq; scire ipsum esse totius vniuersi Dominum, et creatorem. Secunda verò decessio et perquam vtilis, est ex prauitate nequitiaq; ad honestè agendum et cogitandum se traducere. Tertia autem multo vtilior atq; laudabilior, ex defectu atq; inopia ad abundantiam transferri practicè simul, et dogmaticè. An non enim paulatim incrementū facimus in Christo? *Proficientes quidem in virum perfectū, peruenientes verò in mensuram ætatis plenè adultæ Christi.* Atq; hoc quidem est Pauli voce nobis decantatum: *Ea quidem, quæ à tergo sunt obliuiscens: ad ea verò, quæ à fronte sunt, enitens: iuxta præfixum signū insequor ad palmam supernæ vocationis.* Discedentes itaq; spiritualiter ex ignoratione, ad cognitionem: ex inscitia, ad scientiam: ex infidelitate, ad fidem: et semper proficiscentes virtutibus, an non ex vno in alium locum migramus, et ex hac dispositione, siue habitu in alium trāsferimur: ijsq;, qui iter faciunt, similes sumus? PAL. Probè assequor tuam sententiam. CYR. Cœterum ne à prauitate quidem decedere, neque ad virtutis exercitationem fixis tentorijs comparare se quispiam potest, nisi auxiliatore ac duce Christo: quod et ipse testatur, ita ad sanctos discipulos suos dicens: *Sine me non potestis facere quidquam.* Vnà ergo cum nube proficiscente proficisci: eaq; quiescente, quiescere: nihil aliud figuratè significat, quàm adesse Deo: cumq; illo omnia facere. Præterea per præceptum, inquit, Domini proficiscuntur. Hoc, vt arbitror, significat, ijs, qui Christū sibi sequēdum proposuerunt, oratione etiam opus esse incitante ad fortitudinem, atq; ordinem vitæ, qui sanctos decet, seruādum. *Omnia enim, inquit Paulus, honestè, et secundum ordinem fiant.* Porrò typus eiusdē rei est, quod ibidem scribitur: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas ductiles: argenteas facies illas: et erunt tibi ad vocandum congregationem, et leuandū castra. Et clanges in illis, et cōgregabitur omnis cōgregatio ad ostium tabernaculi testimonij. Si autem in vna tuba clanxerint, accedent ad te omnes principes duces Israël. Et clāgetis signum secundum, et leuabuntur castra castramentantia ad orientem. Et clangetis signum tertium, et leuabuntur castra castrametatia iuxta mare. Et clangetis signum quartū, et leuabuntur castra castrametantia ad aquilonem. Signum clangent in eleuatione eorum. Et quando cōgregaueritis congregationem, clangetis: et non signum. Et filij Aaron sacerdotis clangent tubis. Et erit vobis legitimum sempiternum in generationes vestras.* PAL. Quid ergo hanc tubarum duplicitatem, quid etiam signorum differētias significare dicemus? Aut cur eas ductiles, et ex argēto fieri iussit? CYR. Duæ quidē tubæ, duo enim

Marginalia: Ephes. 4 — Philip. 3. — Nihil bene agere possumus sine auxiliatore ac duce Christo. — Ioan. 15. — 1. Cor. 14 — Num. 10 — Tubæ ductiles duæ Num. 10 et signorum differentiæ, quid spiritualiter significent.

enim ſunt in eccleſia exhortationum preconia. Vnum ad rectitudinem dogmatum fideles deducit: et eorum, qui à recto deflexerũt, rationes falſas atq; adulterinas eſſe oſtendit. Cuiuſmodi ferè ſunt eorũ, qui nuptias prohibent, et à natura abhorrentem à cibis abſtinentiam docent, quos Deus in vſum fidelium creauit. Annumerarim verò etiam his quoſdam Iudæorum magiſtros: qui quæ diuina lege cauta ſunt, prætermittentes tãquam vana, ſuis ipſorum doctrinis, et humanis præceptis acquieſcere eos, quos inſtituunt, volunt. Atq; alij quidem circuncidi iuſtificatos per fidem deſipiẽtes docuerunt, vt in aliena carne glorientur, vt ſcriptũ eſt. Sed de ipſis dictum eſt: *Foras canes, foras malos operarios.* Alterũ verò ad morum correctionem manu ducit, et vitæ in Chriſto degendæ viam ſternit. Argẽteæ vero tubæ vtriuſq; ſermonis ſplẽdorem et puritatem: quòd ſuapte natura materia ipſa argenti pura, ac ſplẽdida ſit, ſcitè nobis declarat. In tubis autem, inquit, conuocetur populus ad tabernaculum. Prædicationibus enim eos, qui quodammodo in priuatis ſuis tabernaculis degunt, conuocamus ad eccleſiam. Vbi verò conuenerint, vt à turpitudine decedant, ad ea, quæ ſanctificatos decent, perſuademus: ac veluti traijcere ex vitio ad virtutem accuratè docemus. An non itaq; ſermo probos, verosq; vitæ in Chriſto amatores ad dogmatum ſyncerítatem, et morum emendationem deducit? PAL. Ita ſentio. CYR. Duæ itaq; tubæ populum ad tabernaculũ conuocant. *Si autem, inquit, in vna tuba clanguerint, accedent ad te omnes principes duces filiorum Iſraël.*

Philip. 3.

Ego enim ita ſtatuo: eos, qui iam habitu perfectiores ſunt, egere quidem exhortatione: cœterum nõ tanta quãta reliqua multitudo. Quocirca ad alios omnes conuocandos, vix duæ tubæ ſufficiunt: electis verò, vna. Parum enim ſapienti ſat eſt. Nam accepta occaſione, quod reliquum eſt, adijciet: iuxta illud: *Da ſapienti occaſionem, et ſapientior erit. Notum fac iuſto, et addet ſuſcipere.* Deinde quatuor fieri iubet ſignorum differẽtias, vt per eas leuarentur, et conuenirent: qui ad Orientem, et Auſtrum, quiq; ad mare, et Aquilonem caſtrametati erãt. Arbitror autem, per hoc quatuor euãgeliorũ hiſtoriã nobis ſignificari, quibus vniuerſus orbis terrarũ, ad ſciẽtiã, quę ad doctrinã, quæq; ad mores pertinet, inſtituitur. At verò aliud quid hac de re excogitare nequaquã pigeat, vtilitatis potius quàm laboris, aut ſudoris rationem habentes. Sermonis itaq;, quo inter nos vtimur, quatuor inuenimus differẽtias, per quas mundus vniuerſus ad optimum, probatiſsimumq; vitæ inſtitutum dirigitur. Vna quidem, et prima eſt, per quam ad cognitionem veritatis, et ſuſceptionem diuini luminis vocare ſolemus eos, qui creaturis cultũ creatori debitum præſtant, dicentes abſurdè ligno: *Pater meus es tu. Et lapidi: Tu genuiſti me,* iuxta vocem Prophetæ. Ijs verò, qui iam ad fidem vocati ſunt, reliquæ tres ſermonis differentiæ optimè quadrent: pręſertim cum Chriſtus ipſe, tria eſſe vitæ profeſsionumq; genera teſtetur, dicens: *Ex ſeminibus id, quod proiectum erat in terram bonam, feciſſe fructum: hoc quidem, centuplum: aliud verò, ſexaginta: aliud, triginta.* Porrò

Prou. 9.

Prædicationum quatuor genera.

Ierem. 2.

Matth. 13

Varijs vitę generibus varia prædicãdi ratio eſt accõmodãda.

Porrò suus cuiq; horum peculiaris, et conueniens adhibendus est sermo. Nam ijs, qui nondum rectè faciunt: Deo et mundo diuisi, nuptiarum secundum Legem copulam prædicamus. Eos verò, qui longè optimam vitam, nimirum exercitationi deditam sacerdotioq; conuenientē elegerunt, ijsdem planeq; similibus verbis iuuabimus. Sed illis quidem dicemus:
1. Cor. 5. *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem, Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem:* omniaq;, quæ cōiugatos decent, cogitare, et facere iubebimus. Illis verò, qui ad exercitationem laborum sese contulerunt, et
Colos. 3. tolerare norunt: *Mortificate mēbra vestra terrestria, stuprum, immunditiem, mollitiem, concupiscentiā ma-
Rom. 8. lam.* Et illud: *Non sunt condigne passiones seculi huius ad futuram gloriam, quæ reuelabitur nobis.* Ijs verò, qui ad sacerdotium vocati sunt:
Malac. 2 *Labia sacerdotis custodiunt scientiam: et legem exquirēt ex ore eius:* aliaq;, quæ sapientissimus Paulus, ad Timotheum scribens, præcipit. Sed iam vlterius, quā par est, digredior: et ab re abducor. PAL. Minimè. CY. At vide, quo pacto solis sacerdotibus tubarum vsus permittit. Tribuens nimirum, vt arbitror, orationem, quæ ad sacrarum rerum studia ducit, et virtutis desiderio permulcet, magistris populorum, quiq; ad sacerdotiū sunt sanctificati. Idcirco ad Moysen quidem dicit:* Fac tibi duas tubas.* Lege verò quodammodo consignans negotium. *Et filij, inquit, Aaron sacerdotes clangent tubis: et erit vobis legitimum sempiternū in generationes vestras.* PAL. Per signorum itaque differentias conuenientem cuiq; eorum, qui rectè agere cōsueuerunt, sermonem accipiemus; atq; ita vnà cum nube leuabimur, vnaq; quiescemus, vnà cū Christo spiritualiter ibimus, vnaq; cum eo conquiescemus. CYR. Rectè sentis. Quod ipsum nobis clarius indicāt verba prophetæ dicentis: *Et nūc Israël, quid Dñs Deus requirit abs te, nisi vt facias iudiciū, et diligas misericordiā, et paratus sis ambulare cum Deo tuo? PAL. Qui verò non manifestum sit, pulchram rem esse, maximiq; faciendam, queq; fortitudinis gloriā vehementer locupletet, ambulare cum Dño Deo suo? Quid verò sit paratū esse, velim mihi percupido declares. CYR. Quid ni? Ad ea, quæ Dei sunt, cogitanda, faciēdaq; contendere, cū nemo obstet, aut arceat, neq; in reprobā mentem contrahere nitatur: hoc, vt arbitror, est, paratū esse ad ambulandū cum Deo. PAL. Quos autē in vniuersum dicimus esse eos, qui sequi quidem Deum volunt, nō tamen id ex tota anima facere instituunt: et ad mollitiem facilè labuntur, tolerantiam detrectantes? CYR. Eos, qui lento gradu, ac vixdū procedunt, ad ea animo concipiēda, quæ Deo sunt accepta: neq; adhuc tota mēte, mordicusq; vitā, quę sanctos decet, amplectuntur: quiq; exiguam quandam existētis in ipsis studij, propensiq; animi portiūculam amori in Deū tribuūt: reliquū verò omne prodigè ad mūdanas occupationes, et infrugiferos sudores, amarulentasq; curas cōferūt: quorū typus sunt filij Rubē, et Gad. Scriptū est enī in Numeris: *Et pecorū multitudo fuit filijs Rubē et filijs Gad: multitudo magna valde. Et viderunt regionē Iazer, et regionē Galaad: et erat locus, locus iumentis. Et ac-

Tubarū vsus solis sacerdotibus permissus, quid significet.

Mich. 6.

Paratū esse ad ambulādū cum Domino quid significet.

Num. 32. Ruben, et Gad, quid spiritualiter significent.

Et accedentes filij Ruben,et filij Gad dixerunt ad Moyſen,et ad Eleazar ſacerdotem,et ad principes congregationis,dicentes: Ataroth,et Dibon,et Iazer,et Menra,et Eſebon, et Eleale, et Sabam,et Naman, et Baian terrã, quam tradidit Dominus coram filijs Iſraël,pecoribus paſcendis apta eſt:et famulis tuis iumenta ſunt. Et dixerũt:Si inuenimus gratiam coram te, detur hæc ſeruis tuis in poſſeſsione, et ne tranſire facias nos Iordanem. Et dixit Moyſes filijs Gad, et filijs Ruben:Fratres veſtri ibunt in bellum,et vos ſedebitis hic. Et cur peruertitis mentes filiorum Iſraël, ne tranſeant in terram,quã Dominus dedit eis?* Deinde exprobãs ipſis patrum incredulitatem,quæq; ipſis inde euenerãt (mortui enim ſunt in deſerto,inquit, ne viſa quidem tantum terra promiſſionis)obijcit rurſus,dicens:*Ecce inſurrexiſtis pro patribus veſtris,alumni hominum peccatorum, vt adderetis adhuc ad furorem iræ Domini cõtra Iſraël:quia auertimini ab eo,vt addatis adhuc derelinquere eum in deſerto,et impiè facietis in totam congregationem hanc.Et acceſſerunt ad eum,et dixerunt:Caulas ouium ædificabimus hic iumentis noſtris,et ciuitates ſupellectilibus noſtris,et nos armati procedemus in antecuſtodia priores filiorum Iſraël,donec adducamus eos in ſuum locum.Et habitabit ſupellex noſtra in ciuitatibus munitis propter habitantes terram. Non reuertemur in domos noſtras,quoad diuidantur filij Iſraël, vnuſquiſq; in hæreditatem ſuam, et non amplius poſsidebimus inter eos ab trans Iordanem,et vlterius:quia habemus poſſeſsiones noſtras in eo,qui trans Iordanem in Oriẽte.* Vides,quo pacto pecoris paſcendi:et caulium extruendi cauſa:quin etiam præ vxorum, et liberorum dilectione,Iordanem omnino non tranſmiſerint: ſed ne bellũ quidem ac pugnam tentare: neq; in partem gloriæ cum alijs venire voluerint,ſummamq; ſpei ac votorum ſuorum in manendo collocauerint,ne pede quidem Iordani fluentis admoto? Cum autẽ Moyſes illis id ſummo vitio verteret, et diuinæ iræ metu eos ab inſtituto deterreret:vix tandẽ pollicentur, ſe vnà cum alijs Iordanem tranſituros,et laborum bellicorũ partem ſubituros. Enimvero eò quòd à ſorte abſtineant,ſimul ſe cum alijs diuiſuros dicũt in trans Iordanem. Huiuſmodi ſunt quidam præſentis vitæ curis intricati, et toto corde deſiderijs rerum terrenarum affixi: nullam aut exiguam eorum, quæ neceſſaria ſunt,curã gerẽtes:neq; de ijs,quæ Dei ſunt,ſoliciti.*Multi enim vocati,pauci verò electi.* Qui igitur acceſſi ſunt Matth. 20.
inter vocatos per fidem,nondum verò electis annumerati,eò quòd remiſſiores ſint ad mollitiem,tardi nonnũquam,admodumq; ſegnes ſunt circa ipſam etiam ſancti baptiſmatis gratiam: exhorrentq; ad labores,qui ſanctos decent,pro gloria Dei,ſuoq; ipſorum commodo tolerandos:vnaq; cũ verè pijs perſecutiones pati, tametſi eos occaſio ad id ducat, detrectant. Increpante verò eos diuina lege, ac Dei ira eos nonnunquam terrẽte, accedunt quidem ſegniter ad ſalutare baptiſma,et participes laborum cum vocatis fiunt,aut vnà ieiunantes,aut in afflictarum eccleſiarum ſocietate nonnunquam verſantes:cœterũ nondum res mundanas deſpicere firmi-

K 2 ter

ter sibi proposuerunt: sed ad propriã quodammodo, eisq; designatam sortem redeunt: nimirum ad se terrenis rebus oblectandũ. Idcirco dixit Christus veris recti amatoribus, pietatisq; cultoribus: *Cauete, ne quando grauẽtur corda vestra curis huius vitæ.* An non damnosam rem hanc esse cẽses? PAL. Censeo certè. CYR. At si mentis aciem nonnihil ad ea, quę scripta sunt, intendas: miraberis similitudinis elegantiam. PAL. Quo pacto? CYR. Ij, qui pecoris pascendi, vxorũ atq; liberorum, et caulas, ac domos extruendi causa in præclarissimis rebus segnitia præpediti fuerunt, sunt Ruben et Gad. PAL. Atqui quid hoc sibi vult? CYR. Ille quidem erat primogenitus: hic autem ex ancilla natus Zelpha. PAL. ita est. CYR. Primogeniti quidem igitur per fidẽ sunt vocati, et sortem eximiam à Deo nacti, quantum attinet ad gratiam: at non studiosi libertatis ob declinationem ad deteriora. Ecclesiam autem primogenitorum descriptorum in cęlis vocati dicimus. Atqui nõ amicus libertatis primogenitus, quin potius participem, ac socium se præbuis is, qui seruitutis dedecus non effugerũt. PAL. Rectè ais. CYR. Cœterũ cum iam ad oram mea festinet oratio, et rudentes quodãmodo parem eijcere, superest hoc solùm dicere atq; repetere: nimirum in omnibus, quæ expediũt, viriliter nos agere oportere, atq; ita nos comparare, vt labores virtutis exercitationem esse censeamus: neq; aliter sentire, quàm Deum esse seruatorem: quiq; nobis, vt aduersarios superare possimus, largitur: etiã si lõgè maioribus, quàm nostræ sunt, viribus in nos ferantur. Quòd verò non infrugiferi sint labores, quos pro virtute desudamus, Moyses in Deuteronomio docet, dicens: *Et recordaberis omnis viæ, per quam duxit te Dominus Deus tuus in deserto, vt affligeret te, et tentaret tè: et nota fierent, quæ in cordè tuo, si custodires mandata eius, vel non. Imbelli autem timore laborare nos non permittit, in propugnantis manum oculos conuertentes. Ita verò iterum scribit: *Si autem dixeris in corde tuo: quia maior est populus iste, quàm ego: quò modo potero perdere illos? Non timebis eos. Recordatione enim recordaberis omnia, quę fecit Dominus Deus tuus Pharaoni, et omnibus Aegyptijs. Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui. Signa, et portenta illa magna: manum fortem, et brachium excelsum. Vt eduxit te Dñs Deus tuus: ita faciet Dominus Deus noster omnibus gentibus, quas tu times à facie ipsorum.*

[Margin: Luc. 21.]

[Margin: Labores sunt exercitatio virtutis.]

[Margin: Deute. 8.]

Explicit liber quintus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPIſcopi Alexandrini de Adoratione in ſpiritu, et veritate.

Liber ſextus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

Quòd ſolum Deum ſecundum naturam exiſtentē colere nos, ipſumq; ex tota anima, et corde amare oporteat.

CYRILLVS.

DE fortitudine, quæ eſt in Chriſto, deq; ſpirituali robore, copioſus ſatis vt videtur, Palladi, nobis ſermo eſt habitus. Qua verò ratione in nobis ea ſit futura, denuo inueſtigandū eſt, vt ego quidem ſentio. PAL. Rectè ais. CYR. Age igitur, mentis acie in gyrum circumacta, accuratā actionum noſtrarum contemplationem ineuntes, perſcrutemur diligēter, qua tandem via graſſantes illuſtres ſimus futuri: et approbationem, tanquā coronam quandam ob res laudabiliter geſtas, reportaturi. An non tibi bene ſentire videor, qui hæc ad rectæ rationis iudicium reuocem? PAL. Omnino certè. Atqui ego ipſe facilè iudicarim prouocatione ad fortitudinem prius incitari oportere ad ea expetenda, per quæ quis illuſtris euadat, rectaq; ad inculpatam vitam via contēdat. CYR. Dicamus igitur, quemadmodum totius domus ſuſtentaculū eſt fundamentum: nauis verò principium, carina: ita eius, qui rectè vitam inſtituere ſibi propoſuit, fundamentum ac prima baſis eſt, cognitio veritatis, et ſyncerus de fide in Deum verum, et natura vnum, ſermo. *Niſi enim credideritis, neq; intelligetis,* inquit ſacra ſcriptura. Cum verò nihil adhuc eorū, quæ neceſſaria ſunt, intelligimus, vacare ab opere oportet, vtpote qui rectè agere non ſciamus. An non igitur neceſſarium nobis ad gloriam adipiſcendam eſſe cenſes, in omni re agenda conſiderare, an curam geſſerimus exequendi rectè ea, quæ amare eſt neceſſe? PAL. Cenſeo. CYR. Cognitionis itaq; mater eſt fides. Cognitio verò, rerum faciendarum index. Cum igitur Deus Iſraelitis tanquam pædagogum quēdam, ſapientemq; moderatorem præfecit, Legem nimirum per Moyſen editam, fundamentum veluti quod-

Cognitio veritatis, et fides in Deum eſt fūdamentū rectæ vitæ.
Eſai. 7.

dam, et firmum principium, de vno, ac vero Deo cognitionem primùm substrauit: vtpote qui sciebat eos irreprehensibili, puræq; vitæ consequendæ impares fore: neq; seipsos Legi, ad optima ducenti, accommodaturos, neq; præceptis obtemperaturos, nisi fide in Deum, mente concepta, quasi tanquam vallo muniti, voluptatibus ad pigritiam incitantibus, fortiter obsisterent. Conueniebat enim inueteratum illum animi morbum prius deponi, nimirum de Deorum pluralitate errorem, et fide in vnum natura, ac verè Deum erigi, atq; firmari. Id-

Exod. 20 circo prima illis preilluxit Lex. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nõ erũt tibi Dij alieni pręter me. Non facies tibi idolum, neque vllius simulachrum, quæcunq; in cœlo sursum, et quæcunq; in terra deorsum, et quæcunq; in aquis sub terra. Non adorabis eos, neque seruies eis. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, reddens peccata patrum in filios in tertiam, et quartam generationem ijs, qui oderunt me: et faciens misericordiam in milliaria ijs, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.* Oportebat enim metu terreri eos, qui refractarij ad præceptum futuri erant. Idcirco Deum zelotem se ipsum appellat, et vindicantem peccata patrum in posteris, si perinde vt illi, vitam instituant, et auitos errores sectentur. Neq; enim dicimus, quòd qui nihil omnino deliquerint, peccata parentum luent: cum Deus ipse luculenter inclamet: *Non morientur patres pro filijs, neque filij pro patribus.* Vnusquisque autem suo ipsius peccato morietur: sed si patrum mores posteri sequantur, et auitæ impietatis imitatores fuerint, etiam in ipsos ira extenditur. Ac tametsi nonnunquam Deus ex innata ipsi benignitate primos punire desinat, ad extremum in secundos, atq; etiam tertios conuenienti, debitaq; impuro generi ira inuehitur. Cogit itaq; ad firmiter ipsi innitendum, vocans seipsum Deum zelotem. Confirmat autẽ eos etiam alio modo ad fidem, promittens se facere misericordiã in millia ijs, qui amant ipsum. Adiungit verò his vicinum, et cognatum præceptum. Non enim assumes, inquit, nomen Domini Dei tui in vanum. Neque enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen suũ in vanum. Quod quidam fecerunt, lignis, et saxis Dei appellationem tribuẽtes: et nomen, quod est super omne nomen, ad opera humano artificio fabrefacta transferentes. De quibus Deus alibi per vocem Esaiæ dixit: *Eligens faber lignum, statuit illud in mensuram, et circumformauit illud: et direxit, quasi ad imaginem viri, et quasi ad pulchritudinem hominis, vt statueret illud in domũ suam. Succidit lignum ex sylua, quod plantauit Dominus, et pluuia nutriuit, vt sit hominibus in combustionem, et sumens ab eo calefactus est: et succedentes, coxerunt panes super eo: at ex reliquo fecerunt Deos, et adorant eos.* Et paulo post: * Scito, quia cinis cor eorum, et errant. Hi assumunt nomen Domini in vanũ.* Ego verò necessarium esse iudico, vt qui iam diaboli laqueos euaserunt, et Deum verum norunt, minimè in absurdas illas cogitationes delabantur, neque quæ hac in re est, turpitudinem

Deus zelotes quanã ratione sit.

Ezech. 18

Nomen Dei, quo pacto assumatur in vanũ.

Esai. 44.

dinem nugaciter colant, neve adducantur ad cognoscendum alios Deos, siue ad cogitãdum vllos, omnino existere, præter vnum, ac verum Deum. Tametsi enim nonnulli dicũtur Dij, et Domini in cœlo, et in terra, at nobis vnus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipsum: et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum: vnus etiam Spiritus sanctus, in quo omnia, et nos in ipso. Nequaquã enim Iudaico more Deitatis naturam contrahimus in solum vnum Deum, et Patrem. Quin potius dilatantes quodammodo in sanctam, et consubstantialem Trinitatem, et personarum qualitate, et hypostasis proprietate distinguentes, in vnum rursus cõtrahimus Deum, propter substantiæ identitatem: eumq; colimus, atq; adoramus vocantes Patrem, et Filium, et Spiritum sanctũ. *Non enim erunt, inquit, Dij alij pręter me.* Et rursum.* Dominum Deũ tuum adorabis, et ei soli seruies.* Cum verò vnus quidem sit Deus Pater, vnus verò Dominus Filius, vnus verò Spiritus sanctus procedẽs: neq; vnum Deum verè Dominum, neque etiã verè, ac natura Dominũ, Deum esse negabimus. Comitabitur enim omnino Deitatem secundum naturam, Dominatio: Dominationem autem secundum veritatem, Deitatis gloria. PAL. Rectissimè, sapientissimeq; differis. CYR. Vnum itaque Deum Palladi cognoscemus, et præ ipso omnia nihili faciemus: impiam atq; profanam animi duplicitatem, tanquam superbiæ arrogantiæq; plenam, procul à nobis amouentes: ne nobis etiam diuinus sermo inclamet: *Vsq; quò vos claudicabitis in ambobus poplitibus? Aut Baal, Baal: aut Deo, Deo.* Vniformes enim nos, nõ varios fluctuantesq;, et in ea, quæ nõ decent, facillimè procidentes conspici oportet. Claudicare autem in vtrãque partem, atq; agitari, extremè impiorum hominum esse censeo. Quocircà vetus etiam Lex vacillantes, et non firmos morte mulctat. Inquit enim: *Sacrificãs Dijs, disperdetur.* Quæ enim ad diuinam gloriam pertinent, ipsiq; soli conueniunt, eleuare velle, et cui libitum fuerit adscribere, ac Dijs natura non existentibus tribuere, vitiorum turpissimum est, atque adeò extremæ impietatis argumentum. Liberum itaq; ab huiusmodi rebus esse oportet, qui verè pius, Deoq; charus esse velit: neq; cor solum purum, expurgatumq; habere, sed ne lingua quidem exprimere idoli nomen. Scriptum est enim: *Et nomen Deorum aliorum non memorabitis: neq; proferetur ex ore vestro.* Nam quæ scire turpe est, ea etiã proferre, siue loqui noxiũ est. Qui verò synceram fidẽ colere statuerunt, Pauli meminisse oportet, ita dicentis: *Fieri enim non potest, vt qui semel fuerint illuminati, gustauerintq; bonum Dei verbũ, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, rursum renouẽtur per pęnitentiã.* Qui enim semel cęlestis, diuinæq; gratiæ participes facti sunt, nimirum per sanctum baptismum, quiq; de resurrectione, et de regno Christi, verũ, ac viuificantem sermonem susceperunt, si rursus ad ea, quæ initio erant, redire velint, atq; in primum morbum recidere, nõ renouabuntur ad expiationem per secundum baptismum.* Neq; enim eorum infidelitas fidem Dei irritam faciet,* vt

Vnus Deus Pater, vnus Dominus Iesus Christus, vnus Spiritus sanctus procedens.

Iudæorũ circa Trinitatem error.

Luc. 4.

Deus etiã Dñs est, et Dñs Deus.

3. Reg. 18

Claudicatio in vtrãq; partem summæ impietatis argumentum.

Exod. 22.

Idoli nomẽ, ne lingua quidẽ exprimendum est

Exod. 23.

Quæ scire turpe, loqui etiã turpe est.

Hebr. 6.

Pęna eorũ qui fidẽ semel acceptã amiserint.

Rom. 3.

vt idem Paulus ait. Neq; si quidam contempserunt contraeuntes gratiæ Dei, infirmitati adscribemus: quin potius Deus omnium iudex grauissimas de ijs pœnas sumet, qui in tãtam impietatem delabi veriti non sint, *vt filium Dei proculcarint, et sanguinem testamenti communem existimarint, et spiritum gratię, in quo sanctificati, et diuinæ naturæ participes sunt effecti, contumelia affecerint.* Quemadmodum enim militem, qui abiecto clypeo aciem deseruerit, nequaquam secunda tessera dignamur, sed puniri, timiditatisq; suæ pœnas exoluere est necesse, eâdem planè ratione, qui tanta admiratione, venerationeq; dignam gratiam contumelia affecerunt, secũda Spiritus sancti largitione sunt indigni, cum primam despexerint, supplicium verò de ijs sumi par est. Quòd enim eos, qui semel illuminati sunt, ita cõstitutos animo, firmatosq; esse oporteat, vt vnum natura Deum agnoscãt, eosq; qui aliud quid præter hoc introducere conantur, execrentur: quodq; pulcherrimo studio, ac conatu ad idolorum, fanorumq; dirutionem ferri debeant, et Grecorum vanos simulachorum cultus nihili facere, vetera etiam scripta nos docent. Nam in Numeris ita habetur: *Et locutus est Dominus ad Moysen in occidente Moab apud Iordanem cõtra Hierico, dicens: Loquere filijs Israël, et dices ad illos: Vos transite Iordanem in terra Chanaan, et perdetis omnes habitantes in terra ante faciem vestram: et auferetis speculas eorum, et omnia idola conflata eorum perdetis ea: et omnes statuas eorum auferetis.* Vides, quo pacto Iordanem trangressis iniungatur, vt altaria: ac delubra diruant idolaq; ipsa, et statuas statim submoueant? Nimirum si huiusmodi malis pepercissent, clarissimo argumento futurum erat, eos nondum bene firmatos esse, neq; innoxium Deo cor consecrasse: cum alioqui Dominus de impijs ac malis ita dicat: *Non adorabis Deos eorũ, neq; seruies eis: neq; facies iuxta opera eorum, sed destructione destrues eos: et cõterens cõteres statuas eorum, et seruies Domino Deo tuo, et benedicam panem tuum, et vinũ tuum, et aquam tuam, et auertam infirmitatem à vobis. Non erit in vobis sterilis, neq; infœcunda. Numerum dierum tuorũ implebo.* Neq; enim dubium est, quin qui firmiter ac tota mẽte Deo adhærent, atq; hoc re ipsa manifestè demonstrant, aras et statuas, aliaq; hominum perditorum ludibria subuertendo, diuinam erga se beneficentiam prouocent. PAL. Ita est. CYR. Atqui si sustuleris eorum simulachra manufacta, et seruieris Deo mores eorũ exosus, benedicam vinum tuum, et aquam tuam. Mysticus, ac profundus est sermo. Ijs enim, qui Deo syncerè adhærent, Christi mysteriorum participatio, et gratia per sacrum baptismum collata, in spiritualem benedictionem cedent. Ijs verò, qui adhuc fluctuant, atq; ad defectionem vergunt, in iram et iudicium. Nihilo enim minus extremis malis erit, spiritualis benedictionis exortem esse? Atq; hoc, vt arbitror, est, quod Paulus ait, *quòd qui manducat, et biuit corpus et sanguinem Christi indignè, iudiciũ sibi ipsi manducat et bibit, non dijudicans corpus. Probet autem seipsum homo, et tũc de pane edat, et de poculo bibat.* Erit

Hebr. 10

Num. 34

Locus Num. 34 declaratus mysticè.

Exod. 23

Deus idolorũ subuersoribus, vini et aquæ benedictionẽ promittens, quid mystiCe significet.

1. Cor. 11.

Erit itaq; ad benedictionem, inquit, sacrorum mysteriorum participatio ijs, qui veri Dei cultores fuerint. Liberabuntur etiam ab infirmitate, hoc est, à procliuitate ad vitia et mollitiē. Sed neq; sterilis, inquit, neq; infœcūda erit in vobis. Fœcundissima enim est omnis pia ac sancta anima, sanctosq; de se fructus vbertim profert, virtutum nimirum gloriam. PAL. Ita habet. CYR. At verò corde facilè mutabili præditos esse nos minimè sinens, artificiosè ad fidei firmitatem, pietatisq; robur amplectendum incitat. Modo enim conuenientibus rationibus instruens, vt ad meliora contendamus, iubet: magis verò, vt idolorum sacrificia, vel adorationem, tā quam mortis conciliatricem, deuitemus: extrema ignominia, imo potius summa impietate plenum esse huiusmodi morbū demonstrans. Nonnunquam verò metum, supplicij inquā, veluti pædagogum quendam, optimumq; custodem proponens: vndecunq; nos ad id, quod ipsi placet, impellit. Atque ita in Deuteronomio

Deut. 12. Moyses inquit: *Hæc sunt præcepta atq; iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrū vestrorum daturus est vobis, vt possideatis eam cunctis diebus, quibus viuetis super terram. Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos et colles: et subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, et cōfringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite, disperdite nomina earū de locis illis.* Græcorum quidem sapientes, præcipuè verò poetæ Oreadas quasdam, et Hamadriadas nymphas vocant, siue dæmones. Sunt etiam, qui editioribus locis Deos suos colere volentes, erectis in summitate montium altaribus, boum sacrificijs indulgebant: et ad proceriores arbores dæmonum simulachra erigētes, ouium mactationibus vtebantur. Cœterum necesse erat, vt veri, et natura existentis Dei cultores obiecto omni metu vana hæc idololatrarum ludicra subuerterent, et ab eorū moribus quàm longissimè decederent. Idcirco rursum inquit: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atq; habitaueris in terra earum: caue ne imiteris eas, postquam fuerint, te introeunte, subuersæ: et non requires Deos eorum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios, et filias, et comburentes igne.* Rectè legislator prohibet in vniuersum errātium imitationem, et à crudeli filiorum mactatione abstinere iubet. Pestem verò, et perniciem humani generis, sanguinarios, atque ementitos Deos arguit, immaniter amoris erga liberos leges à natura nobis insitas violantes, ad suam ipsorum libidinem. Creauit enim Deus vniuersa, vt essent, et salutares sunt generationes mundi: neque est inferni regnum super terrā. *Inuidia autem diaboli mors in mundum ingressa est.* At diuina quidem voluntas subuertit mortem, et dissoluit interitum, et non existendi nomen ipsum odit. Creauit enim omnia, vt essent: quemadmodum scriptum est.

Ibidem.

Filiorum immolatio execranda.

Deus omnia creauit vt essent.

Sap. 2.

est. Hi verò dęmonum impostura ad errorem pellecti, tanquam suauissimum cibum et optimum, odoratissimumq; sacrificium, eorum, quibus vita tributa est, interitum: et eorum, quæ creata sunt, vt essent, mortem Satanæ offerunt. Eleganter itaq; eorum cultum extrema calumnia, reprehensioneq; plenum esse demonstrat: et naturam iniuria ab ijs affici, optabilissimiq; liberorum amoris iura violari, ac proculcari: compescens egregiè auditorum bene constitutos, maliq; osores animos ad ea colenda, et mordicus tenenda, quæ ipse voluerit, ac dixerit. Atq; hæc quidem olim promulgata fuerunt ad eos ab impietate reuocandos. Mortem verò indicit illi, qui eum, qui iam confirmatus sit, quiq; veritatis cognitionem piè susceperit, ab instituto dimouere contenderit. Ita enim rursus ait: *Si verò surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, et prædixerit signum atq; portentũ, et euenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris somniũ: quia tẽtat vos Dominus Deus vester, vt sciat, vtrum diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem eius: ipsi seruietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro.* Quam sancta, Deoq; digna lex. Si enim corporis interfectores vbique, et in vniuersum morte legibus sancita plectũtur, quo pacto non meritò capitale de ijs supplicium sumatur, qui exitialem animæ errorem inducunt: eamq; corpore longè præstantiorem, iuxta Saluatoris vocem, in foueam interitus immittunt? Oportere igitur sanguinolenta pęna affici impostores, falsosq; prophetas, Deus sanxit. Aequalem verò pœnam irrogat etiam ijs, qui leuiter, atq; inconsultè mentem suam illis accomodarunt. Cum enim, inquit, facilè effugere liceret, ad veritatem sese recolligendo, cur voluntario motu ad impietatem sese contulerũt. *Si reperti fuerint in aliqua vrbium vestrarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in cõspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, vt vadant, et seruiãt Dijs alienis, et adorent eos, solem, et lunam, et omnem ornatum cœli, quæ non præcepi tibi, et hoc tibi fuerit nuntiatum, et inquisieris diligenter, et verum esse repereris verbum, et abominatio facta est in Israël, educes virũ ac mulierem, qui rem malam perpetrarunt, et lapidibus obruetis eos. In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo morietur vno contra se dicẽte testimonium. Et manus, inquit, testium primo interficiẽt eum: et manus reliqui populi extrema mittetur, vt auferatis malũ de medio vestri.* Violato enim proprio Dei cultu, misericordia nequaquam tuta est. Quin etiam damnosum vehementer est, indecenter molli quadam mutui amoris vicissitudine effœminari. Atque hoc arbitror esse, quod Christus inquit: *Qui amat patrem aut matrẽ plus quam me, non est me dignus.* Valeat enim tunc mutui amoris lex, natu-

Pseudo prophetarũ pœna.

Deut. 13.

Prophetæ falsi morte plectẽdi.

Cũ Dei cultus violatur nõ est misericordia.

Nimius amor mutuus periculo nõ caret.

Matth. 10.

naturalisq; dilectionis vis exolescat, et quidquid omnino ad humanitatis officium pertinet: atque, vt ita dicamus, pia quadam asperitate Deo seruiamus. An non enim ęquum esse censes, vt qui inexcusabili defectione desciuerint, absque vlla misericordia puniantur, quippe qui supremam omnium gloriam ignominia, cōtumeliaq; afficere veriti non sint, quem alioqui constantiæ studio delectare satius erat? PAL. Aequum certè. CYR. Atqui audi ipsum veteribus ita dicentem: *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, et ambulauerunt post vanitatem, et vani facti sunt?* Obstupefactus verò quodam modo ob ingentem Israëlitarum insipientiam, ibidem ita ait: *Obstupuit cœlum super hoc, et inhorruit terra extra modum, inquit, Dominus: quia duo et mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuētis, et foderunt sibi lacus cōtritos, qui non poterant aquam cōtinere.* Ego enim illos, et quidem meritò, mente alienatos esse iudicem, qui à vero Dei cultu discedētes, creaturæ potius quā creatori, ac factori seruiunt: imo turpiori adhuc errore præpediti, opera manuum suarum adorant: qui tamē facilè, modò rectè sentire velint, supremæ, ineffabilisq; naturæ pulchritudinem, atq; pręstantiā ex ipsa mundi creatione cognoscere possent: et ex fabricæ concinnitate ad præfecti operis, ac ducis, creatorisq; notitiam peruenire. Quam quidem adeò venerandam, admirandamq; notitiam quidā veterum turpiter respuentes aurea æneis commutarunt, iuxta Græcorum poëtarum prouerbium. Prætermissa enim adoratione veri secūdum naturam Dei, pueriliter ad vanos inutilesq; idolorum cultus sese contulerunt: ignominiam, ac risum suis ipsorum capitibus accumulantes, et diuini auxilij defectum data opera sibi ipsis accersentes. Porrò Dominus ita inquit. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur: ita confusi sunt filij Israël: ipsi, et reges eorum, principes, sacerdotes, et prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu. Et lapidi: Tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, et non faciem: et in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, et libera nos. Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? Surgant, et liberent te in tempore afflictionis tuæ: Secundum numerū quippe ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda: et secundum numerum viarum Ierusalem, sacrificauerunt Baal. Cur loquimini ad me? Omnes vos dereliquistis me, inquit Dominus.* PAL. Grauis profectò res. CYR. Est verò quis nonnunquam inter initiatos, nondum quidem admodum confirmatus, sed fictitia quadam, ac spuria erga Christum dilectione præditus, et veluti ouilla pelle sese amiciens, pietatem nimirum simulans, immitis verò, atque atrox fera, versutaq;, et mutabilis, eò quod domi, ac noctu, clanculum inquam, demonum cultui indulget, et Deum ipsum latere se, et ineffabilis naturæ mētem fallere posse existimat. Demonstret verò quis, et quidem minimo negotio, eos, qui ita affecti sunt, extrema Græcorum stoliditate imbutos esse. Nam qui apud eos sapientes extiterunt, solem, cum alioqui creatus, factusq; sit, omnia cernentem, omniaq; audientem vocita-

Hier. 2.

Mūdi fabrica ipsa ad cognitionē creatoris deducit.

Hier. 2.

Sol omnia vidēs et audiēs a Græcis dictus.

vocitarunt: luminare magnum, et ad hoc à Deo factum. Putabant enim oportere id, quod Dei ordinatione traditum est, diuinæ naturæ dignitate illustrare. Dignitas autem supremæ naturæ est, cuncta nosse, et videre. Sed illi quidem ita senserint. Nobis verò Deus ita olim inclamauit:

Hier. 23.

Deus appropinquans ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longè. An absconditum mihi erit quicquam? Quod et beatus Dauid testatur, inquiens:

Psal. 93.

Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? Et qui finxit oculum non considerat? Quidam enim ex insipientia sua dixerũt: Non videt Dominus, neq; intelliget Deus Iacob.* An non vehementer absurdum est dicere, omnis scientiæ autorem, eius esse expertem? cogitareq;, eum non exaudire, qui ab se factis auditum largitus est? PAL. Absurdum certè. CYR. Adorandus itaque est solus, et quidem perfectè Dominus Deus, iuxta scripturas: præter ipsum verò nemo. Scriptũ est enim, quòd perfectus eris coram Domino Deo tuo. Perfectio verò spiritualis est id, quod stabilitũ est in fide, et inculpatum ad cultum, irreprehensibilisq; pulchritudo dilectionis erga Deum.

Perfectio spiritualis quæ nã sit.

PAL. Ita censeo. CYR. Atqui Palladi, eos, qui quidem minimè Deos alienos, aut creaturas magis quàm creatorem colunt: ceterum nescio quo pacto idololatrarum falsis oraculis fidẽ adhibent, an eos reprehensione, accusationeq; liberabimus, aut à defectionis culpa vacuos, tanquam verè synceros tutò constituemus? PAL. Minimè.

Idololatriæ species multæ.

CYR. Vaticinationes enim ex astris, et sortilegia, ac diuinationes, dæmonicæq; præstigiæ solos eos decent, qui absurda quadã vesania ignominiosæ, execrabiliq; idololatriç sese totos addixerunt.

Diuinationũ varia genera idololatriã sapiunt.

PAL. Rectè ais. Quãdoquidem diuinus etiam sermo iubet, vt hanc turpitudinem detestemur. Ita verò habet.

Deut. 18.

* Quãdo ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: caue, ne imitari volueris abominationes illarum gentiũ: neq; inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et obseruet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones cõsulat, nec diuinos, et quærat à mortuis veritatẽ. Omnia enim hæc abominatio sunt Domino Deo tuo, omnis faciens ea. Et paulo post rursus inquit: Perfectus eris, et absq; macula coram Domino Deo tuo. Gẽtes istæ, quarum possidebis terram, augures, et diuinos audiunt. Tu autẽ non ita. Dedit Dominus Deus tuus prophetã ex fratribus tuis sicut me: Suscitabit Dominus Deus tuus in Horeb die cõgregationis.* CYR. Euge amice. Nequaquam enim prodigiorum interpretes, aut ex mortuis vaticinia petentes sequemur. Sed neque auium volatus, tanquam veri aliquid in se continentes contemplabimur, siue ad dextram, siue ad sinistram ferantur: aut an ad occasum, an ad ortum vergant.

Auguratio idololatriç species.

Extremæ enim dementiæ hoc est. Ducem verò, et præfectũ totius facientes Christum, propter nos iuxta nos factum, et prophetam, ab ipso accipiemus necessariorum cognitionem. Ipsi adhærebimus, dęmonum imposturis longum vale dicentes. Quemadmodum enim naturaliter, ac propriè soli Deo tribuendum

est

eſt viuificare poſſe, totiq; vniuerſo præeſſe, eâdem planè ratione, arbitror, et omnium ſcientia præditum eſſe. Propriũ verò ipſius naturæ eſt, noſtra omnia explorata habere: collectamq; quodãmodo in ſe vniuerſorum notitiam cõtinere. Nõne tibi ſapienter, ac verè hoc dictũ videtur? PAL. Omnino. CYR. Grauiter itaque in ipſum delinquamus, et supremæ illius maieſtatis læſæ accuſabimur, ſi profanis, atq; immũdis ſpiritibus ea ineſſe crediderimus, per quę ipſe præcipuè illuſtris exiſtit. Neceſſe enim eſt, eos, qui ita affecti ſunt, nugaciter etiã cogitare, viuificandi poteſtate præditũ, atq; adeò creatorem eſſe Satanã, ſi quæ præcipuè, ac propriè ad Dei naturã pertinẽt, ipſi tribuamus, eiq; conuenire dicamus. Propriũ verò, ac præcipuũ ſupremę naturæ bonũ eſt, futurorũ cognitio. Eſt ne ita, vt dico? PAL. Eſt certè. Inquit enim per vocẽ Eſaiæ ad quoſdã, qui creaturis ea, quæ Deo propria ſunt, adſcribebant: *Recordamini hæc, et ingemiſcite: pœnitẽtiam agite, qui erratis: conuertimini corde, et recordamini priora à ſeculo, quia ego ſum Deus, et nõ eſt alius præter me, annuntians futura priuſquã eueniant, et ſimulac facta ſunt. Et dixi: Omne conſiliũ meũ ſtabit: et omnia quæcunq; voluero faciam.* In ſignũ verò, quòd non ſit alius Deus præter ipſum, auditoribus proponit poteſtatem annuntiãdi futura antequã eueniant. CYR. Euge ô Palladi. Velim autẽ, vt veritatem articulatius inueſtigãtes, hoc etiã cõſideremus. Quonam pacto licebit, ſi in vniuerſum acceſſimus ijs, qui rectè, atq; euangelicè vitam inſtituũt, falſorum vaticiniorum impoſturas ſequi, ijsq; tãquam vera prædicãtibus adhærere? Anne in Saluatoris verbis mendaciũ cadere poſſe cẽſebimus? Is enim alibi ad Iudæos ſuperbia, procacitateq; turgidos, ita inquit: *Vos ex patre veſtro diabolo eſtis: et deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida fuit ab initio, et in veritate nõ ſtetit, quia nõ eſt veritas in ipſo. Quando loquitur mendacium, ex ſeipſo loquitur. Mẽdax enim eſt ipſe, et pater eius.* Quo pacto igitur verax eſſe poteſt, qui mẽdax eſt? Quomodo verò non mẽdax in vniuerſum ſit, qui in veritate non ſtetit? Manifeſtũ itaq; eſt, ô Palladi, quòd ſi dæmonum ſermonibus veritatẽ adſcribimus, Chriſtum mẽdacij inſimulamus: et veritatem, diſſentanea veritati prædicare dicimus. PAL. Periculoſa res. CYR. Quin etiã ijs, quę dicta ſunt, adijciã, doctos nos eſſe à Chriſto, vt immundorum ſpirituum verbis aures minimè accõmodemus, etiã ſi aliquando ipſiſſimam veritatẽ prædicẽt. PAL. Quo pacto? CYR. An non ſanctos euangeliſtas ſcribentes audis, quòd dæmonia, ingẽti clamore edito, Chriſtũ cõpellarint dicentia: *Sine. Quid nobis et tibi Ieſu Nazarene? Veniſti ante tempus perdere nos? Nouimus te, quis ſis, ſanctus Dei. Chriſtus verò increpans, inquit, nõ permiſit eis loqui, quòd ſcirent ipſum eſſe Chriſtum.* Atqui miretur fortè quis, et nõ immeritò, cur Chriſtus vera proclamãtes obiurgarit. Sed huius facti ratio ad noſtram vtilitatem pertinebat. Per hoc enim docemur, illorum verbis minimè auſcultandũ eſſe, etiã ſi ipſam veritatem profiteantur. Admiſcentes enim nonnunquam veris men-

Scientia omniũ, Dei propria eſt. vt et viuificatio.

Futurorũ cognitio ſolius Dei propria eſt.

Eſai. 46.

Ioan. 8.

Diabolus mendax.

Demones etiã vera prædicantes, audiẽdi nõ ſunt.

Matt. 18.

mēdacia, auditorum animos in perniciem trahunt: nō alia, vt arbitror, ratione, quàm vt quadam mellis ad mistione amaritudinis sensum intercipiant: et dulcium admotione, acerbitatem deprædētur. PAL. Damnosum itaq; omnino est, vaticinātium præstigijs animum adijcere. CYR. Deus hāc rem morte mulctat, et in extremis malis collocat. In Deuteronomio enim ita inquit: *Et anima, quę cōsuluerit ariolos, aut incantatores, ita vt fornicata fuerit post illos, cōuertam faciem meā super animā illā, et disperdam illā de populo suo. Et eritis sancti, quia ego sanctus sum Deus vester. Et paulo post rursum: Et vir, aut mulier, quę fuerit habens pythonem, aut incātator: morte moriatur, et lapidibus obruite eos. Rei enim sunt.* Negat enī primùm vaticinia ex astris, aut ex mortuis sectanda esse, remq; esse à pia vita quàm maximè alienā, ac Dei cultoribus minimè cōuenientem. Secundò mortem indicit: et reos eos esse inquit, misericordia indignos cēset, qui ad tantā nequitiā peruenerint, vt laqueus fiāt mortis, et animarū insontium rete, ac porta perniciei, et laqueus inferni. ac quid non huiusmodi malorū? Cœterū arbitror eum, qui sapiēs, atque integer sit, facilè intelligere, hāc adeò acerbā, et quouis malo maiorē pœnam, nō à Deo infligi ijs, qui futura præscire, alijsq; edicere valent: et aliquid eorū, quæ euētura sunt, verè proloqui (veritatis enim sermo non punitur) execrandū verò esse mēdaciū. Si verò quis hoc faciens deprehēdatur, idq; veluti ex Deo, ipsam certè ineffabilem naturā calumniātur: cumq; veritati mendacium, vt ipsi conueniens, adscribat, æqualem culpæ pœnam luens, morte plectetur. Nulla enim ratione censendū est sermonē increpare eos, qui ex Deo (sanctorum enim prophetarū cœtus honore prosequendus est) sed eos, qui ea, ac si ex Deo sint, cōminiscuntur: quia neq; mendacio liberam prædictionem fecerunt. Quandoquidē verò nō ex veritate volētes loquūtur, quæ ipsis visa fuerint, aduersus seipsos errarunt. PAL. Ex hoc itaq; didignoscemus, an Deus sit is, qui oraculū edat, an illi suaipsorum cōmenta nobis prædicent. CYR. Rectè. Diuina enim lex nobis huius rei fidem facit. Deus enim in Deuteronomio ita ait: *Si verò quis dicat in corde: Quomodo cognoscemus verbum, quod nō locutus est Dn̄s? Quæcūq; locutus fuerit propheta ille in nomine Domini, et non euenerit verbū, non locutus est Dominus, et non cōtigerit verbū hoc, in iniquitate locutus est propheta. Abstinete ab eo.* Audis, quo pacto prædictionum frustrationem manifestum signum futurum esse dicat oraculi non á Deo profecti? Amat enim veritatem veritas. Tale quid etiā per vocem Ieremiæ inquit: *Deus appropinquans ego sum, dicit Dominus, et nō Deus longè remotus. Itáne abscōditur homo, vt non videam illum, ait Dominus? Nonne et celum, et terram ego impleo, dicit Dominus? Audiui, quæ loquuntur prophetæ, que prophetant in nomine meo falsè.* Dein de diuinarum legum contemptores grauiter reprehēdens, clarissimum argumentum eorum, quæ ex Deo sunt, aut secus, veritatem statuit. Ita enim rursus Propheta inquit: *Pro-

Leuit. 20

Incātatores, animarū insontium rete, porta perniciei, et laqueus inferni.

Futura prædicētes, quo pacto cognoscentur, an ex seipsis, an ex Deo loquātur.

Deut. 18.

Veritas, amica est veritatis.

Iere. 23.

Ibidem. *Propheta, in quo somniũ est, narret somniũ suum: et in quo sermo meus, narret sermonem meũ in veritate.* Vt si quid à veritate discrepasse deprehendatur, constet illico mẽdacem esse autorem, et ex suo ipsius corde loquentem, non ex ore Domini, vt scriptum est. PAL. Vis ne aliquid necessariorum in probationem afferamus: aut prætermittentes, eamus, quò nos sermo tuus deducit? CYR. Imò verò, ô Palladi, eorum, quæ necessaria sunt ad vtilitatem, non parua à nobis ratio habetur: adeò vt reprehenderim, et quidem meritò, si non liberè, quod tibi visum fuerit, dixeris. Dic igitur absq; mora. PAL. Si quidam non ex ore Domini loquuntur, ac potius ex suo ipsorum, vt ais, corde eructant, quanam ratione mulier illa incantatrix Samuelem mortuum ad Saulem adduxit, qui illum de futuris certiorem faceret? Nam hoc ita factum esse neq; aliter habere, quidam existimãt. CYR. Censes ne verò etiam tu ita esse, aut sancti animam reuera coactã existimas, vt vocante muliere prodiret? PAL. Non habeo, quod certò affirmem. Veritas autẽ optima rei probatio fuerit. CYR. Rectè ais. Illud igitur ante alia diligenter inuestigemus, vtrum per Deum hæc prodigia edantur ac fiant, an per malos spiritus, quibus huiusmodi res curæ sunt? PAL. Quis verò eò dementiæ venerit, vt existimet per Deum huiuscemodi portenta edere vaticinantes ex mortuis, vẽtriloquos, et incãtatores, cum Lex ijs, qui talibus rebus addicti sunt, extremum supplicium irroget? Præterea, quo pacto non absurdũ cogitatu sit, eum, in quem mortis sentẽtia lata sit, Deo non displicere? Neq; enim vnquam suis ipse legibus repugnauerit. CYR. Optimè sentis. At verò sanctorum animas corporibus exutas itane abiectas esse putabimus, nulliusq; precij, ac potius in tantam miseriam venisse, vt malis, atq; immundis spiritibus subiaceant, pro quorum libidine huc illuc agantur, ferantur? Atqui Apocalypseos liber: quẽ nobis B. Ioannes cõscripsit, et sancti Patres approbarunt, sanctorum animas ante ipsum diuinum altare conspici, manifestè asserit. Si verò ipsas à cœlestibus mansionibus, sacratissimisq; locis rapiunt, et impunè nemine obstante transferunt, reliquum est, cœlum omnibus dæmonibus esse peruium, ac verisimiliter paradisi portam ipsis patere, igneumq; gladium illis cedere: neque verò ingressum, atq; egressum tã tùm ijs liberum esse, verumetiam integrum, eos, qui intus fuerint, si placuerit, pro arbitrio abducere. Præterea, nonne hoc est, spem in Christum conuellere, et miserabilem quandam sanctorum vitam constituere? PAL. Ita videtur. CYR. Minimè obscurũ esse potest. Quo pacto vero D. Paulus præstabilius censebat dissolui, et esse cum Christo? Si enim postquam è viuis discesserimus, et Christo sociati fuerimus, in contrariorum spirituum potestatem veniendum nobis est, irrita est fides nostra, iuxta scripturam: nemoq; deinceps fuerit, qui non incomparabiliter satius esse iudicet in corpore versari, quàm esse cum Christo. Et quod grauius, intolerabiliusq; est, cum adhuc mortali vita fruimur, diabolus nihil iuris in nos habet: quin potius calcamus super serpentes, et scorpiones, et super omnem potestatem inimici, iuxta Saluatoris

Marginalia (left): 1. Reg. 28. — Samuel, an vere ab incãtatrice eductus fuerit ad Saulem. — Prodigia an per Deũ, an per diabolos edantur.

Marginalia (right): Animas sanctorũ immũdis spiritibus subiectas esse absardũ cogitatu est. — Sanctorum animas ante diuinum altare cõspiciuntur. — Dæmones non possunt euocare animas e cœlo.

toris vocem. Postea verò, cum Christo coniuncti fuerimus, quo pacto deteriore loco sumus futuri? Quo pacto
Ioan. 10. verò ipse verè dicit, inquiens: * Oues meæ vocem meam audiũt, et ego cognosco eas, et sequũtur me, et ego do ipsis vitam æternam, et non peribũt in seculum, neq; quispiam eripient eas è manibus meis? Pater meus, qui dedit mihi, omnium maximus est, et nemo eripiet ex manu Patris mei.* Atqui fefellerit fortasse certatores in pietate erga Christum, sapientissimus Petrus ita scribens:
1. Pet. 4. * Proinde qui affliguntur iuxta voluntatem ipsius, fideli creatori deponant animas suas.* Si verò animæ Deo depositæ Satanas vim infert, agens, ac ferens quocunq; ipsi visum fuerit, quanam obsecro ratione fidelis censeri potest sanctorum præfectus, cum veluti depositum vniuscuiusq; spiritum acceperit? Mera itaq; nugacitas, et deliramentum est arbitrari, prophetæ animam verè profanis impurissimæ mulieris incantationibus è locis ipsi designatis euocatam. PAL. Quænam igitur est huius quæstionis ratio? Censeo enim hæc adeo turpia, nulla penitus ratione animo esse concipienda. CYR. Apposito prius ipso sacræ scripturæ textu, sensum eliciemus, veritatem mordicus tenentes. Ita verò

Sanctorum animæ, veluti in deposito sunt apud Deum.

1. Reg. 28 habet. * Et mortuus est Samuel, planxitq; eum omnis Israël, et sepelierunt eum in Armathain ciuitate sua. Et Saul sustulit ventriloquos, et diuinatores à terra, et congregantur alienigenæ, et veniunt, et castra figunt in Sonam. Et congregat Saul omnem virum Israël, et castra figunt in Gelbue. Et vidit Saul castra alienigenarum, et timuit, et expauit cor eius valde. Et interrogauit Saul per Dominum, et non respondit ei Dominus in insomnijs, et in manifestis, et in prophetis. Et dixit Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem ventriloquam, et vadam ad eam, et quæram per eam. Et dixerunt serui eius ad eum: Ecce mulier ventriloqua in Aendor. Et contectus est Saul, et indutus est vestimentis alijs, et vadit ipse, et duo viri cum eo, et iuerunt ad mulierem nocte, et dixit ei: Vaticinare in ventriloquio, et educ, quem tibi dixero. Et dixit ei mulier: Ecce, certè tu nosti, quæ fecit Saul, vt disperdidit ventriloquos, et diuinatores à terra: et quare tu illaqueas animam meam, vt occidas eam? Et iurauit ei Saul, dicens: Viuit Dominus, si aduersabitur tibi iniustitia in sermone hoc, Dixitq; mulier Sauli: Quem educam tibi? Qui respondit: Samuelem educ mihi. Et vidit mulier Samuelem, et exclamauit voce magna, et dixit mulier ad Saul: Quare decepisti me? Et tu es Saul. Dixitq; ei rex: Ne timeas, dic quem vidisti. Et dixit ei: Deos vidi ascendentes è terra, et hic pallio circundatus. Et cognouit Saul, quòd Samuel is esset, et inclinauit in faciem suam in terram, adorauitque eum. Et dixit Samuel: Quare defatigasti me, vt ascenderem ego? Et ait Saul: Affligor valde, et alienigenæ belligerant in me, et Deus defecit à me, et non exaudiuit me amplius, et in manu prophetarum, et in insomnijs, et in manifestis. Et nunc vocaui te, vt ostenderes mihi, quid faciam. Et dixit Samuel: Quare interrogas me? Et Dominus recessit à te, et fuit cum propinquo tuo.

Et fecit tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea. Et dirumpet Dominus regnum de manu tua: et dabit illud propinquo tuo Dauid, quia non audiuisti vocem Domini, et non implesti iram furoris eius in Amalech. Propter verbum hoc fecit Dominus tibi in die hac: et tradet Dominus Israel tecum in manu alienigenarum. Et cras tu, et filij tui cadent. Et castra Israel tradet Dominus in manus alienigenarum.* An tibi adhuc dubium esse potest, quod suo ipsius iudicio cõdemnatus pœnas luerit Saul? Cum enim hostes, qui aduersus ipsum congregati erant, metueret, conscius suæ imbecillitatis ad prælium, à Deo futura cognoscere studebat. Quo tacente, neq; quicquam reuelante, ad vexandum eum, qui silentium sibi proposuerat, se contulit: adijtq; mulierem, ex mortuis vaticinantem: eos (inquã) qui se futurorum peritos arbitrãtur. Deinde inquit: Educ mihi Samuelẽ. Non tanquam incantatoria, siue magica ars sancti animam educere valeret, sed quasi quòd plerunq; vaticinãtes huiusmodi voce vtantur. Audiui verò, quod qui dæmones præstigiãt, et aqua incantant, simulachra quædam, atq; vmbras, et tanquã in speculo species quorundam conspicantur, dæmonum nimirum, qui scitè eorũ, quæ dicũtur in figuras effigere conantur. Dixit itaq; initio mulier: Video Deos ascendentes è terra. Deinde inquit: Et vidit mulier Samuelem. Nihil verò difficile est æquali, similiq; planè figura beati Samuelis vmbram visam fuisse, et simulachrum diabolica arte effectum. Si quis igitur existimet, prophetæ animam reuera euocatam, et mulieris verbis fidem tribuat, quandoquidem Deos ascendentes è terra à se visos dicit, nequaquam vaticinij ritibus mendacium adscribat: sed certo credat, esse Deos quosdam huiuscemodi muneris, vt à terra eleuentur, tametsi secundum naturam vnus, ac solus Deus existat. PAL. Rectè quidem ais. At dicet quis, arbitror, percunctanti Sauli de futuris vera responsa fuisse: cum tamen longus nobis in hoc consumptus sit sermo, quòd in impuris spiritibus veritas minimè consistat. CYR. Et quidem ita se habet. Nulla enim planè conueniẽtia, aut societas est luci cum tenebris, vel Christo cum Belial. Incitantibus verò, et vexare solentibus reuelat nõnunquam Deus futura, etiã per quos minimè oportet, insonantibus (vt verisimile est) angelis in humanam mẽtem, res, quibus cognitis eiusmodi sciscitatores vehementer torqueantur, et veluti primitias quasdam impendentis ipsis iræ ac pœnæ, prænotionẽ suorum malorum auferũt. Siquidem sanctis prophetis acquiescit, et communicat sæpenumero non solum austera ac tristia, quæq; lachrymas moueant, verumetiam quæ iucunda, ac delectabilia sint. Impijs verò, ac detestandis vatibus mala, quæ ipsis euentura sunt, reuelat. PAL. Quænam verò, aut vnde horum probatio nobis petatur? CYR. Ex sacra scriptura. Typus enim nobis, et doctrinæ ratio describitur in ijs, quæ veteribus acciderunt. An enim nescis, quòd Balaac filius Sephor Moabitarum, et Madianitarum rex, cum inexpugnabilem, inuictamq; Israëlitarum multitudinem perterrere, atq; vnà cum alijs gẽtibus euertere tentaret, Balaam conduxerit, dicens: *Veni, maledic mihi popu-

Sauli vera per Pythonissã prædicta fuisse quomodo intelligẽdum sit.

Incãtatores nonnũquam Deo ita permittẽte, vera prædicunt.

Num. 22

populum istum. Postquam autem venerunt legati, diuertite huc, inquit, nocte: et respõdebo vobis verba, quæ loquutus fuerit Dominus ad me.* Profana itaq;, ac diabolica insomnia consulturus, quæq; ex incantatione ipsi euentura erant, expectans, Dominum sibi locuturum ait. Deum enim vocare videbatur. Cœterum tametsi scriptura sacra vocibus incãtatoribus vsitatis vtatur, nequaquam rectè censeamus, si putemus Deum naturaliter ac verè existentem impurorum animas ingredi, tanquam ex mendacio verum, et cum homine execrabili, et incantatore, atque idolatra sermones conferre. *Præterea venit, inquit, Deus ad Balaam, dixitq; ei: Quid homines isti apud te? Qui cum aduẽtus causam explicasset, dixit (inquit,) Deus ad Balaam: Non ibis cum eis, neq; maledices populo. Est enim benedictus.* Ecce manifestè ex persona Dei beatus angelus impostorem, ac vanum incantatorem deterret, ne populo cui Deus benedixerat, maledice ret: neq; diuinæ voluntati, atq; arbitrio temerarijs hominũ inuentis contra niteretur: non quòd maledictio ipsis damnosa esse posset, sed vt manifestè, aperteq; declararet etiam per se, eos huiusmodi spem temerè animo concepisse: vtq; constaret, Israëlitas à Moabitis et Madianitis vincendos nõ esse, propugnante nimirũ Deo, suaq; beneuolẽtia tutante populum sibi addictum, et benedictum. Sed hæc quidem diuinus angelus ei dixit: et, vt faceret, præcepit. Postquam verò munerum pollicitationibus inescatus vates, vt iret, statimq; se id, ac verè præstiturum credidit, sinit quidẽ ire beatus angelus, cœterum in medio itinere apparuit cum stricto ense, docens manifestè, eum bellum cum Deo et angelis suscipere, si benedictis maledicere vellet. Cum autem accessisset ad Madianitam, altaria erexit, et sacrificare iussit, et propheta statim est effectus, non qualis antea erat, mendax nimirum, sed diuina ineffabiliq; virtute. Spem enim in contrarium mutauit. Nulla enim ratione maledixit, quin potius benedixit Israël, et acerbissimo dolore Balaac affecit. Ita enim scriptum habetur, *quòd iratus est Balaac, et complosit manus suas, et dixit Balaac ad Balaam. Ad maledicendum inimicum meum vocaui te: et ecce benedicens benedixisti tertio hunc. Et dixit Balaam ad Balaac: Nonne et nuntijs tuis, quos misisti ad me, locutus sum, dicens: Si mihi det Balaac plenam domum suã argento et auro, non potero transgredi verbum Domini, vt faciam ei bonum, vel malum à me ipso: Quæcunque dixerit mihi Deus, hæc dicam.* Vsitatum quidem hoc est falsis vatibus fallacibus huiusmodi vocibus vti, fingentibus quod omnimodè sciscitantibus vera prædicent. At verò ita statue, veritatem ab incantatoria, siue magica arte quàm maximè alienam esse. Contingit autem nonnunquam, Deo ita permittente, vt impurorum, ac profanorum hominum animæ futurorum prædictione grauiter exæstuent. PALLA. Credo. CYRIL. Quod enim oderit Deus, ac destruat huiusmodi incantationes, et vanas diuinationes manifestum esse potest, ipso dicente: *Ego Dominus Deus. Quis alius dissipabit signa aruspicum, et diuinationes de corde, conuertens pruden-

tes

[Margin: Deum locutũ ad Balaam, quo pacto intelligẽdum sit.]

[Margin: Ibidem.]

[Margin: Esai. 44. Esaiæ locus declaratus.]

tes retrorsum, et consilium eorum in stultitiam vertens, firmans verbum pueri eius, et consilium angelorum eius verum efficiens:* Diuinationes enim ex corde vanas, mendacesq; esse declarat. Proprij autem filij, hoc est Christi, omne verbum firmat. Cõsilium verò angelorum ipsius, hoc est, quæ voluerint dicere, fidei in ipsum præcones: in vniuersum veritatis plena esse demonstrat: signis, ac prodigijs testificans, alijsq; sancti spiritus operationibus. Rursus autem exprobans quibusdam diuinæ legis violationem, ita inquit: *Sta ergo in incantationibus tuis, et multis veneficijs tuis, quæ didicisti ab adolescentia tua, si poteris iuuari. Laborasti in consilijs tuis. Stent iam, et saluent te astrologi cœli, qui contemplantur stellas, annuntient tibi, quid venturum sit super te.* Vides igitur, quo pacto ridiculam, planeq; inutilem, detestandam hanc ex astris incantationem Deus statuat? Quod verò rursum ipsi soli conueniat veritas, ac certitudo sermonum de rebus futuris, quæq; certò euentura sunt, audi ipsum per vocem Esaiæ dicentem. *Mementote horum, et ingemiscite: pœnitentiam agite, qui erratis: cõuertimini corde. Mementote priorum à seculo, quòd ego sum Deus, et nõ sit alius præter me, annuntians prius vltima, antequam ipsa fiant, et completa sunt. Et dixi: Omne cõsilium meũ stabit: et cuncta quæcunq; cogitaui, faciam.* Soli itaq; omnium supremo Deo manifestam futurorum cognitionem, certissimamq; eorum prędictionem tribuemus. Nugæ verò, et aniles fabulæ, atq; imposturæ, meræq; præstigiæ sunt cẽsendæ, quæ reliqui com

Esai. 47.

Esai. 46.

miniscuntur, qui perditissima mente ex suo ipsorum corde loquuntur, iuxta scripturam, et mendacijs suis quæstum captant. PAL. Rectè. Ita enim res se habet, et non aliter. CYR. Abstineamus igitur etiã ab hoc: relictaq; obliqua via, recta insistamus: Deoq; simpliciter adhæreamus, et sanctorũ sermonibus fidẽ adhibeamus. PAL. Meritò. CYR. Quid verò, an non etiam hoc execrandum esse censebimus, Græcanicamq; impietatẽ sapere, lustrare per ignem et aquã, alijsq; id genus modis? PAL. Omnino. Diuinum enim oraculum apertè nobis inclamat. *Non inueniatur in vobis lustrans filium suum, aut filiam suam.* CYR. Quàm rectè nobis diuina lex hoc inclamat, et facere vetat. Res enim est summa vanitate plena, et à recta ratione alienissima. Quo nam enim pacto ignis natura nos iuuare possit, aut faces in orbẽ circumactę quo pacto peccatũ eximere possint? Nam æris, aut alterius cuiuspiam materiæ sordes ignis vis absumit. Mentis verò, atq; animæ immunditiem, quo nam modo abolere possit? An non itaq; tibi ridicula hæc, et stultorũ hominum inuenta videntur? PAL. Omnino certè. CYR. Velim autem perlibenter his sapiẽtibus dictũ, qui adeò turpis instituti autores extiterunt: aliosq; eò induxerunt. Quidnam obsecro agentes, ô boni, ac sapientes viri, Tityum illum, quem è terra natum dicitis, inferno mulctatis, vulturibus ipsum cingentes, qui eius iecur assiduè epulentur, quod conspecta pulchritudine cuiusdam mulieris, amore eius captus fuerit? Tantalo verò lapidem appensum dicitis, et intemperantis linguæ pœnas luere

Lustratio per ignẽ, et aquam, idololatriæ species.

Deut. 18.

Titij, Tãtali, Ixionis, et Promethei supplicia.

iunioribus fabulamini. Ixionem autẽ longis, semperq; mergentibus rotæ circumactionibus alligantes, supplicio non admodum à vestro falso instituto abhorrente, à Dijs affici dicitis. Vos autem ipsos et alios, tametsi grauibus, absurdissimisq; malis immersos, igne, et ramis expiatis, vt quidem creditis: et quantumuis damnatis culparum ablutionem largimini. Tityo verò ijsq;, quos modò nominauimus, ignis forsitam, vt vultis, inopia duræ atq; ineuitabilis pœnæ causa fuit. Atqui is, qui vestro iudicio furacissimus fuit, ignemq; hominibus suppeditauit, Prometheus inquam, si quis omnino ille fuit, igne abundabat: et tamẽ præ reliquis etiam ipsum durissimis vinculis constrictum fuisse, fabulæ vestræ prædicant: et aues vncis vnguibus præditas ipsi superuolare, vultures inquam, grauissimos atrocissimosq; ipsius, vt et Titij, vindices. Date itaq;, date hãc per ignem expiationem siue purgationem, non illis solùm, verũetiam si qui vestrûm, aut in filias aliorum, aut in vxores insaniant, facientes quæ fas non est, hi etiam igne à culpa liberati, vnà cum crimine accusationem effugient? Cæterum in alios quidem iudicia, et accusationes, et leges malorum vindicatrices exercentur. Vos ipsos verò turpissimam, fœdissimamq; vitam promiscuè agentes, ab omni labe purgari creditis, friuolis puerilibusq; ludicris decepti: et ministris ad hoc vtentes præ alijs maximè execrandis: qui etiam vnà cum habitu virili ratione deposita in mulierem moribus, corpore, et animo deprimuntur. Deinde quanam ratione huiusmodi quid purum alium efficiet? Nam ita affecti, quidnam aliud præstabitis, quàm veluti si quis fortasse velit odoratis vnguentis vngere, cum sit fœtidissimo cœno perfusus: deinde rectè facere, optimeq; sibi sentire videatur? PAL. Rectè dicis: atq; facilè tibi assenserim verissima prædicanti. CYR. At prætereo stultitiam, quæ hac in parte cõmittitur, et huiusmodi expiationis ministros silentio præteribo. Ad rem ipsam rursus redeo. Et quidem dico, quòd in summa ignorantia, imperitiaq; viuere comperias dæmonũ cultores, quippequi neque expurgandi modum, rationemq; intelligãt: neq; omnino sciant, quid revera sit coinquinatio et immundicies. Adulteria enim, hisq; atrociora vitia, masculorum coitus, et cædes, obmurmurationes, atq; inuidia, falsæ diuinationes, et fraudes, mendacia, et periuria, maculæ sunt, et labes animam simul et corpus inquinantes, quæq; egerrimè elui possint: atq; has quidem neque ignis, neque fontes aquarum abstergant. Prætermittentes verò, vt arbitror, vel intelligere tantum, quòd cõtaminant animam, mentemq; fœtore implent, mortua corpora deuitãt: et quod interijt, execrantur, naturæ leges contemnentes. Quin et edulia, quæ ipsis videntur, damnant: et si fortè contingat, vt imprudentes ea tangant, statim resilientes ad expiationẽ per ignem, aut aquam se conferunt: quasi verò si ab his solùm abstineant, sancti et mundi sint futuri. Ita enim mente emoti sunt, vt de his meritò dici possit: *Ve vobis effrenes et imperiti, excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* Nulla enim ratione habita eius, quod revera inquinare valet, superuacaneo eorum metu per-

Dæmonũ cultores in sũma ignorantia viuunt.

Matth. 23.

tu per-

tu percelluntur, quæ nullum planè damnum inferre poſſunt. Quemadmodum ſi quis eorũ tumulum adeat, et in mortuorum ſepulchrum inpingat, exuta veſte caput radit, coma tanquam immunda detonſa. Quæ quòd vitanda nobis ſint, nullaq; ratione imitanda, diuina lege docemur. Inquit enim rurſum: *Non purgabimini, neq; imponetis caluiciẽ ſuper mortuo in medio oculorum veſtrorum.*

Superſtitio eorũ, qui ſi cadauer attigiſſent ſeſe purgabant, dãnata.

Deut. 14.

Græcorum enim ſapientes Apollinẽ Deum fabulantur, quem et Phœbum appellant, hoc eſt, purum, et ſine macula. Eundem autem hunc eſſe cum ſole dicunt, φοιβάζειν autem dixerũt, et φοιβᾶσθαι more Græcorum, pro καθαίρειν τε καὶ καθαίρεσθαι, hoc eſt, expurgare, iuxta ipſorum placita et leges. Deterret itaq; nos diuinum oraculũ ab huiuſmodi turpi, deformiq; ſuperſtitione. Neque enim exiſtimandum eſt, corporum mortem, animã contaminare: neque minus cogitandum eſt, mortui ſpectaculum cernentium cordibus ſordes imprimere: neque rurſus par eſt, vt ob hoc caput radamus. Vanę enim in primis hęc res, viliſsimæq; opinionis plena eſt. Rectè igitur Lex: Ne purgemini inquit. Neq; enim huiuſmodi purgatio animam iuuabit, quin potius damno afficiet, vtiliſsimæ viæ cognitionem auferens: et ab eius, quod expedit adeptione abducens. Nam ita conſideremus: Leges apud nos ſunt eorum, qui in terra imperant, quibus facienda, et non facienda præſcribuntur, ac vetantur. Nemo autem pœnas legum violationi debitas effugere poſsit, niſi regis benignitate ei remittatur. Eâdem planè ratione, qui diuinas leges contempſerit, nequaquam purus euadat, niſi id diuino nutu conſequatur. Si enim ignis, aut aquæ leges tranſgreſſi fuerimus, et peccati ratio in hæc vergit, abluat aqua accuſationem, abſumat ſordes ignis, condonantibus illis liberè culpas, quibus voluerint. Si autem verax eſt, qui dicit Deo, *Tibi ſoli peccaui, et malum coram te feci* (vnus enim eſt legiſlator, et iudex) cur, neglecto Domino, penes quem puniendi, ac condemnandi poteſtas eſt, ad aniles cogitationes prolabuntur, tribuentes igni et aquæ facultatem ipſos à criminibus liberãdi? Apage cum ſtulta iſta cogitatione, ô homo, ſoliq; Deo naturaliter exiſtenti adhæreto, et ipſum dicentem audi: *Ego ſum abſtergens iniquitates tuas, et non recordabor: Hec eſt vera purificatio. Hic ſpiritualis ſplendor. Mundati enim ſumus per fidem in Chriſtum, peccatorum remiſsionem conſecuti: ſanctificati verò lauacro regenerationis, et diuina nobis gratia comparata, diuini (inquam) ſpiritus, qui inſtar ignis, veluti colluuiem quandam mentibus noſtris inhærentem, immunditiem abſumit. In ſpiritu enim ſancto, et igne baptizatos nos eſſe ſacra ſcriptura meritò prædicat. PAL. Errorem itaq; hac in re in idololatriæ ſpecie collocabimus. CYR. Omnino. Res enim eſt impietatis plena. Adiungi verò his, atq; annumerari meritò poſsit eorum opinio, qui actiones humanas ab alijs regi, rerumq; noſtrarum poteſtatem pendere, non à nobis, ſed ab ijs, quos adeò abſurdorum dogmatum inuentores nobis effingunt. Fatum enim, et fortunam, atq; ortum, neſcio quo pacto, veluti gubernatores quoſdã noſtræ vitæ cõſtituentes, nemi-

Locus Deut. 14 declaratus.

Mors corporis non contaminat animã.

Pſal. 50.

Eſai. 43.

Fatũ, et fortunã humanis rebus dominari credẽtes idololatriæ ſpecie laborant.

neminem nostrum rerum agendarũ arbitrum, aut dominum esse volunt; sed necessario quodammodo vinculo trahi ad id, quod imperãtibus visum fuerit. Quid autem rationi magis cõtrarium esse potest? Aut quonam maiore damno Satanas humanum genus afficere possit, quàm si nos in hác sententiam inducat? Quo pacto enim quis bonum mente concipere, et ad id sua sponte ferri possit? Cum autem lapsus fuerit ad deteriora, et, quæ nõ oportet, cogitauerit, quo pacto se ipse incusare, ac dolore affectus ad meliora cogitanda, faciẽdaq; se transferat? Quemadmodum enim, qui in mari nauigant, necesse planè est, ventis ex puppi flantibus agi, et quocunq; impellenti visum fuerit, rapi: ita etiam nobis necessarium omnino fuerit, eo, quo fortuna, et ineuitabiles, iuxta illos, fatorum flatus impulerint, vergere. An non rectè hæc à me dicta censes? PAL. Censeo. CYR. Absurdum itaq; vehementer fuerit bonos et continentes laudibus et honoribus afficere: malos verò atq; intemperantes, detestandos, odioq; prosequendos cẽsere. PAL. Qua de causa? CYRIL. Quia, ô Palladi, ortus et fortuna in eos imperium obtinent, violenterq; miserum genus mortalium in vtranque partem rapiũt. Nihil verò in nostra voluntate est situm. An nõ enim id, quod mouere quid solet, ac valet, causa fuerit motus ijs, quæ ab eo mouentur? PAL. Ita censeo. CYR. Eâdẽ igitur ratione res humanas, queq; ad nos pertinent, perpende, atq; examina: et si fuerimus mali, facilè intellexeris nos nõ voluntario nostro motu in hác, aut illam partem vergere, sed alieno quodammodo iugo, atq; imperio esse subditos, qui res nostras pro suo arbitrio agunt, ac ferunt. Recta enim cogitantes nihil nobis ipsis de rebus agendis adscribemus, quin potius omnium nostrarum actionũ causas ijs adscribemus, qui ad quodcũq; ipsis libitum fuerit, flectere consueuerunt. Quemadmodum itaq; iustus nullam planè laudem merebitur: ita neq; iniustus pęnam, aut supplicium. PAL. Rectissimè disseris. CYR. Immeritò igitur mirãtur huiusmodi dogmatum authores Solonem Atheniẽsem, et Draconem, ac Licurgum, vt pulcherrimarum disciplinarum institutores: quiq; optimas Græcis leges sanxerunt. Quænam enim ex hoc vtilitas, si nihil è nobis, sed nostra potius ex alijs pẽdent? Aequalis verò, ac par erit, qui leges norit, et qui ignorarit, si nobis potestas non est faciendi liberè, quæ velimus. Quin etiam iniquissimos ego istos legislatores esse dixerim, tametsi maximam iustitiæ opinionem sibi compararint. Sanxerunt enim nescio quo pacto segnes, atque inertes puniendos esse, et graue de ijs, qui leges violarint, supplicium sumẽdum. Regulas verò quasdam iuuenibus, et laudabilissimos institutionis modos præscripserunt, vel tanquam in nobis situm sit, honestè viuere, vel nescio quid cogitãtes. Dixerit autem quis, arbitror: Rectè Solon illius tempestatis hominibus leges sanxisti: cœterũ oportebat primùm persuadere ijs, quibus eas præscribebas, licere ipsis per fatum, ea, quæ vellent, cogitare, et facere. Atqui præscripsisti leges non persuasa hac re. Risisti verò fortasse etiam tu hanc fabulam, et nos actionum nostrarũ dominos esse probè sciuisti: iniquam autem, ac cęcam

for-

fortunam à rebus humanis abegiſti. Eum enim cenſuiſti optimum ciuē iudicandum, qui pius, legumq; obſeruator eſſet, et ad ſummam modeſtiæ gloriam pertigiſſet. Inutilem verò, peſsimisq; annumerandum, qui legibus ad virtutis exercitium prouocantibus valedixerit. PAL. Elegātiſsimè, optimeq; dixiſti. CYR. Quid verò amice? An nō inſtitutiones, ac pręcepta, exhortationesq; ad virtutem, quibus patres ad filios vtūtur, aut magiſtri ad diſcipulos, ſuperuacaneas eſſe dicemus, ſi via, qua minimè velimus, inſiſtendum neceſſariò nobis eſt, et iter vitæ violentum nonnunquā ſectandum? PAL. Omnino. CYR. Si verò proprios liberos, aut alios quoſpiā delinquentes, aut officium ſuū deſerentes, quis impellat, recta obiurgatione adhibita, laudaueris ne eiuſmodi hominē, an iniquum iudicaueris? cum illos quidem omniū nobis malorū authores irreprehenſos ſinere, neſcio quo pacto, velint: hos verò inuolūtariè, atq; ex neceſsitate ad hoc adductos pęnis inuoluāt. PAL. Ita videtur. Perquā veriſimilis enim eſt oratio. CYR. Quòd verò eiuſmodi opinio extremæ impietatis plena ſit, vel hinc tibi conſtare poteſt. Deum enim totius vniuerſi gubernatorem, ac præſidē innata ipſi gloria fraudantes, et in tātum temeritatis euecti, vt ipſum propria ſua laude priuent, rerum humanarum imperium tribuunt ijs, quæ ſimpliciter in mētem veniunt: cum alioqui vniuerſam creaturam, nō temerarijs motibus ad propria ferri videant. Quænam enim creaturarum in mundo eſt, quæ nō actiones ſuas exerceat? Aut quid planè in rerum natura exiſtit, quod non proprium ſuum ordinem, ac munus obſeruet, et tantum non ductorem ſuum inuocat, quòdq; legibus ſubditum ſit clamat, et eius nutu, qui imperare valet, Dei inquam, adminiſtratur? Idcirco diuinus ille Paulus, *inuiſibilia ipſius, inquit, à creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur: ipſaq; æterna eius potentia, ac diuinitas: in hoc, vt ſint inexcuſabiles, propterea quòd cum Deum cognouerunt, nō vt Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt: ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, et obtenebratum eſt inſciēs cor eorum. Cum ſe crederent eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quo pacto enim non ſtulti effecti ſint, qui aliena à veritate credendi ſibi ipſis pariter atque alijs authores extiterūt? Quid verò dicat quis ijs, qui huiuſmodi cogitationibus fluctuant, quæ neq; ipſis illorū poëtis, et fabularū inuentoribus probantur? Nam rerum agendarum adminiſtrationem, non ab alijs: ſed ex nobis ipſis pendere rectè iudicarūt. Et quidem Homerus in ſuis poëmatijs optimū, atq; ſupremum Iouem reliquos Deos alloquentem inducit de Aegiſthi adulterio, et ſupplicio illi debito.

Rom. 1.

Homeri de fato iudiciū.

ὦ πόποι. οἷον δήνυθεοὺς βροτοὶ αἰζόων-
ται.
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ
καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγ'
ἔχουσιν.

Hoc eſt.

O facinus: mortale genus nos numina primum
Incuſat, cauſamq; putat, fontemq; malorum
Quæ veniunt: ſua ſed pereunt ob facta nefanda,
Cum præter fatum ſibi ſpontè incōmoda quærant.

Cur enim, inquit, quidam incuſant Deos, quaſi ab ijs malis afficiantur: et nō potius ſua ipſorum peccata inſimulant, quippequæ ipſos calamitatibus inuoluant, etiā ijs præter fatum, hoc eſt, et quidē ijs præter fatum, ſiue, præterquam fato ita viſum ſit? Quocirca ſi quis rectè vitā inſtituere velit, prudēterq́;, ac piè eam trāſigere, is rectè incedet, et mala ſuperabit rectū mētis clauum tenens, et in concuſſum ſcopū ſibi pręfigēs, vitijs nequaquā inuolui. Et res quidem ita ſe habet. In nobis enim ipſis ſitū eſt in vtrāq; partem vergere, aut bonū (inquam) aut malum: et quibus curę fuerit laudabilia ſectari, rectitudiniſq́; via inſiſtere, ij grādes in virtute profectus facient. Qui verò in cōtrariū deflexerint, et mala bonis prætulerint, ij propriam corrūpentes vitam in ſpōtaneum pręcipitiū ruunt, atrociſsimūq́; ſuis ipſorū capitibus interitum accerſunt. Quòd autē in nobis ſitum ſit in alterutram partē vergere, vt modò dixi, et quod prolapſi ad voluptates vtilium cōſecutione fruſtramur, manifeſtum eſſe poteſt, altero quodam ex ipſorū poëtis id teſtante. Euripides hic fuit. Mulierem enim in ſcena intēperanti libidine laborantē inducit. Deinde neſcio quo pacto philoſophantem facit, ac dicentem.

Euripidis de libero arbitrio iudicium.

Τροιζήνιαι γυναῖκες, αἳ τόδ' ἔσχατον
οἰκεῖτε χώρας πελοπείας προνώπιον
ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ,
θνητῶν ἐφρόντισ' ἧ διέφθαρται βίος:
καί μοι δοκοῦσιν, οὐ κατὰ γνώμης φύσιν
πράσσειν κάκιον. ἔστι γὰρ τό γ' εὖ φρονεῖν
πολλοῖσιν, ἀλλὰ τῇδ' ἀθρητέον. τὸ δὲ
τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα, καὶ γινώσκομεν,
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'· οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
οἱ δ' ἡδονὴν προθέντες, ἀντὶ τοῦ καλοῦ
ἄλλην τινά. εἰσὶ δ' ἡδοναὶ πολλαὶ βίου.
μακραί τε λέσχαι, καὶ σχολὴ τερπνὸν κακόν.

Hoc eſt.

Mulieres Træzeniæ, quæ extremū hoc
Veſtibulum terræ Pelopis habitatis
Iam longo tempore noctis
Meditabar, quo pacto corrumpatur vita hominum.
Et mihi videtur nō ex mētis natura
Deterius facere. Nā quid agendū ſit
Vident multi. Sed huc ſpectandum eſt in his
Bona tenemus, et nouimus
Sed nō facimus: alij propter ignauiā
Alij anteponūt voluptatē honeſto
Aliam. Sunt autem multæ in vita voluptates
Et longæ confabulationes, et ocium iucundum malum.

Intelligis, quo pacto non fortuna, nō ortus, nō fatum veteribus incuſanda viſa ſint, tanquā nos violenter à rectitudine cognita dimouentia: et ab ijs, quæ bona eſſe didicerimus? Corrupta enim eſt, inquit, vita mortalium, non ſecundū mentis naturam, hoc eſt, non quòd mala, ex ſua natura, mente ſint præditi: ſed quòd ea, quæ bona eſſe cognouerunt, exequi nolint. Quid verò in cauſa eſt? Aut enim ſegnities, inquit, ad ocium ſectandum impulit: aut alia quæpiam voluptatū huius vitæ occurrens, inquit, et cōducibilia interturbans, ab eorum, quæ neceſſaria ſunt, proſecutione abduxit, mētemq́; dimouit, faciliorem ad ignauiam viam eſſe perſuadens. Sexcenta verò alia exēpla ex ipſorū poëtis, et quidē faciliimè adferre poſsim, ſed hæc ſufficiant. PAL. Rectè dicis. Miſſa igitur hæc, ſi videtur, faciamus. At vide, quo pacto ſapiēter tutari poteris, ſi qui fortè rogent quænam ſit ratio inęqualitatis inter nos, quòdq́; ſurſum, ac deor-

Inæqualitatis inter homines, quænam ſit cauſa.

deorſum preter meritum nonnunquã feramur. Malos enim proſperè agere, diuitijsq; affluere videas: bonos verò, ac pios, et quauis laude dignißimos ſæpenumero aduerſa pati. CYR. Ardua profectò, et perquam difficilis res, ô Palladi, atq; equidem ita ſenſerim, curioſam eius inueſtigationem humano captu ſuperiorem eſſe. Diuinis enim iudicijs cedere oportet. Et ſi rectè ſentire velimus, ſoli ſupremo, atque immortali Deo huius diſtributionis notiam adſcribentes, ad ea, quæ præ manibus ſunt, nos conferemus: quæ magno adhibito labore vix tandem aſſequimur, iuxta ſcripturas. Cum verò arbitrer oportere etiã rationis adminiculis vti, age eas aggrediamur: vanamq; in primis hanc impiorum hominum opinionem arguamus, non leuibus, parumq; firmis rationibus vtentes, ſed neceſſarijs notionibus demonſtrantes, quod humani intellectus, non ortus gubernacula tenet: neq; nobis arduum, atque ineuitabile fati iugum impoſitum eſt, ſed quòd domina in electione faciendorũ vniuſcuiuſq; mens ſit: et in nobis ſitum eſſe facere quod voluerimus, ſiue malum, ſiue bonum. Nam equidem proſperitatis, ac felicitatis modos ſtatuerim, iuxta ſacrarum literarum ſententiam, non in quibus deteſtandum, ac terrenum carnale delitiatur: ſed in ijs, per quæ anima corpore longè præſtantior, æternæ vitæ particeps eſſe poſsit. Sunt verò, arbitror, hæc, diligens virtutum exercitatio, et fidei, ac operum ſplendor. Si ergo non eſt integrum volentibus ſapienter ſe gerere, ſiue illi malis, ſiue bonis moribus ſint prædití, prodeant in medium hi accuſatores. Si autem in electione conſiſtit bene agere liberè, quæ quis velit, et in vniuſcuiuſque poteſtate ſitum eſt, felicitatem ſpiritualiter appetere, et ſupernæ gloriæ æqualiter quidam participes fieri deſiderant, ſiue diuitijs affluant, ſiue in honoribus mundanis ſint conſtituti, ne hoc nos ad impias quaſdam, et à veritate abhorrentes opiniones inducat, vt nimirum exiſtimemus nobis fati, aut fortunæ iugum impoſitum eſſe: ſed incuſet quis, ſi velit, eorum, qui diuitias poſsident, auaritiam, qui proprium quodammodo bonum faciũt, quod omnibus commune eſt, ſi auaritię rationem demas. Quin potius creatoris voluntatem diligenter inquiramus: qui cum æquali ordine noſtra diſtribui vellet, diuitibus quidem præcipit, vt diuitias, quã ſibi accumularint, diſtrahant: et in pauperum vſus diſtribuant. Honores verò, ac dignitates appetere vetat. Quod autem Deus hominibus æqualitatem proponat, facilè ex ipſa corporis conſtitutione colligi poteſt. Neq; enim natura diſcernit pauperem à diuite: non nobilem, ac illuſtrem, ab ignobili, et obſcuro: aut eum, qui in dignitate, ac ſplendore huius vitæ eſt conſtitutus, à priuato: ſed æqualis per omnia abſque vlla perſonarum acceptione procedit, ijſdem vnumquenq; partibus conſtituens, et ad perfectam formam, pulchritudinemq; deducens. Atque vna quidem eſt omnium via ad ortum, vna ad interitum. Huic quidem laqueum laxans, huic ſtringens. Cœterum durum, et ineuitabilem omni creato finem inducens. Dic itaque, difficile ne adhuc intellectu eſt, imò potius an non vnicuiq; perſpi

Deus æqualitatẽ inter homines eſſe vult.

perspicuum esse potest, diuinæ voluntatis rationem ac scopum esse, vt in æqualitate homines inter se viuant? Audi verò ipsum, si placet, per vocem cuiusdam prophetæ dicentem:

Malac. 2 *Nonne Deus vnus creauit nos? Nonne pater vnus omniũ nostrũm? Quare dereliquistis vnusquisque fratrem suum?* Si igitur creatoris voluntatem quidam infringunt, cum alioqui libero motu ad id, quod velint, faciendum ferri possint, (creator enim naturam libertate insigniuit) nihil ad rem: quandoquidem et leges, quibus regimur, quidam despiciunt. Sed nemo, vt arbitror, sanæ mentis legislatores ipsos vituperet, aut potius eos culpet, et quidem meritò, qui, quæ necessaria sunt ad vtilitatem, contemp̃serint. Quando igitur quidam delinquentes ita dicunt: Fortunæ ita visum fuit. aut, Sic erat in fatis meis, quid hoc est nugacitatis? ijs respondebimus. Cur incusatis id quod non oportet, vestram ipsorum stultitiam non culpantes? Porro diuina scriptura ijs, qui recta via insistere noluerint, inclamabit:

Prou. 19. *Stultitia hominis vias eius corrumpit: Deum verò accusabit cor eius.* Multum itaq; à vero aberrant, qui ortum, et fatum, ac fluxibilem fortunam in res humanas potestatem habere contendunt, ac non potius Deo rerum nostrarum administrationem adscribunt, dicente ipso

Matth. 10. Christo: *Nonne duo passerculi asse veneunt, et vnus ex eis non cadet in terram absq; Patre vestro, qui in cœlis est? Vestri autem capilli capitis numerati sunt. Ne ergo timeatis. Multo præstantiores passerculis vos estis.* Prospicit enim ijs, qui in terra sunt, creator, et vnicuiq; permittit facere, quod vult; et qua libuerit via incedere. Cum verò humanum genus ad errorem deflexit, Legem statim in auxilium dedit, secundũ scripturam. Damnosum igitur omnino est, ei, qui fidem in Christum susceperit, veteremq; illum errorem transierit, anilibus fabulis ad ea, quæ minimè oportet, rapi: et à sana sententia abduci: vt nimirum totum vniuersum, aut alioqui hominem à fortuna et fato, quæ planè in rerum natura non subsistunt, gubernari credant. PALLA. Damnosissimum. Nam huiusmodi omnino diuinam aduersus se iram cõcitabit. CYRIL. Quid verò, an non etiam fœdissimam, et his malis perquam vicinam revera iudicas, dierum, et horarum obseruationem, ac temporum, et anni, necnon lunaris circuli incrementa, ac decrementa? PALLA. Imò certè. Manifestissimè enim Paulus eos, qui ex gentibus saluati erant, hac de causa increpat, dicens: *Sed tunc quidem nõ cognoscentes Deum seruistis dijs, qui natura non sunt. Nunc verò cognoscentes Deum, aut potius cogniti à Deo, quo pacto conuertimini rursus ad infirma, et egena elementa, quibus rursum ab integro seruire vultis? Dies obseruatis, et menses, et annos, et tempora. Metuo vobis, ne frustra laborauerim in vos.* CYRIL. Horarum itaq; et dierum obseruatio, adijciam autem quòd et temporum eos omnino dedecet, qui vnum, ac natura Deum non ignorant, ac potius ab ipso per fidem cogniti sunt, et ad familiaritatem vocati per gratiam. Retrorsum enim vergit, omissa gloriatione in Christo, qui id facere instituit: neq; amplius

Dierũ, et horarũ, et temporũ anxia obseruatio idololatriæ proxima est, Gal. 4.

priuatæ

priuatæ mentis libertatem integram seruat: at potius stultè veteris erroris iugum subit, honorem Deo propriũ mundi elementis tribuens, et suprema omnium laude ornans ea, quæ creatoris nutu ortum acceperũt. Elementa verò mundi ait, veluti partes totius, tempora, ac menses, et eorum dimensiones per horas ac dies constituunt. Tempus enim continuum existens, et perpetuo ad vlterius motu procedens, temporum, horarum, ac dierum intercisionibus, ac reuolutionibus in idem, mensuris, ac numeris subiecit Deus. Oportebat enim, vt quæ progressus ad existendum principio non carebant, ac propemodum ad propriæ vitæ finem peruentura erant, tempore huiusmodi, incipiente inquam ac desinente, distinguerentur, per quæ ijs etiam, quę non essent, semper propria quodammodo natura constitueretur. Cum itaque nihil aliud hominibus per tempora, horas, ac dies inductum sit, præterquã quædam et quidem sola in orbem circunlatio, et exacta dimẽsio, quid est, quod quidam fabulantur, vel sola cogitatio ne ridiculum? Atq; has quidem horas boni effectrices esse volunt, has verò non item: et accurata admodum earum obseruatione nituntur: tribuẽtes ijs, prosperitatem largiri posse, aut cõtra, ijs, quibus velint fortasse, aut quibus eas accidere necesse sit. An non itaq; hæ meræ nugæ, summaq; insania est censenda, et rete quoddam diabolicum dolosè tensum? PAL. Censeo equidem, et est manifestũ. CYR. Quemadmodũ enim diximus, quòd fato ac fortunæ, alienoq; imperio nostras actiones subiacere sibi persuaserunt, superuacaneam nostram diligẽtiam esse statuentes, et à nostrarũ rerum cura abducentes, ita etiam hinc eundem nobis errorem componẽtes humanas res à diebus et horis tanquam necessario quodam iugo pendere aiunt: quodq; nulla ratione euitari posit. Atqui absurdũ hoc est, et anilis fabula. Cum verò huiusmodi nugarum vanos, ac mendaces euentus videant, ab experientia imposturam non arguunt. At cum horarũ, et dierum prauitatem distinguunt, ac de lunaris orbis decrementis eandem sententiam ferunt, quidnam dicturi sint, si quis vna, atq; eâdem hora, ac die, hos quidem summa prosperitate fruẽtes, alios verò summis calamitatibus inuolutos ostendat? Atqui quod natura malũ est, omnibus tale fuerit, qualis suapte natura comparatum est. Si igitur hora aliqua, aut dies mortalibus damnosa est, cur non ex æquo dãnum cum omnibus cõmunicat? Sed his quidem ex animi sententia omnia succedunt: hi verò extremis malis pressi mundi fabula facti sunt, et tragicæ scenæ argumentum præbuerũt. Atqui ij, qui id, quòd maximè conducibile est, scire, et præstare conãtur, videant vno, eodemq; die, ac hora quosdam adulterij, aut cædis causa acerbas iudicibus pœnas luere: quosdam verò summa temperantiæ, modestię, probitatisq; laude florere. Sed neque intemperãtem impediat dies aut hora, quominus temperans sit: neq; rursus continentem, ac modestum incitet ad insolentiam, et effrenes voluptates: mens verò potius libera ad quiduis, et remissior inclinatio, hunc quidẽ in illo statu, hunc verò in hoc constituit. In nobis igitur, non autem in naturalibus temporum qualitati-

bus, situm est, rectè animo constitutum esse, aut cōtra. PAL. Ita videtur. CYR. Quintam autem præcipuè, et octauam diem metuunt: et pretextus quosdam peccatis suis prætendunt, nullūq; absurditatis genus pretermittentes, frigidis aniliibusq; rationibus fluctuant. Erinnium enim quarundā ortus et dæmonum: ac quæ reliquis atrociora sunt, pœnas, atq; supplicia: aliaq; nugaciter his implicantes, non erubescunt miseri. Si verò decrescat lunaris circulus, qui antea integer, ac plenus erat (nam ita menstruis spacijs eius circumuolutio peragitur, decrescendo, et crescendo iuxta eius, qui eam creauit voluntatem) abstinent quidem ab omni opere: et profectiones in vniuersum suspendunt, existimantes vnà cum elemento res etiā nostras decrementum accipere, lunarisq; circuli imminutione humana quoq; simul absumi. At si oportet huiusmodi hominum ignorantiam irridere, dicamus eos timorē, qui ostreis, et vilissimis oleribus conuenit, in se suscipere. Hæc enim corpora, aut alia etiam his maiora, ac præstantiora naturaliter lunæ damna consentiscant, ratione creatori cognita. Periculosa enim est harum rerum inuestigatio: præstatq; parùm in his curiosum esse. Longè enim hæc ab intellectu humano sunt remota. Si enim decrescit fortè elementum, idcirco nihilominus erit mens prudens, ac diligens, bene constituta: neque illius splendoris imminutioni communicabit: neque rerum natura ad peius, aut melius vi elementi transfertur. Comitatur enim perpetuò eos, qui bene agunt, omnis boni perceptio: malorum verò perpetratores, ea, quæ ipsis maximè conueniant. Miror autem, quòd decrescente luna, et ad mensis finem labente, ipsis fœnora exercentibus, turpemq; quæstum facientibus vsuræ crescant, et marsupia eorum impleantur: cum alioqui vnà cum elemento reliquas etiam res attenuari, ac necessariò debilitari, nescio quo pacto sibi persuadeant. An non igitur hæc ridicula, summæq; imperitię plena esse censes? PAL. Omnino. CYR. Superuacaneū igitur, arbitror, cum ijs, qui adeò nugaciter errant, multis rationibus agere. Nam ex ipsismet, nemine dicente, eorum opinionis deformitas se prodit. Ad illud potius procedamus. PAL. Ad quid obsecro? CYR. Odisse mihi videtur Satanas quintum, et octauum diem, Lunæq; ex plena recessum, siue coniunctionis tempus; hoc est, decimum quartum, huiusmodi de causa: tametsi is, vt est versutus et vafer, alias dolo suo causas prætexat. Tempora enim illa, siue dies, quibus illum à tyrannide, quam in nos exercebat, excidere contigit, exorto nobis in humana specie vnigenito, ne cogitatione quidem comprehendere sustinet. PALLA. Quo pacto ais? CYRIL. Nonne Palladi, quintum nobis cōputatur tempus aduentus Christi? PALLA. Intelligo, quid velis, ex euangelica parabola. * Exiuisse enim, ait Christus, operarios in vitem suam conducturum sub horam primam, tertiam, et sextam, et nonam, et vndecimam: * hoc est, in extremo tempore, quo apparuit, atque illuxit nobis. CYRIL. Prudenter admodum, et rectè dixisti. Quid verò? Nonne quinta sabbati traditum ipsum fuisse dicemus, et vniuersam admini-

Temporū obseruatores quintam et octauā pręcipue diem metuunt.

Satanas, cur quintum, et octauum diem, et tēpus cōiunctionis lunaris oderit.

Quintū tēpus aduentum Christi significat. Matth. 20.

Quinta sabbati Christus traditus.

administrationẽ noſtræ ſalutis exorſum, per quã omnes ſaluati ſumus, ſalutarem pro nobis crucem perferẽte, qui ꝓpter nos homo factus erat? PAL. Optimè. CYR. Deuicit autẽ mortem, reuixitq; rurſum vaſtato inferno: an non octaua die, hoc eſt, vna ſabbatorum? PAL. Dubium nõ eſt. CYR. Atqui vetus lex circũciſionem in carne, præfigurationem quãdam eius, quæ in ſpiritu, et veritate futura erat, deſcripſit ad octauam diem. Circunciſio autem veteri illa multo præſtãtior, hoc eſt, in ſpiritu, Spiritus ſancti participatio eſt et gratia principalis, quam, quandoquidẽ à mortuis reuixit Christus, nobis in-
Ioan. 20 ſtaurauit, dicens: *Accipite Spiritũ ſanctum,* Paulus verò etiam alibi
1. Cor. 5. dixit, quòd *paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Porrò dies ſalutaris huius, optatiſsimæq; immolationis, decimaquarta lunæ fuit. Sic etiam Lex manifeſtè Saluatoris noſtri immolationis tempus prædixit, quam pro mundi vita ipſum ſuſti-
Exod. 12 nuiſſe dicimus. *Decima enim, inquit, menſis primi accipiant vnuſquiſque agnum per domos familiarum iuxta numerum, inquit, animarum colligent: ſeruabiturq; vſq; ad decimam quartam menſis huius: et immolabunt eum ad veſperam omnis multitudo filiorum Iſraël.* Audis, quo pacto decima menſis aſſumpta victima à veteribus in decimam quartam diem aſſeruabatur, vt quintum tempus intelligas, quo, factus homo, mortem pro nobis eſt perpeſſus, deficiente iam luna, quæ in noctis imperium conſtituta eſt? Myſterij autem, res hæc typus eſt, ac ſubindicare videtur tyrannidis diaboli imminutionem, et occaſum quodammodo breui futurum ad imbecillitatem, ſummamq; impotentiã. Lunæ verò typus ei non malè quadrat. Nã et ipſe noctis præfectus eſt; hoc eſt, eorum, qui adhuc in tenebris, et caligine verſantur, neque adhuc diuinæ cognitionis ſplendorem ſuſceperũt. Quòd autem ſacræ ſcripturæ cõſuetudo ſit, eorum, qui adhuc errãt, turbam, nocti cõparare, audi quid omnium Dominus Iudæis dicat, cum Ieruſalem ad idololatriam relaberetur: *Nocti aſsimilaui matrem tuã. Factus eſt populus meus quaſi non habens intelligentiam.* Intelligis, quo pacto noctem vocet eos, qui adhuc veræ, et ſecundùm naturam exiſtentis deitatis cognitionem nõ ſunt conſequuti? Odit itaq; cõmunis omnium hoſtis tẽpora, ac dies, quibus ipſe perijt, nos autem ſaluati ſumus. Qui verò vnà cum ipſo odit, portionis ipſius particeps eſt futurus, pariterq; cum ipſo æterno ſupplicio afficietur. PAL. In parte igitur reuera profanæ, Deoq; odioſæ idololatriæ eiuſcemodi etiã collocabimus, quẽadmodum etiã fortaſſe falſam illam de ortu opinionem. CYR. Quàm rectè noſti rem aliter ſe habere nõ poſſe, ſicut et ipſa rerũ probatio arguit. Abhorrendũ pręterea eſſe ab augurijs, et incãtationibus. Nõnulli enim Græcorũ in tantã mentis leuitatem venerunt, vt cogitarint rerũ humanarũ cognitionẽ auibus aërem peruolãtibus incumbere: ideoq; earum volatus ortum, aut occaſum verſus, aut dextrorſum ne, an ſiniſtrorſum fiant, curioſè, anxieq; inquirunt. Et ſi fortè cornicis garritum audierint, auribus eum excipiunt: et tanquam ve-

Christus decima q̃rta luna immolat⁹.

Agnus decima mẽſis acceptus, et ad decimam quartam diem ſeruatus, atque ad veſperã immolatus, quid ſignificet.

Sacra ſcriptura errantes nocti cõparat.

Auguria et incãtationes execrãda.

verissimo quodam oraculo accepto læti domum se conferunt. Neq; pudet interim, huiusmodi perditos homines adeò venerandæ prophetiæ potestatem auiculis tribuere. Ingentem verò honorem ijs exhibendum esse existimant. Nam per ipsas, inquiunt, apparent dij. Nos autē deos non esse dicimus apostatas angelos, à quibus in vos boni atq; admirandi illi prophetæ designati sunt, et futurorum periti, garrula nimirum cornix, aut pernix accipiter, aut celeres columbæ: digni certè prophetæ ijs, qui in ipsis hæc ludicra vobis resonāt. Beati verò vos, atq; æmulatione digni, qui eiusmodi Deorū interpretes sitis nacti. Atqui parum, vt videtur, meministis, cum alioqui poëtarum vestrorum sententias mirari soleatis, ipsos etiam hanc rem irrisisse, et pro nugis duxisse, nihilq; necessitatis habere. Homerus enim alibi ita ait.

ὦ πέπον, οἰωνοὺς μὲν ἔα
εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶτ' ἠέλιον τε,
εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ, τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Hoc est.

Ó stulte, omitte curam auium,
Siue ad dextram volēt ad auroram et solem,
Siue ad sinistram, et occasum tenebrosum.

Euripides verò apertè declarat, quā vanum, ac friuolum sit auium volatus consulere. Theseum enim Hyppolito filio suo irasci, inquit, et patria expellere conari. Illo autem dicēte.

οὔθ' ὅρκον, οὔτε πίστιν, οὐδὲ μάντεων,
φήμας ἐλένξας ἄκριτον ἐκ βάλλεις μεγῆς.

Hoc est.

Neque iusiurandum, neque fidem, neque vatum
Dicta explorans, eijcis me terra indemnatum.

Theseum ad hoc ita respondere.

ἡ δέλτος, ἡ δὲ κλῆρον οὐ δεδεγμένη,
κατηγορεῖ σου πιστά. τοὺς δ' ὑπὲρ κάραυ
φοιτῶντας ὄρνιθς πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Hoc est.

Hæc tabella non recipiens sortem,
Verè accusat te. Istas verò supra caput
Volantes aues nos curo.

Sed sciebat omnino Theseus aues caput superuolantes nullius planè momenti esse. Nequaquam igitur dæmonibus futurorum cognitio est tribuēda, meraq; impostura diuinatio ex auibus est censenda, et fides huiusmodi rebus adhibita, manifestum argumentum est mentis minimè sanæ. Atque ita Lex ipsa alibi inquit: *Ne auguramini:* execrabilē rem esse sciens, Deoq; omniū moderatori summopere odiosam. PAL. Hæc ita se habere mihi etiā videtur. CYR. Incantatio verò rursum, ac clancularius hic, et anilis stridor etiā præstigiaturæ pars, ac species sint. Idcirco diuinus Moyses supernas nobis leges explicauit, cōiungens semper hæc vitia, ac sororem quodammodo, siue cognatam statuens veneficio incantationē. *Non enim erit, inquit, in vobis vaticinans vaticiniū: non diuinaculos consulens, neque qui ariolos sciscitetur: nō veneficus, non

Leuit. 19

Incantatio, et veneficiū, cognata inter se.

Deut. 18.

non incantator, non prodigiorum interpres, non ventriloquus, et consulens mortuos.* Incantatio itaque turpiſsima res eſt, ſummoq; malo plena. Quidam verò in illam labuntur, neſcio quo pacto dicẽtes, quòd Dominum ſabaoth nominant incantantes infirmis harum rerum procuratores: ideoq; ſtabilire contendunt, nihil in hoc inſtituto turpitudinis cõtineri. At videre eſt, quàm frigida, atque imbecilla ratiocinatione ad errorem inſaniãq; mentis abripiantur. Nam hoc ipſum eſt, quod in ea re maximè intolerabile eſt. Nos enim hanc vocem, Dñs Sabaoth, Deo totius vniuerſi ſuccinimus, glorificare eum volẽtes. Nemini verò præterea in rerum natura huiuſmodi appellationem tribuimus. Vnus enim, ac ſolus eſt Dominus exercituum. Iſti verò adeò ſupereminentem, et glorioſam appellationem, ſiue honoris delationem facilè cuiuis colludẽtium ipſis dæmonum accommodant: et gloriam Deo, ac quidem ſoli conuenientem ſuis prodigiorum interpretibus adſcribunt, adulantes, et adulationibus capti: atque adeò grauis impietatis exuperantiam, cui libitum ipſis fuerit cœtui tribuentes ad retributionem. Deo enim repugnãs ſemper, et gloriæ cupidiſsima eſt dæmonum caterua. Oportet itaq; nos illorum fraudibus minimè abduci: at potius quàm longiſsimè diſcedere, neque malis medicis, aut prodigiorum interpretibus dæmonibus obtemperare: qui tanquam mercedem quandam ſuorum in nos ludibriorum, noſtram ignominiam exigunt. Tu verò, ſi quod tuorum mẽbrorum malè habet, et verè credidiſti, quòd Dominus Sabaoth, aliæq; huiuſmodi appellationes, quas ſacra ſcriptura Deo naturaliter exiſtenti tribuit, mali tui ſolutrices ſint futuræ, ipſe pro te ipſo ſupplicans, voces eas inclama. Melius enim, quàm illi, feceris, Deo gloriam adſcribens, non autem immundis illis ſpiritibus. Meminerim verò etiam ſacræ ſcripturæ dicẽtis: *Infirmatur quis inter vos? Acceſſat præsbyteros eccleſiæ, et orent ſuper eum, vngẽtes eum oleo in nomine Domini: et obſecratio fidei ſaluum faciet laborãtem, et eriget eum Dominus. Et ſi in peccatis fuerit, remittẽtur ei.* PAL. Auguratio itaq;, et incantatio annumerentur, ſi videtur ijs, quæ ex Lege reprobata ſunt: quæq; Deus ſummopere odit, atque execratur. CYR. Omnino. Quin et hoc adiecerim, quòd et alijs modis Deum ignominia afficiamus, impietatisq; in eum rei fiamus, peierare volentes, et infame quid, atq; abſurdum aduerſus ſupremam illam gloriam dicẽtes. Hoc enim grauiſsima Dei ira, et intolerabili pœna mulctatur, abſumente falce, quemadmodũ ſcriptum eſt, periuri domum, atque in vniuerſum ſubuertẽte.* Egredietur enim, inquit, in domum furis, et in domum iurantis in nomine meo falſa: et requieſcet in medio domus eius, et conſumet eam, et ligna eius, et lapides eius.* Alterutrum quidẽ, mori debere, et omnium grauiſsimã pœnam ſuſtinere. Cauendum itaq; eſt à periurio, ac potius nulla ratione iurandum eſt. Hoc enim nos docuit Saluator, dicens: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non nõ. Quod verò vltra hęc eſt, ex diabolo eſt.* Neque enim vlla ratione iuramento indigent, qui

Incantatores Deum Sabaoth nominant, pietatem ſimulantes.

Iacob. 5.

Periuriũ Deo odioſiſsimũ.

Zacha. 5.

Iurandũ non eſt.

Matth. 5.

probitatis opinionē sibi conciliarūt, et familiarem sibi quodammodo virtutem fecerūt. Huiusmodi enim hominum vitā pietatis amatores summo honore prosequuntur, fidemq; derogari oderunt: et si quid fortè dicat, cōmuni auditorum assensu, ac fide comprobatur. Si ergo honestā, laudabilemq; vitam egerimus, nulla planè, vt equidem arbitror, fuerit iuramenti necessitas. Si verò aliquando in eos incidere contigerit, qui sanctorum honorem paruifaciunt, per Deum iusiurandum concipiatur, nō verò aliorum quorundam nomen vsurpetur. Nonnulli enim incircunspectè in absurdam quandam vanitatem abrepti, nullo discrimine facto à creatore, per celum, per iustitiam, per Nemesim dicentes, per lucē, per lucernam, aliaq; id genus pro suo arbitrio colligentes, etiam pios se esse existimant, diuinum quidem nomē reijcientes: et ea, quæ diuinæ gloriæ conueniunt, tribuētes ijs, quæ ipsius nutu ad ortum sunt vocata. Huiusmodi quodam errore Israëlitas olim laborasse comperiemus. Vnanimiter enim in Ierosolymis templum Deo ædificarunt, multumq; hac de re elati, et ad summum pietatis fastigium se peruenisse cogitantes, atque admirandam summopere gloriam consequi eorum, quæ à Moyse ipsis promissa erant, parui æstimantes, inconsideratè capti sunt. Quòd verò ea res paruæ laudi ipsis futura esset, quòdq; Deus eiusmodi ex lapidibus ædificatione minimè oblectaretur, docuit, dicens: *Cœlum mihi sedes, ac terra scabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi? Et qualis locus requiei meæ.* Implet enim omnia Deus, et requiescit quidem in cælo: pertransit autem etiam super terram. Neque enim diuinitas quantitate circunscribitur, sed quemadmodum lōgissimè abest à visione corporali, ita etiam ab eo, vt loco, et quantitate terminetur. Cum verò Iudæi semel ipsum dicentem audissent: Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum, ad cogitationes parum sanas conuersi, per cœlum iusiurandum conceperunt, diuinum thronum illud vocantes. Similiter verò etiam per terram, tanquam sub Dei pedibus sitam, necnon per Ierusalē, ciuitas enim Dei est, dicebāt. Atqui veteriores sancti, Viuit Dominus, iuramēti loco vsurpabant. Cœterum Iudæorum vanissimam opinionem Saluator ipse reprobauit, nequaquā iurandum esse dicens, *neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum ipsius: neque per Ierusalem, quia ciuitas magni regis est.* Quæ enim illi nugantes dixerunt, hæc Saluator ipse vtiliter protulit, fictitiam illorum, ac nescio vnde petitam in his pietatem omnino arguens. Absit itaque à nobis etiam hoc in genere error. Docti enim sumus quotiescūque iureiurando opus fuerit, nullius alterius vnquam meminisse: quin potius eiusmodi nos pręstare, vt, est, est: non, non, fidem mereatur. Porrò Lex etiā ita ait: *Si perditū fuerit id, quod apud aliquem depositū erat, et is, qui dederat, iuramentū exegerit, Dei iuramentum inter vtrumq; interponatur. * Et homines quidē per eum, qui maior est, iurāt.* Ita enim nobis sapientissimus Paulus innuit.

Maius

Cum iurandum est, per solū Deū iurandū est.

Esai. 66.

Diuinitas quātitate non circūscribitur.

Iudęorū iuramenta vanitatis plena

Viuit Dñs, formula iuramēti.

Matth. 5.

Exod. 22.

Heb. 6.

Homines, per eum qui maior est iurare debent, quid significet.

Maius autem esse dicimus, (homine rectè sentiente) non quòd magnitudine fortasse, aut prudentia, ac sapiētia, et gloria excellit, sed quod huiusmodi esse nobis præstat. PAL. Non intelligo, quod dicis. CYR. Atqui Palladi, clarus, vt mihi quidem videtur, et manifestus est sermo. An nō enim multa ex rebus creatis humana corpora incomparabiliter magnitudine superare dicimus, vt et cœlū? PAL. Omnino. CYR. Prudētia autem, ac sapientia, et gracilitate corporum nōne præcellunt angeli? PAL. Præcedunt certè: sed et honore. CYR. Splēdore verò, et gloria, corporali inquā, nonne longè præstantior est solis natura. PAL. Est profectò. CYR. Constat itaq;, singula hæc verisimiliter, vt ad nos, præstantius quid in se habere, quo nos superēt. An verò id circo per hæc iusiurandum concipiemus, prætermissa tanquam superuacanea Dei mētione? PAL. Nequaquam. CYR. Videtur itaq; secundum naturam superior, totaq; essentia creatis præstantior, hoc est, Deus, homine maior dicendus. PAL. Rectè ais. CYR. Sit igitur ijs, qui rectè vitam instituere volunt, iuramēti vsus, ac vis, Ita: et Nō: recteq; confirmetur. Ita enim fiet, vt fides necessario adhibeatur. Si verò quispiam hoc, Ita: et Non, nihili fecerit, conuertatur deinceps iuramenti vsus ad id, quod maius est, quàm nos, aut quæuis creatura. Blasphemia autem, qua in re consistat, nunc dicam: et in quæ mala præcipitet ea vtentes: quam quidē acerba morte vetus etiā Lex mulctat. Et Christus ipse inexplicabilibus, ac perpetuis malis damnauit. *Qui enim dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur ei. Qui verò dixerit aduersus Spiritū sanctum, non remittetur neq; in præsenti seculo, neque in futuro.* Spiritum dicens naturam supra corpus, quæ est Deus: aduersus quem, qui effreni lingua debacchari ausus fuerit, intemperantis linguæ fructus metet. *Labia enim insipientis ducunt ipsum in mala (quemadmodum scriptum est.) Os autem eius audax, mortem accersit.* Idcirco et diuinus ille Psalmista inquit: Pone Domine custodiam ori meo, et ostium munitionis circa labia mia. Non declines cor meum in verba malitiæ. Sunt verò hæc, aduersus ineffabilem, atq; immortalem Dei naturam impijssima obmurmuratio. PAL. Oportet itaq; pulchrè confirmatos esse, rectā ad inculpatam vitam cōtendentes, Deum verò offendere nequaquam sustinentes. CYR. Ita censeo. Ad eos enim, qui non ex syncero corde, sed suspecto, et corrupto Deum accedunt, facileq; ad mollitiem, ac defectionem labuntur, Propheta ita ait: *Quousque tandem claudicatis in ambobus poplitibus vestris? Aut Baal, Baal? Aut Deo, Deo.* Nam neque in vniuersum syncera fide præditum esse: neque planè errare, in vtramq; partem claudicare est. Causam verò eiusmodi, debilis, fragilisq; mentis esse arbitror, fictitia quadam, et non vera Dei dilectione præditum esse, ac Christianam quidem vitam præ se ferre, non autem ex toto corde id facere, quodque reuerentia veritati debita confirmati non sint: neque id, quod rectè habet, honore prosequantur: sed aut ex voluptate quod ipsis videtur sectantes, aut ob periculi metum, aut alicuius calamitatis incursum

Deus solus homine maior dicēdus.

Blasphemia qua in re consistat.

Matth. 12.

Eccles. 10.

3. Reg. 18

Claudicare in vtrāq; partē, quid sit. Et quænam huius rei causa sit.

incursum ad fidem accedunt, vt multos habeant certaminis socios: et priuatam suam curam fœnerant. Cœterum pessima huiusmodi hominum conditio, vilissimaq; sors est futura. Contemptissimi enim, abiectissimiq; et vixdum id consequentes, vt vita digni habeantur, deprehendentur, Deo nimirum, quæ in nobis occulta sunt, perscrutante: cuiusmodi quidam Gabaonitæ olim extiterunt. Accesserũt enim ad Iosue, vtq; eos populo Dei adscriberet, vehementer orabant. Cęterum non absq; dolo, ac fraude eiusmodi societatem moliebantur. Neq; enim simpliciter, ac syncerè, et veluti præ amore, quo erga Deum afficiebãtur, accedebant: sed simulatè, ac subdolè. Et quidem initio latuerunt. Posteaquam verò deprehensi sunt atrocia flagitia committentes, et eorum praua mẽs prodita est, ad infima sunt redacti. Lixæ enim, et calones totius congregationis sunt effecti. Vides itaque quonã deducat simulatio, et nolle tota mente cõsuetudinem cum sanctis amplecti? Decipiunt enim aliquãdo nonnulli, nulla vero ratione Christum omnium conscium: sed eos, qui Christi typus sunt, hoc est, populorũ antistites, quemadmodum et illi tunc temporis, Iosue in similitudinem, ac præfiguratione Christi propositum. Et ingrediuntur quidem fraudulenter adumbrati profunditate ratiocinationum, mentisq; suæ prauitati hypocrisim prætendentes: cogniti verò (latere enim impossibile est) ægre saluabuntur, seruilem, atq; infimam sortem habentes. Illiberalis enim, atque seruilis animi fraus fructus est. Nos verò ad cogitandum integrè ea, quæ Dei sunt, intenti, reliquis omnibus neglectis, adhærebimus proprio Domino, ac Deo vniuersorum ex syncero corde, et recta mente, atq; ex perfecta dilectione, duplicitatem nequaquam sustinente, discedente verò omnino à moribus, et cogitationibus Græcanicis, longissimeq; semota ab ijs, quę ex Lege damnata sunt. Hac enim ratione perfecti futuri sumus coram Domino Deo, sicut scriptum est, et illustres, ac gloriosi cum alijs sanctis in Christo, per quem, et cum quo Patri gloria cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Gabaonitæ pietatẽ simulantes a Deo puniti sunt.

Fraus illiberalis animi fructus est.

Explicit liber sextus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPIſcopi Alexandrini de Adoratione in ſpiritu, et veritate.

Liber ſeptimus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

De dilectione erga fratres.

CYRILLVS.

CVm Lex ô Palladi ſummis laudibus efferat primum, ac ſupremum mandatorum, nimirum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis:* cumq; adijciat: *Et proximum tuum ſicut te ipſum:* Chriſtoq; ipſo manifeſtè dicente, quòd in his duobus præceptis Lex, et prophetæ pendeant, et impletionem Legis dilectionem vocante etiã diuino Paulo, ideo quòd proximo malum non operetur: de priore quidem, vt mihi videtur, ſatis copioſus ſermo, pro eo ac fieri potuit, habitus eſt; vltra citraq;, et veluti in orbem circũactus, neque obſcurè declarans, quænam ſit ratio ac modus perfectæ noſtræ, planeq; irreprehenſibilis erga Deum dilectionis. Age igitur, vicinum ac cognatum huic præceptum inquiramus, et amoris erga proximum accuratam conſiderationem inſtituamus, ſtudioſeq; inueſtigemus, per quæ quis virtutis ſummam ſit adepturus. Porrò qui ſolertiæ in hoc adhibitæ optimam gloriam conſecutus fuerit, in bonitate incedet cum Deo et hominibus, iuxta diuinũ Samuel. Ego enim ita cenſeo, dilectioni erga Deum eam, quæ erga proximos eſt, aſſeclam eſſe debere: adeò, vt qui altera harum careat, vtraq; careat, iuxta Ioannis vocem. Ita enim ſcriptum reliquit: *Si quis dixerit: Diligo Deum, et fratrem ſuum odeRit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem vidit: Deum, quem non vidit, quo pacto poteſt diligere? Hoc præceptum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat et fratrem ſuum.* Vtraque itaq; ſimul perit, aut ſimul ſubſiſtit. Vicinæ enim quodammodo inter ſe ſunt, et tanquam indiuulſæ bigæ, in vnam quandam elegantiſsimam, perfectiſsimamq; pulchritudinẽ pietatis erga

Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12.

Gal. 5. Rom. 13.

Dilectio Dei a dilectione proximi ſeiungi non poteſt.

1. Ioan. 4.

erga Deum, eum, qui optimè eas moderari contenderit, deferunt. PAL. Rectè ais. Et quandoquidem in his rursum desudare statuisti, super singulas res propositas, et sacris scripturis probationes colligens, ostende quanam tādem ratione dilectio erga proximū syncerè perfecteq; impleri possit. CYR. Varia, ac multiplex via nos ad hoc deducit. Scriptum est enim:

Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis.*

Lex regula rerum agendarum. Regulā verò atq; artem, qua, in vnaquaq; re facienda, vti debemus, non aliunde quis, vt arbitror, petat, quàm ex Lege. Datam enim nobis eam esse in adiumentum propheticus sermo testatur. Porrò ad assiduam mādatorum Legis memoriam tenēdam nos

Deut. 11. excitans legislator, inquit: *Et ponetis verba hęc in cor vestrum, et in animam vestram, et suspendetis ea in signum in manu vestra, et erunt immobilia ante oculos vestros. Et docebitis ea filios vestros, vt loquantur illa sedētes in via, et cubantes, et surgentes. Et scribetis illa in liminibus portarum vestrarum, vt multiplicentur dies vestri, et dies filiorum vestrorum in terra, quam iurauit Dominus patribus vestris daturum se illis sicut dies cœli super terram.* Quid verò sit, Et suspendetis ea in manibus vestris, in Numeris apertè declarat. Ita enim scri-

Num. 15. ptum est: *Et loquutus est Dominus ad Moysen dicēs: Loquere filijs Israël et dices ad eos: Et faciāt sibi fimbrias super alas vestium suarum in generationes suas, et imponetis super fim-

Vitta hyacinthina Num. 15. quid significet. brias alarum vittam hyacinthinam, et erit vobis in fimbrijs, et videbitis eas, et recordabimini omnium mandatorum Domini: et facietis ea, et nō conuertimini post cogitationes vestras, et post oculos vestros, in quibus vos fornicamini post illos, vt recordemini, et faciatis omnia mādata mea, et eritis sancti Deo vestro. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Aegypto, vt essem vester Deus, ego Dominus Deus vester.* Cum itaq; prius iussisset, vt Legem in cordibus nostris describeremus, deinde sciens quàm grauis morbus mentis sit obliuio, tanquam in tabula, in limine præcepta describi oportere inquit. Quin et à dextra manu suspendi tabellas, Legē quodammodo parturientes, et oracula inscripta habentes, imò et ab ipsis vestibus appendi, non parum vtile fore, inquit, et fimbrias, et hyacinthinum. PAL. Atqui quo pacto nobis diuina præcepta in memoriam reuocarint fimbria, et vitta hyacinthina? CYR. An non legem veteribus figurate, et veluti in vmbris locutam censes? PAL. Censeo. CYRIL. Figuratè itaq; docemur, vt celestia velimus, et cogitemus, ac faciamus: et supernorum mandatorū memores simus per fimbrias, vittæq; hyacinthinæ è manu suspēsionem. Lapidi enim Indico, (hyacinthino inquam) æthereum corpus comparatur, quod ex splendore, et obscuritate sit mistus, et in profundo aquosam speciem habens, tremulum verò, ac fusile quid prę se ferens. Lex itaq; vestibus, et manui vittam hyacinthinam appendi œconomicè præcepit, innuens quodammodo: Sit tibi vestis mentis, et pallium intellectus rationale ex cœlo, ac operū dextræ designator Lex. Operis enim symbolum, manus. Quæ verò legaliter à nobis fiunt, irreprehensibilia planè sunt: et, quod in prauitate sinistrum est, non habet. Amplificarunt itaq; Pharisæi

Phylacteria quid ſint.

Pharisæi fimbrias ſuas, et phylacteria dilatarunt, hoc eſt, tabulas dextræ appenſas. Cœterum irriſi ſunt à Chriſto, quippequi id potius laudis ſtudio, quàm in memoriam Legis facerent.

Legis obſeruatio quo pacto aliquando damnoſa ſit.

Fit itaq; vt etiam legitimè præuaricetur quis, ſi non rectè Lege vtatur. Atque hoc quidem eſt, vt arbitror, quod Solomon inquit: *Eſt iuſtus, qui perit in iuſtitia ſua.* Inſcribendam itaque eſſe diuinam legem in mente, et corde: reiq; vtilitatem manifeſtè ob oculos ponens diuinus Dauid, inquit de omni iuſto: *Lex Dei ipſius, in corde ipſius: et non ſubuertentur greſſus illius.* Manifeſtum enim eſt, quod cuius menti diuina lex inſculpta fuerit, firmitas etiam, ac virtutis gloria ſint comitatura. PAL. Ita eſt. CYR. Longa igitur, atq; aſsidua Legis meditatio ad rectũ deducit: (Hoc verò eſt id, quòd Deo placet,) veluti turbinẽ quẽdam, ac nebulam ab humana mente obliuionem diſcutiens. Sed ne in his quidem legiſlator ſubſiſtit: ſed melius quid adinueniens, veluti eſcam quandam proponit omnium, quæ humanis votis optabiliſsima ſunt, potiundi ſpem, ſi in hoc ſtrenuè laborauerimus. Ait enim rurſum: *Si in præceptis meis ambulaueritis, et mandata mea obſeruaueritis, et feceritis ea, dabo vobis pluuiam in tempore ſuo, et terra dabit germina ſua, et ligna camporum reddent fructum ſuum. Et apprehendet vobis tritura vindemiam: et vindemia apprehendet ſementem: et comedetis panem veſtrum ad ſaturitatem: et habitabitis cum ſaturitate in terra veſtra: et dormietis, et nõ erit vos exterrens: et perdam beſtias malas ex terra veſtra.* Vides quanta cura, quantaq; benignitate dignetur bonos, ac laborem minimè detrectãtes, quiq; Legem reuereantur? Matutinã enim, et ſerotinam pluuiam fertilitatemq; aſsiduam, panis abundantiam, et annonæ affluentiam, ac præterea pacem ſe illis largiturum promittit.

Eccleſ. 7

Pſal. 36.

Legis aſsidua meditatio ad rectũ deducit.

Leuit. 26

Promiſſiones Dei Legis obſeruatoribus propoſitæ.

Syncerum enim Legis obſeruatorem atq; eorum, quæ Deus præcipit, inexplebilem amatorem, cęleſtium bonorum vbertate luxuriare par eſt. Nam iuſti animam, veluti terrã pinguem, ac fertilem, conſolatio ſpirituals, ac ſupernæ pluuiæ inſtar irrigans affatim lætificat, vt indeſinentes, et multiplices pietatis in Deũ fructus edat. Pax verò coronat, boni perſeuerãtiam inducens. Scribit itaq; etiam Paulus: *Et pax Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, cuſtodiat corda veſtra, et ſenſus veſtros per Chriſtum Ieſum.* Qui ergo huiuſmodi honorẽ à Deo conſecutus fuerit, quietam, tanquillamq; vitam deget, cedente inimico, et corruente: inq; nihilum redacto quouis aduerſario, diabolicis etiam inſultibus planè irritis effectis, atque omni metu facilè ſublato. Eandẽ verò hanc legem etiam in Deuteronomio ſcriptam inueniemus. Ait enim ibi paucis mutatis: *Si autem auditu audiueritis omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt ames Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, dabit tibi pluuiam in tempore ſuo, matutinam et ſerotinam: et colliges frumentum tuum, et vinũ tuum, et oleum tuum, et dabis pabula in agris iumẽtis tuis.* An non igitur modum, atq; artem implendi ea, quæ Deus vult, Legis meditatio animis noſtris inculcat? Sudorem verò, qui pro virtute ſuſcipitur, tolerabilem, ac iucundum facit

Philip. 4

Deut. 11.

cit promiſsionum percipiendarum deſiderium. PALLA. Verè, atque equidem meritò aſſenſerim. Dilectionis verò erga proximum legem, quanam ratione quis ſit adimpleturus, tempus fuerit dicere. CYRIL. Aggrediamur itaque hanc rem. Et quidem dicimus ſacram ſequentes ſcripturam, quod Moyſi præcepit Dominus, vt expiaretur populus, et ad montem, Sina vocatum, purus, riteq; mundatus conueniret. Ablui enim debere veſtes, vtq; à mulierum congreſſu per tres dies abſtinerent, præcepit. Splendidis enim quodammodo veſtibus, ac virtutis gloria fulgentes, mentisq; puritate conſpicuos, et ab omni voluptate, ac terrenis inquinamentis liberos in conſpectum Dei prodire conuenit, inſtruente nos ad hoc Lege, quemadmodum etiam veteres Moyſæ. Figuræ enim erant illa veriorum: et quæ per Moyſen veteribus fiebat inſtitutio, figura erat inſtitutionis legalis deducentis ad Chriſtum. Sed hoc etiam animaduerſione dignum eſt, quòd vultus, ac facies eius, qui inſtituere debebat, in Moyſis facie obſeruatur. Neq; enim ſibi ipſi populum ſiſtit, ſed Deo quodammodo legiſlatori, ac magiſtro, et agendorum interpreti. Adduxit verò etiam nos, non ſibi ipſi per literam pædagogus exiſtens Lex, ſed ei, qui propter nos è cœlo deſcendit Deo verbo. An ne tibi per veritatis veſtigia ſermo procedere videtur? PALLA. Omnino. CYRIL. Scriptum igitur eſt, quòd *eduxit Moyſes populum in occurſum Dei è caſtris, et aſtiterunt ad

Dilectionis erga proximũ lex, quo pacto adimpleatur.

Lex non ſibi nos ſolũ aſsiſtit, ſed Chriſto.

Exod. 19

montem Sinai. At mons Sinai fumabat totus, quia deſcenderat Deus in illum in igne. Aſcendebat autem fumus tanquam fumus fornacis, et ſtupuit omnis populus valde. Factæ ſunt autem voces tubæ procedentes fortiores valde. Moyſes loquebatur, Deus autem reſpondebat illi voce.* Quod igitur in montem deſcenderit Deus, manifeſto argumento fuerit, ipſum mentibus humo depreſsis minimè ſuperuenire, neque in ijs immorari, qui terrenis, vilibusq; cogitationibus vacant, ſed quorum mens ad alta contendit, et tanquam in ſummo faſtigio conſtituta, humana deſpicit, ſolumq; de Deo cogitat. Aliter verò etiam ſignificet, quòd excelſa ſit, longeq; ſupra nos cognitio de Deo: ſolisq; ijs, et quidem ex parte comprehenſibilis, qui ſublimes volare nituntur. *Pulli enim vulturis altè volant,* ſicut ſcriptum eſt. In hoc ipſo verò intellige, quòd deſcẽdit Deus veterem priſcis illis legem præſcripturus, non vbi erat populus, ſed ex alto, et longè. Procul enim adhuc remotus erat, iuxta Pſalmiſtæ vocem, cum nondum carnaliter nobiſcum factus, neque ad exinanitionem ſeipſum demiſiſſet Vnigenitus. Neque enim veteribus, ſed nobis ſeruatum eſt myſterium. Factus enim eſt nobiſcum, vt ita dicam, in gloriam oculis cernibilem, deitatis altitudine relicta. Verſatus autem eſt nobiſcum, quaſi vnus noſtrum. Atqui in ſpecie ignis deſcendit Deus. Oportebat enim, vt apud eos, qui vi, ac Lege inſtituendi erant, ignis ſermonibus adhiberetur, ſi ad

Locus Exod. 19. de mõte Sinai fumigante ſpiritualiter declaratus.

Deus cur in mõte Sinai in ſpecie ignis deſcẽderit.

si ad pernoscendum segnes sese præbere vellent. Neq; enim amore ex voluntate profecto, aut libero mẽtis motu veteres ad amandum Deum sese conferebant, sed quodammodo necessitate, ac metu. Neq; verò spiritus liber erat, neq; filiationis in ipsis, sed seruitutis ad timorem. Fumigat autẽ mons ob descensum Domini in ipsum in igne. Atque hoc est, vt arbitror, illud in psalmis decantatum:

Psal. 17. *Et posuit tenebras asconsionẽ eius.* Alia verò ratione significet fumus lachrymas, quæ contemptoribus debentur. Fumus enim oculis immissus lachrymas elicere solet. Si verò quis etiam his contemplationibus aliam adijcere velit, ignis illuminationem, quæ per Legem fit, significabit: cæterum nõ absq; fumo. Obscura enim est, minimeq; clara Lex, densæq; sunt literæ tenebræ, ingentem mentis oculis caliginem offundentes. Fortiores autem procedentes tubæ sonitus eduntur.

Tubæ sonitus fortiores, quid spiritualiter significent.

Exilis enim initio, et submissum quid sonans erat Lex. Posteaquam verò nobis processit verbum ad doctrinam euangelicam, illucescente Emanuele, æditiores sonitus sunt effecti. Sonorum enim quid, ac penetrans Christus exclamauit, atque adeò vniuersum terrarum orbem personans. Ipsum enim audire est, per vocem Dauid dicentem:

Psal. 28. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes inhabitantes terrã.* Atqui Legis vox tunc nequaquam se aliò extendebat, neque omnes gentes instruebat: solam verò Iudæorum regionem personabat, atq; vnicum genus Israëliticum instituebat. Porrò loquebatur, inquit, Moyses: Deus autem respondebat voce. Quærebat enim tãquam minister Legem Moyses, et diuinorum præceptorum mediator. Respondebat autem Deus propria voce, hoc est, per Filiũ. Vox enim, et verbum Patris, Filius. Ex ipso vero Lex, tametsi prolata sit per angelos. Ac, qui velit, ipsum dicentem audire potest:

Deus voce respõdẽs Moysi, quid significet.

Matth. 5. *Non veni soluere Legem, aut prophetas, sed implere. Dico enim vobis, donec transeat cœlum, et terra, iota, aut apex vnus non præterierit ex Lege, quoad omnia facta fuerint. Cœlum, et terra trãsibunt, verba autem mea non transibunt.* Propria itaq; sua verba Legem appellat. Vox enim Dei ipsam loquuta est, quemadmodum modo dixi, hoc est, Filius. Deinde dicit,

Lex, est verbum Christi.

Exod. 19. *quod descendit Deus in montem Sinai in verticem montis: et vocauit Dominus Moysen in verticem montis. Et ascendit Moyses. Dixitq; Dominus ad Moysen: Descendens, contestare populum, ne fortè appropinquent ad Deum ad videndum, et cadat ex eis multitudo. Et sacerdotes appropinquantes Domino Deo sanctificentur, ne fortè recedat ab eis Dominus.* Descendit in montem Deus. Deinde Moyses vocatus ascendit. Impossibile enim est, verè ad diuini conspectus altitudinem conscendere, nisi demittente seipsum Deo, nostrisq; intellectibus accessum ad ipsum præparante. Ipso verò vocante, ascendimus ita vixdum ad excelsum, ac supereminentem verticem, veram nimirum de ipso cognitionem: quod quidem præstitit Christus, reuelans nobis Patrem, ac Deum. Atqui mons rudibus peruius non est. Inaccessibilis enim est multis, adeò sublimis cognitionis gratia. Solis verò ijs pa-

tet, qui eam transire norunt: aut potius ijs, qui ad hoc à Deo vocati sunt, quemadmodum ferè Moyses. Si quis igitur est fidelis, ac constans in domo Dei, erit etiam ipse, iuxta illum, electus, aptusq;, vt prope ad Deum accedat, secundum sanctificationis, et cognitionis modum. Ita enim vnà cum ipso erimus, dicente: *Tu autem hic sta mecum.* Expiari autem, ac sanctificari debere sacerdotes præcipit, dicens: Nequando discedat ab ipsis Dominus. Ardua enim vehementer res est sacerdotium, neque à periculis remotum, quin potius admodum vicinum, nisi inculpatam vitam sectetur. Sanctos enim esse decet, qui castissimo Deo seruiunt. Ait insuper: *Et dixit Dominus ad Moysen: Vade, descende, et ascende tu, et Aaron tecum: at sacerdotes, et populus non vadant ad ascendendum ad Deum, ne fortè disperdat ex eis Dominus.* Ascendit Moyses, et non absque Aaron, qui est typus Christi. Pretiosa enim Lex in Christo, et veluti sancta per ipsum iuxta Deum, et cum Deo. Prædicat etiam ipsa pontificem, et apostolum confessionis nostræ, secundum scripturas. Adiuncta itaque est Lex Christo per contemplationem in spiritu. Audiuit eum Moyses: Ascende tu, et Aaron. Quæ igitur Deus coniunxit, homo non separet: Legem à contemplatione in Christo abducens, ob id, quòd soli vmbræ adhæreat, ac non in imaginem figurarum veritatem suscipiat. Arcetur autem ab ascensione montis vnà cum populo etiam sacerdotale genus. Neq; enim ijs, qui in Lege instituti sunt, quiq; adhuc in vmbris cultum præstant, à Deo concessum est, sublimia, atque excelsa de ipso dogmata adire: quin potius seruantur ijs, qui in fide iustificati sunt, quiq; ad obedientiam in Christo sunt vocati: et cognitionem longè veteri illa præstantiorem. Miratus enim est supereminentiam cognitionis Christi etiam Paulus: ac Saluator ipse testatur, de nobis, et sanguine Israëlitico manifestè dicens: *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis verò non est datum.* Ac de Iudæis quidem: *Sinite ipsos, cæci sunt, duces cæcorum.* Acclamauit verò rursum cognoscentibus ipsum: *Vestri beati sunt oculi, quia vident: et aures vestræ, quoniam audiunt.* Absolutis itaq; hisce ad Moysen sermonibus, exorsus est Dominus de optimis quibusque rebus Legem promulgare, atque ita inquit: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non erunt tibi dij alij præter me.* Conuenienti nimirum legibus exordio vsus, seipsum esse inquit, qui tot in Aegypto prodigia ediderat, quippe qui aduersus eorum, quorum tyrannide opprimebantur, insaniam, totam, propè dixerim, naturam insurgere fecerat, pluuijs, et grandinibus eos infestans, ac elementorum mutationes immittens, primogenitisq; eorum calamitosa morte interfectis, quique trium dierum tenebras eis offuderat: qui præterea per medios fluctus ire, quibus voluerat, concesserat, minimoq; negocio hostes confregerat. Oportebat enim, non ignorare eos, qui diurnæ legis iugum subituri erant, quanta esset legislato

Sacerdotiũ res periculosa.

Heb. 3.

Lex Christo coniũcta per cõtẽplationẽ in spiritu.

Matth. 13.

Marc. 4.

Luc. 18.

Exod. 20

legiſlatoris potentia, quodq; minimè tutum ipſis futurum eſſet, offendere eum, cui omnia ſunt factu facilia. PAL. Quàm rectè, proq; ſua maieſtate Deus id præſtitit? Inſignis enim eſt obedientiæ magiſter metus: et veluti pullum manſuetum reddit quantumuis efferum, atq; refractariũ. CYR. Rectiſsimè ais. Interdicto itaq; aliorum deorum cultu, et cuiuſcunq; idoli fabricatione, ſimilitudineq; ac pictura, neve deitatis nomen ſtatuariorum artibus tribuere auderent, extremum ipſis ſupplicium proponens: (Non aſſumes enim, inquit, nomen Domini Dei tui in vanum: quia non habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomẽ ipſius in vanum:) humana deinceps diſponit, et veluti normam quandam, ac regulam ad rectè viuendum legem omnibus præfinit. Omni verò peccato nos eximit, ante omnia tempus iuſtitiæ in Chriſto nobis ſignificans, in quo perfecta redemptio, et prauitatis interitus, inſtauratioq; in id, quod initio eramus, ac vitæ renouatio in ſanctitate, et Dei viſione eſt peragenda. Quocirca inquit: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septima autem die ſabbati, requies Domino Deo tuo. Non facies in ea omne opus tu, et filius tuus, et filia tua: ſeruus tuus, et ſerua tua: bos tuus, et ſubiugale tuum, et omne iumentum tuum, et aduena habitans in te. In ſex enim diebus fecit Deus cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis ſunt, et requieuit die ſeptima. Idcirco benedixit Dominus diem ſeptimam, et ſanctificauit illam.* PAL. Atqui quid nã hoc eſt? Neq; enim ſatis aſſequor.

Metus, optimus obedientiæ magiſter.

Dei nomẽ, quo pacto aſſumatur in vanũ.

Exod. 20

Aut quo pacto diem ſabbatorum ſanctificauerimus? CYR. Vis dicamus nonnulla de ſabbatis, deq; otio, ac ceſſatione ab opere, quæ in ijs obſeruatur? Ita enim fiet, vt, quæ diuinitus nobis edicta ſunt, clara, manifeſtaq; ſint. PAL. Omnino. CYR. Sabbatum, ô Palladi, vltima hebdomadæ dies, ſignificauerit, opinor, tempus aduentus noſtri Saluatoris: qui quidem apparuit in conſummatione, ac tantum non in occaſu præſentis ſeculi. Principium verò, ac porta, et via nobis factus eſt ad ablutionem peccati, ad libertatem, et remiſsionem, ad incorruptionem, et ad vitam, atq; ad futurã ſpem. Multifariam autem nobis in Chriſto intellectum ſabbatiſmum ſacræ literæ innuunt. Nonnunquam enim terminationem in ipſo, veluti ex peccatis deſignat: et acerbam, atq; immitem tranſgreſſoris pœnam: nonnunquam verò redemptionem in ipſo, et remiſsionem in libertatem, bonamq; ordinationem ad futurum ſeculum figuratè ſignificat. PAL. Dic igitur, quo pacto? Perlibenter enim id ſcire velim. CYR. Per fidem, ô Palladi, in Chriſto intellectam, ſpiritualiter ſabbatum colimus, cum à mundanis occupationibus ceſſantes, et à vanis erroribus abducti, atq; à prauitate ſemoti, et peccati iugo nos ſubducentes ad liberam ſanctificationem deinceps cõtendimus. Vnde diuinus Paulus de ijs, qui ita crediderunt, inquit: *Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? Nonne incredulis, quorum membra conciderunt in deſerto? Quibus autem iurauit non ingreſſuros in requiem ſuam, niſi ijs, qui nõ obedierant? Et videmus, quòd nõ potuerunt ingredi propter incredulitatem.

Sabbatũ quo pacto ſanctificetur

Sabbatũ ſignificat tẽpus noſtri Saluatoris.

Sabbatiſmus in ſacris literis varie intelligitur.

Heb. 3.

tem. Metuamus ergo, nequando derelicta promissione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus. Et paulo post: Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.* Porrò quo pacto verum non sit? Quòd si sabbatismus sit solùm ociari in sabbato, quomodo non est ingressus in requiem Israël, cum alioquin illam in sabbato feriationem siue cessationem ab opere obseruasset? Cœterum erat hæc res in figuram quietis in Christo, et desinendi à peccato iustificatos fide. Atqui Deus lapidibus obrui iussit eum, qui lignum sabbato collegisset. Hæc verò pœna spiritualis, ac necessariæ rei figuratio erat. An non enim quod ex propria radice exsiccatum, atq; aridum est lignum, mortis symbolum sit, et ignis pabulum fiat? PAL. Rectè. CYRIL. Huiusmodi ferè est peccatum nequissimum: nimirum veluti mors quædam, et immitis flammæ esca diligentibus illud. Quando itaque tanquam in tempore cessationis, à peccatis dico, mortuis et infrugiferis operibus nonnulli student, eaq; amare volunt, neglecta virtute, per quæ ipsis perpetuæ pœnæ, ac flammæ debeantur, mortis condemnationem meritò sustinebunt. Ingredimur itaque in requiem credentes, iuxta beati Pauli vocem. Quinetiam per vocem Ieremiæ eos, qui per peccatum in typum veritatis pulchritudinem adulterát, increpat, dicens: *Vade, et sta in portis filiorum populi, per quas ingrediuntur reges Iuda, et omnis Iudæa, et omnis Ierusalem, et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda, et omnis Iudæa, et omnis Ierusalem ingredientes per portas has.

Credétes in requiē ingredimur.

Ierem. 17

Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, et ne portetis onera in die sabbatorū. Neq; quoduis opus faciatis, neque egredimini portas Ierusalem, et non efferatis onera è domibus vestris in die sabbatorum, et omne opus nō facietis. Sanctificate diem sabbatorum, quemadmodum præcepi patribus vestris: et non audierunt, et non inclinauerunt aurem suam, et duriores fecerunt ceruices suas, quàm patres eorum, ne audirent me, et ne disciplinam perciperent.* Nō solum itaque præcepit, vt ab omni opere in sabbato abstinerent, verum etiam ne onera efferrent, neve portas Ierusalem egrederentur. PAL. Quænam verò etiam horum ratio sit? CYRIL. Intellectualis certè, ac spiritualis, et typis sublimior, veteriq; vmbra præstantior est. Nam ab opere ad nequitiam, prauitatemq; vergēte cessandum esse præcipit ijs, qui in Christo sabbatum colunt. Neq; vero onus aliquod humeris gestandum. Qui enim semel per fidem revera intolerabile peccati pondus abiecerunt, quo pacto non planè absurdum sit, eodem sese rursus onerare, prauitatisq; iugum deintegro subire velle? At verò intra portas vrbis consistendum esse, figuratè significat à ciuitate sancta nequaquam nobis discedendum, neque extra eam constitutos esse debere, ob aliquam in aliud quid deflexionem. Sanctam autem ciuitatem, Ecclesiam intellige. Nonnulli enim fide in Christum illustrati, et peccato exonerati, ac iam intra portas domus Dei constituti ad defectionem lapsi sunt: et si non apertè fortasse, egressi sunt tamen sancta porta, ritus colentes idololatriam sapien-

Sabbato onera portare et portis Ierusalē egredi vetitū quid spiritualiter significet.

ſapientes. Intra portas itaque ſedere præcepit eos Deus, qui ſpiritualiter ſabbatiſmum colunt, ſignificante nimirum hoc typo, firmiter illi adhærendum, fideq; in ipſum nulla ratione excidendum eſſe. Quod autem ciuitas Dei ſit Eccleſia, teſtatur Dauid, dicens: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. *Saluator etiam ipſe id confirmat, alibi ita dicens: *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* PALLA. Reliquum itaque eſt, quòd ab omni opere quieſcemus in ſabbato, iuxta legiſlatoris voluntatem. CYR. Non omnino ſimpliciter, ô Palladi. Cogitare enim, ac facere quæ Deo grata ſint, quæq; non mediocrem vtilitatem adferant, an non laudabilem quietem cenſeas? Neque enim fruſtra, vt ego quidem arbitror, adiecit ſacra ſcriptura ſanctificandam à nobis eſſe diem ſabbatorum: *Memento enim, inquit, diem ſabbatorum ſanctificare illam.* Quod quidem, et admodum piè præſtiterimus, ſi ſanctorum operum adminiſtratores extiterimus, ſpiritualiter ſabbatum colentes. Fuerit verò huius rei manifeſtus typus, quòd in ſabbato ſacerdotes in templo ſabbatum profanent, et inculpatè ſacra operentur, et hoſtias offerant, et oues mactent, omniaq; faciant, quæ ad gloriam Dei pertinent citra impedimentum. An non enim Chriſtus hoc etiam Iudæis exprobrauit, quòd Legem violatam ab ipſo clamarent, eò quod paralyticũ curaſſet in ſabbato? PAL. Teneo memoria. CYRIL. Circunciditur autem etiam homo, iuxta Saluatoris vocem, nequaquam culpante Lege. Significat enim typus, ac tantum non luculenter teſtificatur, quod deceat eos, qui in Chriſto ſabbatum colunt, hoc eſt, ceſſantes à peccato, et ſanctificatos per fidem, circuncisio in ſpiritu, octaua, hoc eſt, reſurrectionis die, peracta. Suſcitatus enim ita eſt Chriſtus. Poſt quam verò reuixit, ſoluto imperio mortis, ſtatim Spiritu ſancto inſigniuit eos, qui ipſi noti erant. Atque hoc eſt, circuncisio in ſpiritu. Inſpirauit enim, dicens: *Accipite ſpiritum ſanctum.* Nonne verò etiam ita fieri circunciſionem ſpiritualem Paulus ipſe inquit? Circuncidi enim oportere credentes circunciſione nõ manu facta affirmat. Adiecerim autem, quòd ſpiritualem fortitudinem exercentes, et inimicos proterentes, debellantesq; in Chriſto aduerſarios, non deſinamus ſpiritualiter ſabbatum colere. Adducam autem rurſum in typum huius rei veterem illum Ioſue, qui vnà cum Iſraëlitis Hierichuntem expugnauit ſeptima die, hoc eſt, in ſabbato. PAL. Verum itaque ſabbatum, ſolùm nobis ceſſationem à prauitate, et peccatis inducit, quæ veluti in typis propriè veteribus illis adumbrata fuit. CYRIL. Ita aio. Alia verò etiam ratione Chriſti myſterium nobis, et quidem manifeſtè, demonſtret. PAL. Quanam? CYR. Ait enim alibi rurſum Lex: *Si poſſederis ſeruum Hebræum, ſex annos ſeruiet tibi, at ſeptimo abibit liber gratis.* Et hęc quidem in Exodo. In Deuteronomio autem rurſus ita ait: *Si autem venditus tibi fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, ſeruiet tibi ſex annos, et ſeptimo dimittes eum liberum à te. Cum autem dimiſeris eum liberũ abs te, non dimittes eum vacuum.

[Marginal notes: Eccleſia ciuitas Dei. — Pſal. 86. — Pſal. 131. — [illegible] — Circunciſio ſabbato fieri ſolita. — Circunciſio in ſpiritu, quænam ſit. — Ioan. 20. — Coloſ. 2. — Ioſue ciuitatem Hierico ſabbato cepit. — Sabbatũ typus myſteriorũ Chriſti. — Exod. 21 — Deut. 21. — Seruus, qui ſex annos ſeruierit, manumiſſus Deut. 21. quid ſpiritualiter ſignificet.]

Viaticum suppeditabis ei de ouibus tuis, et de frumento, et de torculari tuo: sicut benedixit tibi Dñs Deus tuus, dabis ei.* Omne enim aliud tempus ante Saluatoris nostri aduentum, Israël spiritu seruitutis constringebatur, Legi punienti subiugatus. Postea quam verò vltimis seculi temporibus (quorum typus nobis est sabbatum,) Emanuel illuxit: tūc certè spiritus seruitutis ademptus est. Nullum verò omnino redemptionis pretium persoluentes, gratis ad libertatem sumus translati. Iustificati enim sunt credentes, non ex operibus Legis, iuxta scripturas, sed ex fide. Atq; hoc quidem esse arbitror, Discedet liber gratis. Cęterum quādo, inquit, dimiseris ipsum liberum abs te, non dimittes eum vacuum. Viaticum suppeditabis illi ex ouibus tuis, et ex pane tuo, et vino tuo. Vides manifestè mysterij secundum Christum potestatem in his effulgentem? Redempti enim sumus, dimisitq; nos liberos omniū nostrum Saluator gratis. *Neq; enim ex operibus iustitiæ, quę nos fecimus, sed ex magna ipsius misericordia,* vt scriptum est, vsq; adeò ingentis benignitatis participes facti sumus. Cum verò nos in libertatem asseruisset, hoc est, à peccatis liberasset, et adoptionis gratia locupletasset, insigne nobis viaticum seipsum contribuit, veluti irreprehensibilis victima, et tāquam ouis ad mactandum propter nos ductus: benedictionisq; viuificantis participes nos effecit, hoc est, sanctæ ipsius carnis, et sanguinis. Hoc, vt arbitror, est, viaticum dandum esse ex ouibus, pane, ac vino, ijs, qui in septimo tempore, hoc est, in sabbato spirituali, herili benignitate ad libertatem fuerint

Redēpti sumus gratis. Tit. 3.

vocati. Sed hoc quidem Lex. Postea quam verò Iudæi ad vecordiā lapsi, parum de ijs, quę ipsis præcepta erāt, obseruandis soliciti essent, increpat eos Deus. Scriptum est enim: *Et factus est sermo Domini ad Ieremiam, dicēs: Sic dixit Dominus Deus Israël, dicens: Ego sanxi fœdus cum patribus vestris eo die, quo eduxi eos de terra Aegypti, de domo seruitutis dicens: Cum completi fuerint sex anni, manumittes fratrem tuum Hebræū, qui vendetur tibi, et operabitur tibi sex annis, et dimittes eum liberum. Et non audierunt me, neq; præbuerunt aurem suam. Et cōuersi sunt hodie, vt facerent rectum ante oculos meos, vt renuntiaret quisq; manumissionem proximi sui. Et consumauerunt pactionem in conspectu meo in domo, in qua inuocatum est nomen meum. Et reuersi estis et profanastis pactum meū, vt reduceret vnusquisque seruum suum, et vnusquisq; ancillam suā, quos emisistis liberos anima eorum, vt essent vobis serui, et ancillæ.* Vides, quo pacto non sustinet figuras ipsas violari, imò potius veritatem ipsam, tanquam in vmbris, iniuria affici? Nequaquam enim pœnitet Deum suorum donorum, et vocationis. Iudæi autem eos, quos semel manumiserant, sub seruitutis iugum de integro mittentes, vt ipsos facti sui non pœniteret, non obseruarūt: offenderuntq; propter hoc mysterij potentiam, contemnentes eam, atq; violantes, tametsi adhuc in typis erat. PALLA. Rectissimè dicis. CYR. Quòd verò iustificemur gratis per gratiam, quæ est in Christo, nullo nostræ ipsorum vitæ pretio à nobis persoluto, neque libertatis gloria empta, sed Domini mise-

Hier. 34.

Deū nūquā pœnitet suorū beneficiorum.

Iustificamur gratis.

ni miſericordia, ac benignitate id con ſecuti; præfigurauit in Deuterono-
Deut. 15. mio, dicens: *Per ſeptem annos facies remiſsionem, et ſic ordo remiſsionis: Remittes omne debitum propriũ quod debet tibi proximus, et à fratre tuo non repetes, quoniam cognominata eſt remiſsio Domini Dei tui. Ab alieno exiges, quæcunq; fuerint tibi apud eum: fratri tuo remiſsionem facies debiti tui: quoniam non erit in te egenus: quoniam benedicens benedicet te Dominus Deus tuus in terra, quam Dominus Deus dat tibi in poſſeſsionem ad poſsidendum eam.* Vides inicantem in vmbris veritatem? Manifeſtiſsimè enim hoc Saluatoris noſtri erga nos œconomiam demonſtrat: ijs enim, qui prope ipſum per fidem ſunt conſtituti, familiaresq; ac fratres declarati, ob participationem ſpiritus ſancti, et diuinæ naturæ communicationem, debita remiſit nihil perſoluẽtibus. Neq; enim exegit ab eis tranſgreſsionis pœnas, cum alioqui rationes vitarum ſuarum ipſi deberent. Alienos verò adhuc, et vt vno verbo dicam, alienigenas, ob exitialem ipſorum incredulitatem, longiſsimè ab ipſius familiaritate remotos, debitorum reos conſtituit, et quod peccata nõ eluerint, pœnæ, neceſſarioq; ſupplicio obnoxios facit. Idcirco ijs, qui crediderunt, acclamauit:
Ioan. 8. *Si vos in ſermone meo mãſeritis, verè diſcipuli mei eſtis, et conoſcetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Ijs autẽ, qui veram, atq; euã-
Ibidem. gelicam doctrinã deſpiciunt: *Amẽ amen dico vobis, niſi credideritis, quòd ego ſum, in peccatis veſtris moriemini.* Intelligis quo pacto eos, qui ſecũdum fidem familiares ſunt, libertate donandos promittat? Alienos verò, atq; exteros, et peccatis ſuis immortuos, errorum ſuorum pœnam iudici daturos. PAL. Verè. CYR. Atqui ceſſatio ab opere in ſabbato typus etiam eſt delitiarũ, quibus ſancti perpetuò ſunt fruituri, et cœleſtium bonorum participationis. PAL. Dic verò, quo pacto, mihi ſciendi cupidiſsimo. CYR. Dauid enim ita alibi cãtat
de filijs Iſraël, dicens: *Panem cęli dedit eis, panem angelorũ comedit homo.* Manna dicens cœli, et angelorum cibum, vt mentem noſtrã vltra ea, quæ ſub ſenſum, ac viſum cadunt, tollentes ſpiritualem, ac diuinũ commeatum animo concipiamus, quem Deus ſanctorum animis immittit, angelos nutrientem: quiq; viuificantem homines Deum verbum, ijs, qui fidẽ ſuſceperunt, immorari facit. Habitauit enim Chriſtus in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, et pane viuẽte, atq; cœleſti nutrimur, ad bonam habitudinem, ac robur ſpirituale. Manifeſtus verò huius rei typus eſt, mãna. Iuſsit autem Lex, vt vnuſquiſq; Iſraëlitarum colligeret, quod ſibi ſufficeret, neq; inde excederent. Ita enim ſcriptum habetur: *Manè autem factum eſt, cum ceſſaret ros in circuitu caſtrorum, et ecce ſuper ſuperficiem deſerti ſubtile, vt coriandrum album, vt pruina ſuper terram. Videntes autem illud filij Iſraël, dixerunt alter alteri: Quid eſt hoc? Non enim ſciebant, quid eſſet. Dixit autem Moyſes ad eos: Hic panis, quem dedit Dominus vobis ad comedendum. Hoc verbum, quod conſtituit Dominus. Congregate ex eo vnuſquiſq; ad proximos. Gomor ſecundũ caput, iuxta numerum animarum veſtrarum, vnuſquiſq;

Pſal. 77.

Exod. 16.

Mannæ collectio Exod. 16 de ſabbatiſmo ſpiritualiter declaratus.

quisq; in tabernaculis vestris colligite. Et paulo post rursum inquit: Factum est autem die sexta, collegerunt necessaria dupla, duo Gomor vni. Ingressi sunt autem omnes principes cógregationis, et narrauerunt Moysi. Dixit autem ad eos Moyses: Hoc est verbum, quod loquutus est Dominus. Sabbata sancta, requies Domino cras: quæcunq; coxeritis, coquite: et quæcunq; elixaueritis, elixate: et omne superfluum relinquite illud in repositionem in mane. Deinde verò illis Moyses diuinam legem declarauit, dicēs: Comedite hodie illud: Est enim sabbatum Domino: hodie non inuenietur in agro. Sex dies colligetis, septima autem die sabbati nō erit in illa.* Ex hoc itaq; minimè tibi deinceps obscurum esse potest, ô Palladi, vitæ in futurum seculum futuræ quodámodo præinstructionem, præfigurationemq; obtinere, et quidem admodū manifestam, nihil agere in sabbato, sed veluti colligere in horreum id, quod iam comparatum est: et neq; ipsum è cœlo datum manna, sed collato iam vtendum esse in fruitionem, ac cibum. Sabbatum enim in Christo colentes, et ad absolutam à peccando cessationem euntes, supernorum bonorum fruitione gaudebimus, omni quidem labore sublato, et absq; sudore, omne, quod conducibile est, abundè consequentes. PAL. Verus est sermo. Ad parata enim quodammodo, et exposita omnia bona tūc sanctorū vita se conferet. Dicatur autem quan-
Psal.127. tum ad nos ipsos omni sancto. *Labores fructuum tuorum comedes.* CYRIL. Redeuntes itaq; ad id, quod initio agebamus, et quodammodo ad caput sermonem reuocantes, illud dicimus, quod Lex ad vnum natura, ac verè Deum transferens, non permisit ignorare ex ipso, et in ipso genitum, simul existens coæternum Verbum. Cum enim prius præcepisset, ac dixisset: *Diliges Dominum Deum tuum Deut.6.
ex toto corde tuo, et ex tota mēte tua, et ex totis viribus tuis. Et, Non erunt tibi dij alieni præter me, adiunxit statim Christi mysterium dicens: Memento, vt diem sabbati sanctifices.* Optima enim est hæc, et artificij summam maiestatem præ se ferentis via, perfectissimamq; ijs, qui, quæ conuenit scire, discunt, vtilitatem adferens. Ideoq; Saluator ad cœlestem Patrem ac Deum dixit: *Hæc est vita æter- Ioan.17.
na, vt cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Comitatur enim necessariò notionem de Patre notio de Filio: et vicina admodum de vtroq; cognitio est. Iudæos vtiq; à veritate aberrātes, eò quòd Filium non admitterent, putantes autem quòd Deum cognoscerent, increpauit, dicens: *Neque me Ioan.8.
nostis, neq; Patrem meum. Quòd si me nouissetis, et Patrem meum vtiq; nouissetis.* Indicatur enim de vtroq; alterius cognitio. Iacto igitur prius, veluti necessario quodam fundamento, perfecta Dei notitia, et legislatoris cognitione animis irradicata ad humana descendit: pietatiq; erga Deum vicinam statim, et coniunctam statuit eam, quæ patribus, ac matribus debetur, per quos ad existendum omnino, Deo annuente, sumus adducti: secundo quodammodo ab opifice loco parentes constituens. Diuino enim nutu, propriaq; sibi arte viuificat fœtū natura in se ipsa, et creatoris quodammodo gloriam imitatur. Ac quemadmodum

Pater nō cognoscitur absq; Filio.

Natura in viuificatione fœtus creatoris gloriā quodāmodo imitatur

modum Deus omnium eſt principiũ, ac generatio, in quantum creator et opifex: ita etiam vnuſquiſq; eorum, qui parentes effecti ſunt, filio ex ſe nato radix quodammodo ſui ortus eſt, ac ingreſſus ad exiſtendum fons. In typum itaq; creatoris omnium, patris, ac matris officium, ſiue miniſterium eſt ad exiſtẽdum omnibus mortalibus. Idcirco maiorem ipſis præ alijs honorem deferri Lex præcipit, ingentia præmia proponens ijs, qui eos, pro eo ac debent, coluerint. Ingenuam enim, ac ſanctam mentem honore coronat. Eam verò, quæ aliter affecta eſt, ſummis malis onerat.

Parẽtum cultus ſtatim poſt Deum iniunctus.

Exod. 20

Honora enim, inquit, patrem tuũ, vt bene tibi ſit, et eris longeuus ſuper terram. Præmium igitur, ac veluti mercedem ijs, qui parentes ſuos colunt, vitæ commoditatem, longitudinemq; Lex proponens: mortem verò ſuperbis, atque arrogantibus veluti pædagogum quendam ad rectum impellentem, timorem conſtituit. Inquit enim rurſum: *Qui percutit patrem, aut matrem, morte moriatur.* Vide igitur, quo pacto omnem aduerſus parentes peccati modum æquali menſura puniat. Parentum enim iura proxima ijs, quæ Dei ſunt, manifeſtè ſtatuere videtur. Quemadmodũ enim qui linguæ peccatum aduerſus Deum cõmiſerit, morte mulctatur, ita etiam qui aduerſus parentes. Et ſi quis diuinum præceptum violarit, et trangreſsionibus ſuis legiſlatorem offendere veritus non fuerit, abſq; miſeratione interficitur. Qui autem patris fortaſſe, aut matris mandatum contempſerit, lapidibus obruitur, diuina lege ita iubente. Ita enim in Deuteronomio inquit: *Si alicui fuerit

Exod. 21

Pœna aduerſus peccãtes in parentes eadẽ eſt, quæ in eos, qui in Deum peccant.

Deut. 21.

filius contumax, et proteruus, nõ obediens voci patris ſui, et voci matris ſuæ et erudierint illum, et non audierit eos, et apprehendentes eum pater eius, educent illum ad ſenatum ciuitatis illius, et ad portam loci illius, et dicent viris ciuitatis illorum: Filius hic noſter proteruus eſt, et irritat, non obedit voci noſtræ; comeſſationibus vacans ebriatur, et lapidabunt eum viri ciuitatis illius in lapidibus, et morietur. Et auferes malum ex vobis ipſis, et reliqui audientes timebunt.* An adhuc tibi dubium eſſe poteſt, quòd honor parentum ijſdem veſtigijs hæreat, quibus honor Dei? PAL. Nulla ratione. Monet enim nos ad colendos parentes etiam hoc ſapienter à Deo dictum: *Memento quod per ipſos generatus ſis.* Et patriarcha Iacob piè admodum dicens:* Niſi metus patris mei Iſaac eſſet mihi.* CYR. At verò dic mihi, id, quod dicitur, per ipſos generatos eſſe, an non ſimilitudinem opificis, qui ea, quæ non ſunt, ad exiſtendum vocat, parentes pręſe ferre aperte declarat? Quod autem dicit, conuenire vt à nobis timeantur, an non in ſua ipſius dominica libertate ipſos collocat? PAL. Rectè. Idcirco et Solomon quoſdam execratur, dicens: *Oculũ, qui deridet patrem, et qui inhonorat ſenectutem matris, eruant eum corui de conuallibus, et comedant eum pulli aquilarum.* Cæterum illud velim mihi declares, quo pacto videri poſsit ſapienter à Saluatore noſtro Chriſto dictum: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Diſcipulo enim, vt ei patrem ſuum ſepelire, accuratè ſineret, roganti, reſpondit: *Sequere

Eccleſiaſtic. 7.

Gen. 31.

Prou. 30.

Matt. 10

Qui amat patrem, aut matrem pluſquã me non eſt me dignus, quo pacto intelligẽdum ſit.

Matth. 8 *Sequere me: Et, Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* CYR. Quidnã verò absurdi in his? Nihil enim ardui in se habet, vt mihi quidem videtur. Facilis est autem rei propositæ intelligẽtia, si quis rectè sentire velit. PAL. Porrò sermo hic non videtur carere suspicione. Videtur enim aliquo pacto nos à parentum reuerentia abducere. CYR. Apage cum ista suspicione homo, et cum huiusmodi fucatis rationibus. Neq; enim nos à reuerentia parentibus debita auocat, sed antiquiorem præstantioremq; eam, quæ erga Deum est, cẽsendam esse docet. Confirmat autem nobis sermo vicinam, ac secundam ab ea, quæ Deo debetur, eam appellans: quod et Christus ipse obseruauit, non incusans eos, qui amare velint: neq; reprehendens, qui eos coluerint: sed humana Deo postponenda esse, statuens. Idcirco inquit: non simpliciter amans patrem suum, aut matrem: sed adiecit, supra me. Nonne enim censes amorem erga Deum hominum amori præferendũ esse? PAL. Omnino certè. CYR. Et quidem hanc ob causam non permisit discipulum in eam cogitationẽ venire, vt reuerentiæ erga Deum humanam præferret, tametsi sit pater, cui etiam naturæ lege honor deferri debet. Potiora itaq; habenda, quæ ad ipsum pertinent, quàm quæ ad nos, statuit. Quocirca vltra omnes, ac supremus est Deus. Nequaquam verò præcipit obseruantiam erga parentes deserendam esse, eò quòd potior ratio sit habenda eorum, quæ ad Deum pertinent. Christus enim Iudæorum præfectos hoc nomine incusat, dicẽs:
Matth. 15. *Deus dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam. Vos autem dicitis: Quicũq; dixerit patri, et matri: Quidquid doni à me profecturum erat, id in tuum vertitur commodum, et non honorabit patrem suum, aut matrem suam, et irritum fecistis præceptum Dei propter traditionem vestram.* PAL. Atqui res hæc non admodum facilis est intellectu. Declara igitur, quodnam sit Pharisæorum hac in re peccatũ. CYR. In Leuitico alibi scriptum habetur: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israël, et dices ad eos: Homo, qui uouerit votum in precium animæ suæ Domino, erit precium masculi à viginti annis vsq; ad sexaginta annos, erit eius precium quinquaginta didrachma argenti, mensura sancta.* Paulò verò post, de mulierum, et iuuenum precio locutus, infert rursum: *Si autem pauper fuerit ad æstimationem, stabit ante sacerdotem, et appreciabit illum sacerdos.* Mysticus certè, ac profundus est sermo. Suo verò loco diligẽter à nobis examinabitur. Quòd autem præ manibus est, age, dicamus. Nonnulli Israëlitæ accedebant, et consecrare Deo animas suas contendebant, veluti in typo quidem adhuc, et vmbra. Cœterum iuxta Legem suas ipsorum æstimationes sacerdotibus permittentes, et diuino altari asidentibus. Porrò erant quidam cupidi quidem eiuscemodi gloriæ: sanctificati enim iam, et sancti, et diuinũ donarium, et quid non huiusmodi rerum consequi cupiebant? At facultatum inopia eorũ cupiditatem infringẽte, et ineuitabili quoddam obstaculo, paupertate præpediti, exhortantibus verò eos, et quidem acriter ad id, Scribis, ac Pharisæis (est enim hoc hominum genus pecunię studiosissimũ, et turpi

Consule vulg. interpret.

Locus Matth. 15 declaratus.

Leuit. 27

Locus Leuitici. 27. spiritualiter declaratus.

et turpi quæstui addictum) reuerentiam erga parentes prætendebant, ægreq; posse sibi ipsis, atq; illis necessaria ad victum suppeditare, ac vestitum comparare verè dicebant. Hi autem persuadere audebant, vt nihili rem facerent propter Deum: et si accessissent parentes, solitū ab ipsis subsidium poscentes, docuerunt eos respondere debere patri, ac matri: Donum, quod ex me iuuaberis, hoc est, quod ex me acceperis, diuinum est impediens donarium, et rebus sacris manus immittens. Consecraui enim me ipsum, ac veluti donum obtuli Deo. Parentes itaq; direptionis sacrorum damnum verentes, et leges hac de re pertimescentes, plorantes permanebant: pietatemq; in Deum famis suæ causam esse affirmabant, diuinum præceptum grauissimo ipsis damno esse occlamantes. *Idcirco inquit: Irritum fecistis præceptum Dei propter traditiones vestras.* Oportebat enim parentes colere, neq; pietatis erga Deum causa legem de eorum obseruantia infringere. Quocirca neq; eorum, quæ Deo conueniunt, cura abijcienda est propter humana: neq; in vniuersum propter Deum humana negligere necesse est: at potius præcipuum amorem principio omnium, hoc est, Deo tribuentes: veluti in secundo ordine, ac vicino statim collocabimus amorē in ortus nostri autores, quantum possumus maximū honorem ijs deferentes: quibus et hoc addam. PAL. Quidnā? CYR. Rem esse inprimis necessariam dominus noster Iesus Christus testatum esse volens, parentum reuerentiam, matris etiam suæ rationem habuit, eamq; sua cura dignatus est. Cum enim iam

Donum quod ex me acceperis, quo pacto intelligendū.

Christi erga matrem suā obseruātia.

è veneranda cruce suspensus esset, et clauis ligno affixus, proprio discipulo sanctam virginem dedit, eiusq; curā peramato discipulo commendans, dixit: *Mulier, ecce filius tuus. Et discipulo dixit: Ecce mater tua. Et ex illa hora, inquit, accepit eā discipulus in propria.* PAL. Quā pulchrè nobis hac de re sermo absolutus videtur? CYR. Coniungens itaq; pulchrè parentibus ea, quæ ex ipsis ortum accipiunt, et ex lege, atq; necessitate iugū ipsis imponens, quales nam parentes erga liberos suos esse oporteat, si quod Deo placitum est, non excedant, statim præscribit. Paulus quidem sapientissimus breuiter filijs, vt patribus suis obediant, præcipit. Addit autem: *Patres ne prouocetis ad iram liberos vestros, sed educate eos in correptione Domini:* hoc est, optimas quasq; doctrinas eos instituētes, ad piam, ac legalem vitam dirigite. In orbem autem quodammodo acta Lex (familiare enim, atq; vsitatum ei est, summopere liberorum probitati prouidere,) patribus præcipit, dicens: *Non profanabis filiam tuam, vt fornicetur: et non fornicabitur terra: et terra replebitur iniquitate.* Corporum enim puritatem præ reliquis omnibus rebus, veluti primitias quasdam piæ sanctæq; vitæ creator à nobis exigit: et tanquam primi aditus ad splēdorem spiritualem sunt corporalia, turpitudinis, ac dedecoris reprehensionem fugientia. Conueniens itaq; est, vt parētes nos optima quæq; doceant. Si verò supinos, ac vecordes magistros esse cōtigerit, imò potius turpitudinis duces, atq; institutores deprehendātur, extremo supplicio afficientur, vtpote proprios fructus corrumpentes, et in

Ioan. 19.

Ephes. 6

Parētes, quales erga liberos esse debeāt.

Leuit. 19

Puritas corporū est principiū vitæ sanctæ.

O perdi-

perditionis foueam immittentes, qui bus supermori satius erat. Saxit enim etiã hanc legem natura patribus. Qui verò ad manifestã turpitudinem ijs, qui voluerint, suam ipsius filiã prostituit, nõ pro ipsa sola meritò mulctabitur, et pœnas luet omnium iudici, sed pro quouis, qui cũ eius filia ad turpitudinẽ lapsus fuerit. Rete enim quodãmodo tẽdens, et mortis laqueum, omnes includit, tametsi nõ omnes capiãtur. Neq; enim eorũ ratio tantũ habetur, qui euaserint, sed quid eiusmodi conatus possit. De huiusmodi verò muliere sapiẽtissimus etiam Solomõ scribit: *Mulier, quæ est rete, et verriculũ corde, vinculũ eius in manibus ipsius.* Necessario itaq; legislator, *Nõ profanabis, inquit, filiam tuã, vt fornicetur, et nõ fornicabitur terra.* Si enim in vniuersum non sit, cũ qua fornicationis crimẽ cõmittatur, facilè sit eiusmodi malum euitare. Et si quis fortè sit ad voluptatẽ procliuior, summaq; infirmitate laborãs mens, (cum interim filiorum circa corpus modestiæ, ac decori magnã à patribus rationem haberi pręcipiat) morte mulctat eum, qui ita affectus fuerit, vt defectionis à Deo proprijs liberis author fuerit. Ita enim in Leuitico scriptũ habetur: *Et locutus est Dñs ad Moysen dicẽs: Si aliquis de filijs Israël, vel aduenientibus aduenis in Israël, qui dederit de semine suo principi, morte moriatur: gensq; in terra lapidabunt eum in lapidibus: et ego obfirmabo faciem meam contra hominem illum, et perdam eum de populo suo, quoniã de semine suo dedit principi, vt polluat sancta mea, et profanet nomẽ sanctum mihi.* PAL. Obscura Lex: neq; enim manifestum est, quid significet, Declara igitur. Rectè enim feceris.

Ecclesiastic. 7.

Leuit. 20

CYR. Moabitę, et Madianitę, Gergesæi, et Agareni, aliaq; barbarorũ genera, Iudæorum regionem inhabitantia moribus Græcanicis imbuti erant, et vnusquisq; id, quod magis arridebat, colendũ sibi, atq; adorandum proponebat. Cum verò Israëlitæ nondũ satis firma, beneq; constituta mente ad pietatẽ præditi essent, (vehementer enim procliues ad defectionẽ, adeoq; facilè desciscebant, vt nihili facerẽt, si eosdẽ, quos finitimi Deos colerent, veterẽq; illũ vnà cum vicinis suis Aegyptiacũ errorem sequeretur,) Madianiticarũ mulierũ pulchritudine capti, turpem cũ eis consuetudinem habuerũt: simulq; cum eis Beelphegor inuocarunt. Vnde cum legislatori mentis eorũ debilitas, ac fragilitas perspecta esset, cõgressum cũ alienigenis in vniuersum vetuit, apertè dicens: *Filiam tuã nõ dabis filio eius: neq; filiã ipsius accipies filio tuo. Deficere enim faciet filiũ tuum à me, et colet deos alienos.* Cũ igitur quidã Israëlitæ filias suas diuitijs inescatas præcipuis illarũ gentium collocarent, quas hoc pacto eò induci verisimile erat, vt defectionẽ nihili faciendã existimarent, iram suã, atq; adeò mortẽ huiusmodi facinori proponit, atq; extremo supplicio mulctat. Necesse enim erat, eam, quæ alienigenæ collocata esset, sentẽtiam etiã mutare, et dęmones colere. Quocirca tãquã proprij fructus interfectorem æqualibus pœnis mulctat. Sacra itaque, et noua scriptura præcipit parentibus, vt in correptione Domini filios suos instituãt. At verò Lex tardiloquentior per circuitus atq; ambages: eãdem via procedit. Idcirco nõ debere patres filiabus authores esse, vt fa-

Deut. 7.

Lex vetus et noua circa obseruãtiam parentũ eadem via procedit

vt faciant, quæ ad turpitudinẽ, et scortationem inducunt, rectè admodum præcipit præter hæc firmiter in Dei cognitione eas tenendas esse: neq; permittendum, vt profanis idololatrijs implicentur, tametsi ipsis magna diuitiarũ vis proposita fuerit. Viro enim alienigenæ, diuiti interim, nuptiarũ lege coniuncta, an non hoc est illud:

Mar. 8. *Quid proderit homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? PAL. Rectè ais. CYR. Videat verò quis, et quidẽ minimo negotio non paruum interstitium eorum, qui in Christo iustificati sunt, ab ijs, quos Lex instituit. Exteris enim commisceri, societatemq; cum alienigenis inire, veteribus indemne nõ erat. Nobis autem Paulus melius, confidentiusq; viuendum esse admonet, dicens:

1. Cor. 7. *Si quis vir vxorem habet infidelem, et hæc consentitur, vt habitet cum eo, non dimittat eam. Et mulier, quæ habet maritum infidelẽ, et is assentitur, vt habitet cum ea, ne dimittat illum. Sanctificatus enim est maritus incredulus per vxorẽ: et sanctificata est vxor incredula per maritum.* Quænam autem in his fuerit œconomiæ ratio? Aut cur vetus lex cum ijs, qui sententia dissidebant, cõmisceri verebatur, nũc verò non itẽ? Firmos enim eos, qui in Christo vocati sunt, et inconcussa pietate præditos esse, inhabitans in ipsis spiritus efficit, per quem, et in quo clamamus, abba pater. Hi verò nondum hoc dono erãt locupletati. Nam, vt diuinus Ioãnes inquit:

Ioan. 7. *Nondũ enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondũ glorificatus erat.* Omnis itaque perfectio in Christo. Lex autem nihil perfecit, iuxta id, quod scriptum est. PAL. Dicas autem mihi percupido, quo pacto manifesta esse possit imperfectio Legis? CYR. Faciam. Procedet autẽ nobis ad ea, quæ prę manibus habemus, sermo, dilectionisq; erga proximũ modos inuestigabit crassius fortasse quã oportebat, Moysis præceptis veteribus impressis. PAL. Aggredere igitur hoc ipsum alacri animo. CYRIL. Lex itaq;, *Amabis, inquit, proximum tuum, sicut teipsum.* Dominus autem noster Iesus Christus mutuæ dilectionis legem, quamplurimis rationibus nobis inculcat. Auxiliatricem verò Legi innatam notitiam, et quæ in vnoquoq; est, volũtatem quodammodo constituens: *Quæ igitur vultis, vt faciant vobis homines, inquit, hæc et vos facite ipsis similiter.* Si enim, quæ quis sibi optat contingere, eadem et ipse alijs præstare velit, à scopo nequaquam aberrabit, quin potius rectà ad dilectionem contendet, mutuiq; amoris coronam reportabit. PAL. Rectè dicis. CYR. Dilectio itaque, Legis quidem impletio est, fide autem, ac spe pręstantior. Ita enim nobis diuinus Paulus scribit. Idcirco veluti corona et vernis floribus cõtexta eam præcingens, rursum inquit: * Et si insumam in alimoniam omnes facultates meas, et si tradã corpus meũ, vt comburar, charitatem autem non habeam, nihil vtilitatis capio. Charitas patiens est, benigna est, charitas non inuidet: charitas non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit, quæ sua sunt: non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat: charitas nunquam excidit.* Sed hæc quidẽ, vt arbitror, omnibus perspicua

Leuit. 19

Veteris legis et nouæ de dilectione proxime concordantia.

Matth. 7

Dilectio, fide ac spe præstatior.

1. Cor. 13.

ſpicua ſunt, et prolixus admodum de his ſermo fieri poſsit, ſi quis minutim omnia, quæ ad hanc rem faciunt, ex noua ſcriptura colligere velit. Sed redeamus iam ad vmbras ex Lege: et ea quæ in vmbris adhuc veteribus edicta ſunt. PAL. Optimè ſentis. CYR. Lex quidem præexercitamentũ quoddam eſt ad iuſtitiam, viamq; ſternit ad euangelicam gloriam. Scriptum eſt enim: *Principium viæ bonæ, facere iuſta.* Inſtituit enim Lex, ac manu quodammodo ducit ad Chriſtũ, vitæq; in ipſo intellectæ minimè emẽtitam gloriam habet, ſi ſpiritualiter intelligatur. Atq; inſtruit quidem ad iuſtitiam. At verò doctrina euangelica vltra hoc adhuc deducit. Modi verò iuſtitiæ, primum quidem honor, et dilectio erga vnum, ac natura Deũ. Proxima verò huic, vicinaq; quodãmodo in fratres, et eos, qui eiuſdem generis ſunt, præincumbente tamen reuerentia erga parentes. Decenti itaque ornatu nobis ſermo procedit, poſt pietatem erga Deum, et parentum obſeruantiam, dilectionis etiam ſignificationem erga alios nos exhibere debere præcipiens. Lex enim vndequaq; æqualitati prouidet: et exactum iuſti examen facere legiſlator cernitur. Scriptum eſt enim in Deuteronomio: *Non erit in marſupio tuo pondus magnum, vel paruum. Pondus verum, et iuſtum erit tibi, et mẽſura vera, et iuſta erit tibi, vt longeuus ſis ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in poſſeſsionem: quoniam abominatio Domino Deo tuo omnis faciens ea, et omnis faciens iniuſtum. Et rurſum in Leuitico. In menſuris, et põderibus, et in ſtateris: ſtateræ iuſtæ, et pondera iuſta, et menſuræ iuſtæ, et ſextarius iuſtus erit vobis.* Menſuris, et ponderibus, et ſtateris adæquare optimè iuſtitię modos cogebat, ac rectiſsimè quidem. Mens enim recta, iuſtitiæq; amica mẽſurat quodammodo, et ad libellam expẽdit rerum naturas, et æqualitatis rationẽ inquirit minutius, atq; exactius, quã qui ad trutinã, ſiue ſtaterã numiſmata explorant. Menſurat verò quodammodo cuiq; cõtemplatorum id, quod maximè illi conuenit, neq; nimiò exactam æqualitatis pulchritudinem diſſoluens, neq; rurſum delatione ad minus deprauari, ſiue adulterare ſinens id, quod veluti in æqualitate eſt conſtitutum. Sint igitur menſuræ, et pondera, ac ſtateræ iuſta, inquit. Fuerint autem hæc, vt arbitror, figura quedã, atq; imagines indicãtes nobis modos, per quos perfectæ æqualitatis ratio à nobis peruestigari poſsit, iuſtitiæq; cognitio perſpicua euadat. At verò hoc intellige, quòd æquali menſura reſpõdent quidem ea, quæ in Lege ſunt, rationemq; habent iuſtitiæ. Multò autẽ magis locupletant, longeq; excedunt ea, quæ per Chriſtũ. A iuſto enim bonum, hoc eſt, vitæ in Chriſto gloria. PAL. Rectè ais. Memini enim Chriſti ad iuſtificatos in fide dicẽtis: *Amen, amen dico vobis, niſi abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarũ, et Phariſæorũ, nõ intrabitis in regnũ cęlorũ.* CYR. Sed hæc quidẽ ita ſe habeãt. Inueſtigemus autem nũc, ſi videtur, Moſaicæ pietatis menſuram, et iuſtitiæ ſecundum Legem gloriam. Eum enim, qui iuſti cognitionẽ obſeruare contenderit, et dilectione erga fratres excellere ſtuduerit, firmũ ac ſtabilem eſſe oportet, atq; id, quod eſt, verè cõſpici: non leuẽ, facileq; mobilem: ac fictitiũ bonum

Marginal notes: Prou. 16. — Lex æqualitatis ſtudioſa. — Deut. 25. — Põdera, mẽſuræ, et ſtateræ Deut. 25. et Leuit. 19. vt ſint iuſta quid ſignificet. — Matth. 5.

bonum præ ſe ferentem: et tanquam ouilla pelle lupi formã occultare volentem: at potius nudam, ac ſimplicem, et irreprehẽſibilem morũ ęquabilitatem, ingenuitatemq́; tueri. Idcirco inquit Lex: *Non ambulabis doloſè in gente tua: et non proſſequeris odio fratrem tuum in corde tuo.* Aliter verò hoc ipſum ſtatuit: *Veſtem enim, inquit, ex duobus contextam non indues.* Et rurſum: *Nõ indueris fucata veſte, lana et lino in idipſum.* Grauiſsima enim revera res eſt, ſummaq́; reprehẽſione digniſſima, ſub prætextu, opinioneq́; virtutis fraus, ac dolus, Deoq́; id inprimis odioſum eſt. Cognata enim ferè huic vitio eſt animi duplicitas, mentiſq́; mutabilitas, quibus diuina, atq́; immortalis lex facillimè ad iram extimulatur. Inquit enim alibi de quibuſdam: *Iaculum vulnerans lingua eorum. Doloſa enim verba oris eorum. Proximis ſuis loquuntur pacifica, in ſeipſis autem habent inimicitiam. Super hos non aſpiciam, inquit Dominus. An in populo huiuſmodi non vlciſcetur anima mea?* Conſcenſurum autem etiam in montem Domini, inquid Dauid, inſontem manibus, et mundum corde, qui nõ cogitauit dolum in lingua ſua, neq́; fecit proximo ſuo malum.* Vetat itaq́; Lex tanquam turpiſsimum, planeq́; indecens doloſè ambulare, hoc eſt, verſutè viuere velle: et iuſtitiæ quidem ſpeciem præ ſe ferre, lædere autem fratres, dilectionis legibus deſpectis. Veſte etiam ex duobus contexta nos indui prohibet, figuratè quodãmodo ſignificans, ſe non ſuſtinere, verſutia nos præditos eſſe. Verſutiam autem eſſe dico, internum, atq́; intelligibile, deteſtabileq́; ſtudium placẽdi hominibus, aut duobus quodammodo ſtudijs non parum inter ſe diſcrepantibus, laborare. Quænam enim, aut qualis eſt hypocritarum vita? An non vt in conſpectu hominum boni videantur, re ipſa verò tales non ſint? PAL. Omnino. CYR. Duplex itaq́; eſt intentio ex diſsimilibus voluntatibus contexta. Cœterum Dauid vniformem commendat, et cœleſti cura dignari ait. Deus enim, inquit, inhabitat vniformes in domo.* Diſsipanda autem dicit etiam Deus oſſa eorum, qui hominibus placere ſtudent.* Quin et Paulus rem hanc ſummopere deteſtatur dicens: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus nõ eſſem.* PAL. Cui verò mortalium dubium eſſe poteſt, quod abſurdum revera, et à perfecta virtute alieniſsimum ſit, duplici animo eſſe, et ſimulatè agere? CYR. Inculpatæ igitur dilectionis, ac viro bono, ac iuſtò dignæ, fructus eſt, à dolo, et fraude liberum eſſe: atq́; huius rei, inquit Lex, eum, qui verè iuſtitiæ ſtudioſus, dilectioniſq́; erga fratres amator ſit, gloriam magnificare deberet: non ſi ipſe quidem, ac ſolus malefacere deſinat, ſed cognatis, aut alioqui familiaritate ipſi coniunctis magiſtrũ ſe præbeat. Præcipit autem etiã Paulus, vt is, qui eccleſiæ curam gerit, filios habeat in ſubiectione: atq́; hanc ipſam rem argumento eſſe dicit pietatis, qua præditus ſit, aut contra, inquiens: *Si quis verò propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo eccleſiã Dei curabit?* Idcirco inquit Lex veluti in exemplo, et manifeſta imagine: *Si autem cornu percuſſerit taurus virum, vel mulierem, et mortuus fuerit, lapidibus obruatur taurus, et

Marginal notes: Leuit. 19 — Leuit. 19 — Deut. 22 — Non indueris veſte ex lana et lino, quid ſignificet. — Ierem. 9. — Pſal. 14. — Verſutia ac dolus dilectioni cõtraria. — Verſutia quid ſit. — Pſal. 67. — Pſal. 52. — Gal. 1. — Hominibus placere ſtudẽtes, Deo odioſi ſunt. — 1. Tim 3. — Exod. 21

non comedentur carnes eius: at domi nus tauri indemnis erit. Si autem taurus cornupeta fuerit ante heri, et ante tertiam diem, et contestati sunt domino eius, et non clauserit eum, occiderit autem virum, vel mulierem, taurus lapidabitur, et dominus eius simul morietur. Si autem precium redemptionis impositum fuerit ei, dabit precium redẽptionis animæ suæ, quæcunq; imposuerit ei. Si autem filium cornu percusserit, vel filiam, iuxta iudiciũ hoc facient ei. Si autem seruum cornu percusserit, aut seruã, argenti triginta didrachmas dabit domino eorum, et taurus lapidabitur.* Videtur ne tibi clarum hoc præceptum? PAL. Non admodum. CYR. Audi ergo, quod dico: ac primum sanctißimum illum Paulum in memoria habe, ita scribentem:* Num de bobus cura est Deo? Aut propter nos omnino dicit?* Tauro itaq; comparat eum, qui contumeliosus, ac superbus est, iniuriaq; afficere valet. Intractabile enim, ac superbũ animal est, et immani robore præditum, eiusq; impetus ferri non potest. Huiusmodi itaque si fuerit, inquit, domesticus, et in quenquam rectè agere volentem impetum fecerit, atq; irruens interfecerit, morte mulctari iubet. Lapidibus enim obrui oportere ait. Possessorem verò ira eximit, si vesaniæ illius conscius non fuerit, neq; ipsius malitiæ particeps deprehendatur. Neque enim aliorum delicta nos implicant, si clam nobis fiant. Carnes autem tauri comedere vetat, veluti in typo per comestionem, et participationem subindicans, non oportere nos aliorum immunditiei participes fieri. Atqui nonne hoc est manifestè, *te ipsum purum serua, et ne communices peccatis alienis?* PAL. Omnino. CYR. Vnà verò cum tauro dominũ plecti iubet, si culpæ conscius fuerit, et ipsum cornu ferire nouerit. Nam cum prohibere quis poßit, ne malum fiat, neve alteri vis, atq; iniuria inferatur, et non summa diligentia eam propulsat, conscius is, atque adiutor declaratur, et eiusdem consilij, voluntatisq; cum ijs fuisse, qui iniuria affecerint. Interficiatur itaq; huiusmodi, inquit, nisi iudices precia redemptionis, et mulctam pro commißis imponant. Respicit autem Lex ad id, quod bonum est, et consensum ad peccatum, et si leuiter tantùm conscij sint. Punitur enim moderatius, si velint, inquit, iudices. At transfer typum ad veritatem. Iudex enim omnium morte mulctat atrocia peccata. Cœterum admittit peccatores precia expiationis adferentes, quæ peccatum dissoluunt, lachymas nimirum pœnitentiæ, labores post resipiscentiam, et eleemosinas. *Superat enim misericordia iudicium,* sicut scriptum est. Manifestam autem Lex eorũ etiam, qui iniuria affecti sunt, distinctionem facit. *Si enim filium, aut filiam, inquit, taurus interfecerit, moriatur: nulla adhibita misericordia. Si verò seruum, vel seruam, argentum mulcta esto.* Quænam autem horum ratio sit, quo pacto non dignum inuestigatione fuerit? Atqui libertas, et seruitus in nobis ex peccato, non autem morbus naturæ, quemadmodũ etiam ægritudines. Vnus enim nos creauit Deus, et vnus est omnium pater, iuxta vocem Prophetæ. Seruitutem ne igitur quorundam tanquam culpandam condemnat creator?

Margin notes: 1. Cor. 9. — 1. Tim. 5. — Precia expiationis pro peccatis sũt pœnitẽtia, labores, et eleemosyna. — Iacob. 2. — Seruitus non est morbus naturæ.

tor? aut seruitus apud ipsum despicabilis est? libertatem verò gloria auget? Nequaquam. In Christo enim Iesu neq; seruus est, neq; liber. Quocirca (vmbra enim est Lex) per filium quidem, et filiam liberum sanctorum genus significatur. Per seruum verò, et seruam id, quod adhuc seruum est, et subditum peccato. Neq; verò idem est aduersus sanctos delinquere, et peccatores: neq; eâdem pœna in vtrosq; animaduertitur. Quod enim fratres secundum naturam hi pariter, atque illi sint, manifestum omnino est. Cæterum sancti spirituali excellentia, et virtutis fastigijs eminent, magnoq; in precio apud Deum, et filiorũ, ac filiarum loco sunt, humanam seruileq; mentem longè excedentes. Sanctè verò agere, dilectionemq; erga fratres exercere alijs etiã modis nos Lex docet, quos deinceps adijcientes, quod in mentem venerit de singulis dicemus. Inquit enim rursum: *Si autem aliquis aperuerit foueam, aut exciderit cisternam, et non cooperuerit illã, et inciderit illic vitulus, aut asinus, dominus cisternæ soluet, pecuniam dabit domino eorũ. Quod autem mortuum fuerit, ipsius erit.* Hoc verò est figuratè, nõ ponere offendiculum fratri in scandalum: et quod prodesse solet, non sinere inutile quibusdam esse: vtq; quæ nobis, et alijs necessaria sunt ad salutem, non videantur ducere ad interitum. An non eum, qui cisternam aperit, aut exscindit, sibi ipsi, atq; alijs vtile quid, ac necessarium facit? Sed ne sint, inquit, tua alijs occasio periculi. *Charitas enim, vt inquit diuinus Paulus, non quærit, quæ sua sunt,* sed maiorem eorũ, quæ ad alios pertinẽt, rationem habet. PAL. Quis autem sit foueam aperiens, aut exscindens, quænam etiam fouea, velim equidem mihi declares. CYR. Quod quidẽ ex historia subindicatur, minimè obscurũ est. Oportere enim, inquit, operire foueam, ne damnum aliquod quibusdã eueniat. Porrò nouerit, inquit, qui hoc non fecerit, si quid sua culpa interierit, pecuniam se persoluturum domino suo: id verò, quod mortuum fuerit, ipsius fore. Cęterum relictis ijs, quæ in historia perspicua per se sunt, et ad contemplationem spiritualem rem transferentes, illud dicamus. Foueam videtur Lex in his appellare diuinæ scripturæ cognitionem, et sermonẽ de sancta, et consubstantiali Trinitate, notitiãq; mysterij secundũ Christum. Nam hæc veluti in profundo posita sunt: et viuificãdi potestatem habẽt: quod et Saluator ipse testatur, dicens: *Hæc autẽ est vita æterna, vt cognoscãt te solũ verum Deum, et quẽ misisti Iesum Christũ.* Quocirca qui in veteribus scriptis versatur, et diuinæ scripturę sermones diligẽter scrutatur, quiq; perfectam, ac synceram cognitionẽ quærit, magnã habet similitudinem cum fodiẽte puteum. Quærit enim aquam viuificantem, et fontem oblectantem, ac torrẽtem delitiarum. Qui autem eò doctrinæ peruenit, vt etiã sermones de mysterijs scriptis suis commendare, atq; illustrare possit, exscindit cisternam. Nouum enim opus facit, nõ aliorum sudoribus superædificãs, sed proprijs, seipsum pariter, atq; alios iuuans. *Fodiunt autem cisternas contritas,* secundum prophetæ vocem, etiam ij, qui falsi nominis scientiæ sunt amatores. Si quis igitur foderit puteum, caueat, inquit, ne quibusdam interitus causa

Aduersus sanctos aliter delinquitur, quam aduersus peccatores.

Exod. 21.

Offendiculũ non ponẽdũ proximo

1. Cor. 13.

Foueam aperire, quid spiritualiter significet.

Fouea, siue cisterna typus cognitionis scripturæ diuinæ.

Ioan. 17.

Ierem. 2.

causa fiat id, quod rectè factum videtur. Oportet enim nos rectè, et bona fide de Deo sermones facere, ne vlli scandali ansam præbeant. Atque hoc est, vt arbitror, operculum cisternæ imponi, vt sermo debita securitate nō careat. *Si enim, inquit, ceciderit bos, aut asinus: is, qui cisternam fodit, precium persoluet.* Bouem autem, et asinum rursus appellat, non simpliciter, sed profunda ratione. Et bouem quidem ait, vt intelligas sanctum, et purum genus. Asinum verò, vt intelligas profanum, atque immundum. Neq; enim offertur ex Lege in sacrificium Deo id, quod immundum est. Sanctum autem genus, et mundum esse dicimus eos, qui iam per fidem sanctificati sunt. Profanum verò, atq; immundum, qui nōdum per sacrum baptismum mundati sunt, sed adhuc peccati labem inustam gerunt. Perinde igitur est, ac si dicat: Si quod damnum inferatur, siue ijs, qui iam baptizati, quiq; iam consignati sunt per gratiam in familiaritatem cum Deo, siue ijs fortasse, qui eiusmodi nō sunt. is, qui scandali autor est, pœnam luet: et id, quod mortuum est, ipsi cedet: hoc est, ipsi adscribetur eius, qui passus fuerit, mors. Quod ipsum Saluator confirmat, dicens: *Qui scandalizauerit vnū ex paruulis his, qui credunt in me, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.* PAL. Rectè ais. CYR. Videas autem facillimè alijs etiam figuris nobis ob oculos ponentem Legem, quod damnosum sit, committere etiam hoc aduersus fratres. Verberare enim eorum imbecillam conscientiam, in Christū ipsum peccatum nostrum effert. Inquit igitur: *Si autem egressus ignis inuenerit spinas, et adusserit areas, vel spicas, aut campum, soluet, qui ignem incendit.* Neq; enim conuenit vnà cum ijs, qui iniquè agere solent, perire id, quod bonum est, neq; cum agrestibus absumi ea, quibus cultura adhibita est. PAL. Quo pacto ais? CYR. An non enim impiorum hæreticorū scripta, et Græcanicorum dogmatum præstigiæ meritò comparentur spinis in montibus, et agris nascentibus? Quęnam enim inde humanis animis vtilitas prouenit? Imò potius quale non damnum ijs, qui ad ea animum adijciunt? Ignis itaq; solius pabulum est spina. Accendunt autem etiam nobis ignem in æternum vana errantiū dogmata, et aniles idololatrarum fabulæ. Spica autem, et frumentum sua uissimus cibus, quo homines vescuntur, necessariaq; ad vsum. Vitā enim sustentat. Typus autem sunt veritatis dogmatum, per quæ credentes, veluti pane viuente, nutrimur: ac vero, Christo. Est autem scriptura sacra ijs, qui rectè in ea ambulare norunt, tanquam planus quidem, et apertus campus. Omnia enim conspicua accedentibus, secundum scripturam, et recta, inuenientibus notitiam. Quocirca spina, impura, ac profana est eorum, qui peruersi, ac deprauati sunt, dicacitas. Frumētum autem, et spica sermo veritatis animam iuuans, atq; nutriens. Planus autem campus, scriptura sacra. Quando igitur veluti flamma, atque ignis hæreticorum diuersa sentientium, et Græcorū præstigias sanctorum doctorum sermones inuaserint, veritatis dogmatibus patrocinātes, per solas, inquit, spinas incedant, et tanquam inutilem, atq; agrestem mate-

Marginal notes: Operculū cisternæ imponēdum, quid significet. — Bos, et asinus, quid mystice significet. — Matt. 18. — Exod. 22. — Hæreticorū scripta spinis cōparantur. — Spica, et frumētū typus veritatis dogmatū. — Scriptura sacra, planus campus.

materiam depaſcantur, ea nimirum, quæ ab ijs ſcripta ſunt. Ne verò ſimul frumẽtum, et ſpicam lædant, hoc eſt, in hoc omni ſtudio incumbant ſacrorum myſteriorũ interpretes, ne quid mutilẽt ex dogmatibus veritatis: aut ſciat, inquit, is, qui id ſecurè facere nequiuerit, quòd ſi contigerit vnà cum malis comburi aliquid eorum, quę neceſſaria ſunt ad vtilitatem, negligentiæ ſuæ pœnas eum ſubiturum. Intelligis itaq; quantam nos legiſlator dilectionis erga proximos curam gerere pręceperit, illius ſynceritatem vbique integram, illibatamq; cõſeruans? PAL. Intelligo.

Explicit liber ſeptimus.

D. CY.

De adoratione, et cultu,

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber octauus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

De dilectione erga fratres: et in furantem vitulum, aut ouem.

CYRILLVS.

Vnde quaq; igitur, ô Palladi, intelligere potes quã rectos et exactos fieri iubeat vetus lex de rebus sacris sermones. Eos verò, qui rudiores quosdam decipere consueuerunt, nequaquam pęna carituros significans, ita rursus in-

Exod. 22 quit: *Si autem quis furatus vitulũ, vel ouem, et occiderit illam, vel vendiderit, quinq; vitulos soluet pro vitulo, et quatuor oues pro oue. Si autem in effossione inuẽtus fuerit fur, et vulneratus mortuus fuerit, non est illi cędes. Si autem ortus fuerit sol super eum, reus est, simul morietur. Si autẽ non est substantia illi, vendatur pro furto suo. Si autem deprehensum fuerit, et inuentum in manu eius furtum ab asino vsq; ad ouem viuentia, dupla ipsa soluet.* PAL. Non admodum perspicuus est sermo. Tu verò quid nam sit, quod tanquam in figura edicitur, dicere tenta. CYR. Lex vtiliter pœnam indicit eis, qui aliena vsurpare voluerint: et subuertit quodammodo eum, qui effreni cupiditate surripiat ea, quæ fratris aut proximi sint: adeò vt si cõtingat, inquit, in ipso furto mori eum, qui in eo deprehensus fuerit, interfectori nullam inde pœnã deberi. Insigni etiam ignominia eum notat, dicens quòd oporteat eum vendere, nisi redemptionis precium persoluendo se saluet: ad rectè viuendum metu compellens. At verò occultus historiæ sensus longè diuersus ab hoc est. Quem, quoad eius fieri poterit, explicabimus. Bos quidem, et ouis pura vtraq;, sanctaq; sunt, atq; in odorem suauitatis offerũtur Deo. Sed bos quidem magnitudine corporis præstat. alterum verò non item. Minor enim est ouis, quàm bos. Boues igitur, et oues, et tanquam pura quædam et sacra animalia, eorum, qui per fidem iustificati sunt, sancta multitudo est, fissam vngulam habentia, et ruminan-

tia

tia secundum Legem, mitesq; fructus operantia. Arat enim bos. Fructuosa autem est ouis. Et stabulatur quidē in diuinis caulis, hoc est, in ecclesijs, eorum qui vocati sunt, grex. Multi verò circa ipsam versantur fures, perfodiētes atq; irrepētes, ac varijs imposturis simpliciorū animas extrahētes, et tantū non vendentes interfectori Satanę. Cœterū qui huiusmodi quid fecerit, quinque boues, inquit, pro vno persoluet, et quatuor oues pro vna. Quintupli enim pœnā furanti bouē, quatrupli verò furanti ouem proponit, iuxta mensurā (vt arbitror) spiritualis secūdū virtutem quantitatis eorū, qui perditi sunt, pœnam irrogans. Typus autem sit atq; vmbra quantitatis in virtute, quātitas corporalis. Maius enim et minus in pietate facilè videre est in fidelibus: quandoquidem non æqualiter omnes, *sed vnusquisq; nostrum
1. Cor. 7.
propriū donū accepit à Deo: hic quidem sic, alius verò sic:* Si vero furās et perfodiens, latrocinijq; opera exequēs, veluti in nocte ac tenebris deprehensus, atq; tūc interfectus fuerit, res ea pro cæde non est habenda: neq; is, qui occidit, accusandus: nam is, qui occubuit, aliena violēter inuasit, et belli lege occisus est. Exorto autē sole, cūq; iam furti tēpus præterierit, percussoris manus reprimitur, et homicidij accusatur. Quando enim fur spiritualis animā eius, qui credit in Christū deprædatur, atq; ab amore in Deū diuellit, si in ipso crimine deprehendatur, meritò capitale de eo suppliciū sumetur. Animā enim occidit corpore prestātiorem. Exorto verò in ipsius mēte sole, et illustrāte instar lucis ac diei veritatis cognitione, periclitari nō sinit. Puniūtur enim opera noctis et tenebrarū: quæ autē veluti in luce versantur, nō itē. Remittere autē veteres culpas, quęq; in ignorātia ac tenebris sūt Deus iustū censuit. Ac quidē dicatur ijs, qui ex peccato in lucē spiritualem traducti sūt: *Eratis olim tenebrę, nūc autē lux in Dño.* Ita autē iustificauit
Ephes. 5.
Dñs etiā diuinū Paulū, qui antea blasphemus, persecutor, et cōtumeliosus erat. Acerrimè enim persecutus est ecclesiā Dei, et vastauit eā. PAL. Rectissimè ais. CYR. Si verò non possit, inquit, quinq; boues pro vno, neq; quatuor oues pro vna persoluere, vēdatur pro furto. Vides, quo pacto apertè seruilē ignominiā Lex ei inurat, qui assiduo atq; nō abluto peccato laborat: et nec, vt ita dicā, actibus pœnitētiæ culpā à se remouere valet: neq; ob mētis debilitatē perpeti labores, et sudores potest in pœnitentiā, et huiusmodi sudoribus, et laboribus sibi Deū propiciare? Vēdi igitur debere inquit. Neque enim eos, qui ita coinquinati sunt ijs annumerari sinit, qui per diuinam gratiā ad libertatē vocati sunt. At verò expulsi ab eo honore, qui liberos decet, audient etiā ipsi: *Ecce iniquitatibus vestris vēditi estis.* Si autem is,
Esai. 50.
qui furatus est, deprehēdatur: nondū verò abstulerit, hoc est: Si quis hæreticorū deprehendatur, qui imposturis suis et fraudibus alios aggredi cœperit, nondū autem deuicerit, et in perniciem traxerit, duplum persoluet. Dñs enim gregis id, quod suum est, recipiet. Impostor verò suppliciū luet, (hoc enim est duplum persoluere,) et pęnā sustinebit capitalem. Quo enim malo afficere volebat alios, eo ipse, et quidē meritò subiacebit. PAL. Quā graue et perniciosū revera est impostorū institutū: de quibus arbitror Christū ipsū dixisse: *Cauete ab ijs, qui veniūt ad vos in vestimentis ouiū, intus
Matth. 7.
autem

autē sunt lupi rapaces.*CYR. Rectè igitur Lex tanquā feras bestias mortē mulctat. Scriptū enim est in Exodo.
Exod. 21. *Si quis furatus fuerit aliquem filiorū Israël, et oppressum eum vendiderit, et inuentus fuerit in eo, morte moriatur.* In Deuteronomio verò. *Si autem deprehensus fuerit homo furans animam ex fratribus suis filiorum Israël, et oppressum ipsum vendiderit, moriatur fur ille.* Neq; enim fas est sacrum Christo genus vastari, atq; in insitatam seruitutem traduci ab ijs, qui hoc facere consueuerunt. Quemadmodum enim puerorum impostores ab vrbe ac domibus suis eos abducunt, et à libertatis gloria deturbātes, violento seruitutis iugo subijciunt: eādem planè, arbitror, ratione, eos, qui rectè sentire volunt, quiq; vitam liberis hominibus dignam instituunt, varijs rationum fraudibus ad id, quod ipsis videtur, abducentes, meritò deprædationis humanarum animarum accusationem incurrunt. Pœna autē eorum mors est. Porrò huiusmodi,

Hęretici puerorū abductoribus cō parātur.

2. Ioan. *ne salutere quidem iubete,* inquit Saluatoris discipulus. Non quòd morum austeritatem nobis commendet, sed quòd nulla ratione lupo cum oue conueniat: nullaq; esse possit inter eos qui sententijs dissident, societas. Quæ nam enim portio est fideli cum infideli? Præterea cum scortatoribus huius seculi non esse contrahendam familiaritatem Paulus ipse scribit. Ne itaq;, veluti è paternis laribus, ab ecclesia Dei quidam abripiantur: et ad prauorum cœtum deducantur defectione ad malum, propriam quodam modo mentem vendentes. Corrumpunt enim bonos mores conuersationes prauæ. Lex capitale suppliciū in-

dicit ijs, qui hoc impijssimè facere in animum suum induxerint. Videas autem hoc ipsum obliquè nobis subindicantem rursum per aliud etiam præceptū. Annumerat enim ad id, quòd rectè habet, mundanas res per apertiorem paratioremq; accipere volentibus contemplationem. Neq; enim historiam in ijs, quæ in primis vtilia sunt, tāquam vanam reijcimus. Iuuat enim nonnunquam auditores etiam sola litera: parturit namq; quodāmodo in profunditate spiritualia, et subtilium cogitationum vim, veluti tenuibus vmbris, occulit. Dicit autem in Exodo rursum: *Si deceperit quis virginem indesponsatam, et dormierit cum ea, dote dotabit eam sibi vxorē. Si autem renuens renuerit, et non voluerit pater eius dare eam illi vxorē, argentum soluet patri, secundū quod est dos virginum.* Laxans autē quodammodo nobis diuinum præceptū Moyses in Deuteronomio, inquit: *Si autem inuentus fuerit homo dormiens cum muliere maritata viro, occidetis vtrumq;, virum dormientem cum vxore, et vxorem: et auferes malum ex Israël. Si autem fuerit puella virgo desponsata viro, et inueniens eam homo in ciuitate dormierit cum ea, educetis ambos ad portas ciuitatis eorum, et lapidabuntur in lapidibus, et morientur: puella, quia non clamauit in ciuitate: et homo, quia humiliauit vxorem proximi sui: et auferetis malum ex vobis ipsis. Si autē in agro repererit homo puellam despōsatam, et vim inferens dormierit cum ea, occidetis hominem dormientem cum ea solum, ac puellæ facietis nihil: non est puellæ peccatum mortis. Quoniā sicut si quis homo insurgat cōtra proximum

Litera sola nōnūquam iuuat.

Exod. 22

Deut. 22

ximum suum, et occiderit eius animam: sic res hæc, quoniam in agro inuenit eam. Clamauit puella desponsata, et qui auxiliaretur non erat ei.* Historiæ itaq; textus nulla, vt arbitror, interpretatione ad intelligendum indiget. Clarus enim et perspicuus est. Oportet autem nos, vt videtur, hanc in præsentiarum omittentes, interiorem, secretioreq́; viam ingredi. PAL. Rectè. CYR. Dico igitur, quòd quemadmodum inter omnia crimina, quæ cum mulieribus committũtur, grauissimum est adulteriũ, quippe quod alterius nuptias dirimat: eosq́;, qui iam vniti sunt, disiungat: eâdem planè ratione ex omnibus, quæ in humanas animas delinquuntur, maximè impium, maximeq; intolerabile flagitiũ est, interitum moliri: non cuiuis simpliciter, sed animæ quodammodo cõiugatæ, atq; vnitæ Christo, superno ac cœlesti sponso. Vniti enim sumus ipsi per fidem: et amplius, quòd participes sumus Spiritus sancti.* Qui enĩ conglutinatur Domino, vnus spiritus est,* iuxta scripturas. Lex igitur morte mulctat meritò vnà cum adultero adulteram: atq; hunc quidem, quòd ipsi existentis in eo impietatis semina immiserit: hanc verò, quòd despecta synceritatis lege, alteri sui potestatem fecerit, et illius corruptelis mentem pandens, humanarum inuentionum coinquinationem conceperit. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Mulieri igitur viro legaliter coniugatæ comparanda est anima per fidem, et spiritum Christo copulata, atq; vnita. Virginem autem despõsatam cogitemus esse animam quæ iam vocata sit ad principia veræ cognitionis, nondum verò perfectè Christo vnita: quæq; veluti nuptias quasdam, et veriorem cõiunctionis modum expectat: nimirũ gratiam per Baptismum, et Sanctispiritus participationem: et quæ veluti arrabonem, siue primitias cõuersationis primum de elementis fidei sermonem susceperit. Ita enim diuinus ille sacrorum mysteriorũ interpres (Paulus hic est) Ecclesiam ex gẽtibus Christo obtulit. Ita enim scribit:* Adiunxi enim vos vni viro, vt virginem castã exhiberetis Christo.* Ipse autem spõsus alibi inquit per vocem prophetarũ:* Et despõdebo te mihi ipsi in seculum in iustitia, et in iudicio, et in misericordia, et miserationibus, et in fide: et cognosces Dñm.* Si igitur fiat, inquit, huius labis culpa in huiusmodi quadã anima, res hæc adulterij incusetur. Rea enim est desponsata, et spõso propediem futuro obnoxia. At si in ciuitate, inquit, hoc crimẽ cõmittatur, hoc est, si in ecclesia Christi, et in ciuitate Dei viuentis, quã inhabitãt angeli, ac viri sancti, duces atq; magistri periclitantium, quiq; deceptis opem ferre valeant, moriatur vnà cum impostore etiã virgo affecta. Cum enim facilè liceret effugere hãc labem, si magistris, qui saluare norũt, id significasset, volũtario malo laborauit, neq; necessariò ad prauitatem abducta est. Si autẽ non in ecclesia, inquit, cõtigerit, neq; in ciuitate Dei viuẽtis, sed veluti in campo, atq; agro, vbi magister, qui opem ferret, non erat: magnaq́; eorũ, qui meliora suadere consuerunt, solitudo, periclitetur solus, qui vim intulit. Excessus enim hoc factũ est, et malum, cui nõ est subuentũ, atq; vix euitabilis quędã necessitas accusationem à se submouebit. An nõ enim superuacaneum censebimus eos incusare, qui

Adulteriũ, omnium criminum, quæ cũ mulieribus committũtur grauissimum: quod matrimoniu dirimat, quoad torum.

1. Cor. 6.

Anima Christo per fidẽ, et spiritũ copulata, mulieri viro legaliter cõiugatę cõparatur.

Anima recẽs vocata ad principia veræ cognitionis de Deo, cõparatur virgini despõsatæ.

2. Cor. 11.

Oseæ. 2.

præter voluntatem suã, atq; inuiti op presi sunt? PAL. Omnino. Sancta enim Lex est. CY. Rectè dicis. Atqui minutius horũ inuestigationem persequens, cõmensurat quodãmodo pœnas culpis, neq; omnino supplicio eximens eos, qui circa minora deliquerunt: neq; rursum pari comprehendens eos, qui circa maiora: sed pęnas culpis magnitudine correspondentes proponit. Inquit enim rursus: *Si autẽ quis inuenerit puellã virginẽ, quæ nõ desponsata est, et vim faciens illi, dormierit cum illa, et inuẽtus fuerit: dabit homo, qui dormierit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argẽti, et eius erit vxor, quia humiliauit eã. Nõ poterit dimittere eam omni tẽpore.* Adulterij quidẽ reum statuit, qui cũ desponsata cõgressus fuerit, modis nimirũ iam prædictis. Si verò nondũ, inquit, coniugata deprehensa fuerit, neq; adhuc Christo per fidem despõsata, veluti in forma virginis, anima: ac deinde eam aliquis ad impietatem sermonibus suis coinquinans traduxerit: et ex errore in errorem detulerit, cuiusmodi quid hæretici faciũt, ex gẽtibus nonnunquã et Iudęis rapientes, inq; suam sententiã trahẽtes, minimè impunitũ facinus suum inueniet: sed culpæ suæ pęnas Patri spirituum, hoc est, Deo persoluet, veluti mulcta pecuniaria optimè punita. Hoc verò, ipsius erit mulier, scitu dignũ est. PAL. Intelligo quid velis. Duplex enim est lex: carnalis, et spiritualis. CYR. Animaduerte autẽ, quo pacto neq; veteris præcepti sermo ignorauit, quod Christus dixit de viro, et muliere: *Quæ igitur Deus cõiunxit, homo nõ separet.* Ipsius enĩ sit, inquit, mulier: quia humiliauit eam. Atq; insuper cõsidera, quãta sit castissimę virginitatis dignitas. Humiliationem enim sacra scriptura vocare dignatur deuirginationẽ, et quodãmodo honestatis depositionẽ. PAL. Rectè ais. CYR. Vetãs itaq; tanquam impias, ac revera Deo odiosas hæreticorũ præstigias, abductioneq; ad prauitatẽ eorũ, qui rectè ambulãtes subuertere student: et declinationẽ ad ea, quæ non cõuenit, aliud etiam instruxit, quod et ipse diuinus Paulus disciplinarũ optimũ statuit, dicens: *Nõ esse sermonibus contendẽdũ de vlla re vtili, aut ad subuersionẽ audientium. Superuacaneæ enim disceptationes, nimiumq; contentionis studium circa quæstiones minimè necessarias pugnas pariunt, et auditorũ animos lædũt. Quidã enim ex animi leuitate id, quod rectũ non est, quodq; nonnunquam temerariè imperiteq; dictum est, amplectuntur, et laudare contendunt: nonnullos verò optima quæq; damnantes æquali cum alijs ruditate laborare videas. Pauci autem omnino sunt, qui discernere, et vtilia damnosis præferre norint. Quo fit, vt huiusmodi ægerrimè mentẽ illæsam tenere possint in aliorũ cõtentiosis disceptationibus. Quòd igitur res hæc ijs hominibus nõ indemnis futura sit, Lex rursus nobis indicat, dicens: *Si autẽ pugnauerint duo viri, et percusserint mulierẽ vtero gestãtem, et egressus fuerit infans eius nõ figuratus, dãno mulctabitur, prout imposuerit vir mulieris, et dabit cum postulatione. Si autem figuratus fuerit, dabit animam pro anima.* Ratio quidem est, embriõ in matrice humana specie vix dum præditũ esse, neq; figurã nostri corporis prę se ferre, donec quadraginta dies excesserit. Idcirco aiũt Moysen ex Aegy

Margin notes: Deut. 22 — Marc. 10 — Virginitatis dignitas, quanta sit. — 2. Tim. 2 — Disceptationes et cõtentiones circa quæstiones periculosæ. — Paucĩ vtilia a damnosis discernere norunt. — Exod. 21 — Mulier vtero gestans percussa Exod. 21. quid spiritualiter significet.

ex Aegyptiaco errore quodammodo parturientem, et reformantem populum Iſraeliticum ad vitam legalem, cibo ac potu abſtinuiſſe. *Panē enim, inquit ſcriptura, non comederunt: et aquam nō biberunt per quadraginta dies.* Quod ipſum etiam Chriſtus erga nos feciſſe, ac ſuſtinuiſſe deſignatur. Reformata enim eſt in ipſo ad ſanctificationem per temperantiam natura, ex intemperanti cupiditate primi parentis, coinquinatione in peccatum et transgreſsionem laborans. At qui hæc quidem intelligere nos, veriſimile eſt. Cœterū quo pacto hiſtoriæ ratio ſe habeat, nunc videamus. Quomodo autem intelligi debeat, mulierem vtero geſtātem percuti ab ijs, qui verbis cōtendere cōſuerunt, age nūc, inquiramus. Habet enim non vulgarem delectationē arguta de his rebus diſputatio. Fructus itaq; eſt, ſiue fetus mentis, fides in Chriſtū: quæ nos abſoluta cognitione ad ipſum transformat, et in diuinam figuram effingit. Idcirco credentes per vocem Eſaiæ, hoc, vt arbitror, ſignificātes, pulchrè exclamarunt. *Propter timorem tuū Dñe grauidi facti ſumus, et parturiuimus, et peperimus ſpiritū ſalutis tuæ, quem dediſti ſuper terram.* Fructus igitur eſt, et ſpiritualis ac ſalutaris fœtus mentis, fides in Chriſtū, quæ diuinos nobis characteres imprimit. Ijs igitur, qui ex perfectiore cognitione temerè ad minorē, imperfectioremq; delabuntur, (Galatæ verò hi ſunt) diuinus Paulus inclamat, dicens: *Filij mei, quos iterū parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Initiati enim ſpiritui, perfectionem ſecundū carnē affectabāt, ad Legis cultum tranſlati. Quocirca imperfectā in ſeipſis Chriſti figuratione efficiebant, abortiētes quodammodo quod in ipſis, veluti in vtero, recōditum erat bonū. Quocirca id, quod in cognitione perfectū, et in fide cōſummatū eſt, Saluatoris figurationē omnium noſtrū animis inducit. Atq; hoc in nobis erit veluti diuinū quoddam ſemen. Cum igitur non nulli ex aliorū contētioſis diſceptationibus ſcandalizati fuerint: ac deinceps anima, quę hoc damno affecta fuerit, iam veluti vtero cōceptam, ac in mētis ſinum recōditam fidem, cognitionemq; abortierit: ſiquidem fuerit, inquit, nondū effigiata, ſed imperfecta adhuc et informis: is, qui ſcandali author extiterit, luet pœnā, quam ipſius ſponſus, hoc eſt, Chriſtus ipſi deſignarit: et dabit cū poſtulatione, et gratias aget, quòd non capitalior pœna ipſi irrogata ſit. Si autem, inquit, ſpiritualis animæ fœtus iam effigiatus fuerit, hoc eſt, ſi cognitio et fides fuerit, Chriſti figuram gerens, extremo ſupplicio mulctabitur, quippe qui homicida iā ſit. Animæ enim mors eſt ſynceræ fidei, rectęq; cognitionis amiſsio. Quocirca inquinationē eſſe ait, eiuſcemodi impiarū doctrinarū participem fieri, ac ſermonū, quibus vtatur vir eſca diaboli effectus, et dęmonici gregis cibus. Ac vetat rurſum veluti in figura dicens: *Carnem à beſtijs captam nō comedetis, cani proijcite eam.* Canē enim impudentem atq; impurū hominem vocare, ſacræ ſcripturæ cōſuetudo eſt. Conueniens porrò ſit eiuſcemodi, arbitror, omnis ſermo execrabilis ac fętidus, et ex ipſo Beelzebu compoſitus, veluti fera beſtia, ſubiacētem ſibi, atq; ad hoc ſeruientem animā deuorante. Nemo enim dicit, anathema Ieſus, niſi in Beelzebu. Sanctos itaq; adeò

Fœtus mētis eſt fides.

Eſai. 26.

Gal. 4.

Exod. 22

Carnē a beſtijs captā, cani proijciēdā, quid ſpiritualiter ſignificet.

Canē ſacra ſcriptura vocat hominē impudentē et impurū.

adeò turpium falsarumq; doctrinarū et sermonum participes esse, inconueniens planè absurdūq; est. Nulla enim est societas luci cū tenebris. PAL. Rectè. CYR. Quòd autem vigilātes esse oporteat, qui præfecti sunt, et quibus ouilium cura incumbit, rursus edicit. Quanā verò ratione hoc erga nos cōuenienter prçstandū sit, subindicat in Leuitico, dicens: *Iumenta tua nō coire facias cū iumēto alterius iugi, neq; seminabis vineam tuam diuerso semine. Gregibus enim caprarū et ouium, aut alioqui vineæ cōparanda est subditorum multitudo. Audiuit enim diuus Petrus: *Simon Iona, amas me? Pasce oues meas.* De filijs verò Israel propheta Esaias inquit: *Vitis enim Dñi Sabbaoth, domus Israël est: et homo Iuda planta dilecta.* Pastoris igitur virtus est, non immittere ad oues animal aliquod alterius generis, quod quę ab innata ipsis generis prçstantia degeneret. Qui autem vitem plātat, si modo cordatus, et agriculturæ peritus sit, nequaquā permittit sicciora semina inter ipsas vites nasci: ne humore in alienas res absumpto, ipsæ in eo, quod propriū est, defectū patiātur. At verò veluti ex imagine ad spiritualē sensum te cōfer. Rationalem gregem diuersa docētium magistrorū, veluti spirituali seminationi, ac doctrinę impiè implicari minimè permittamus. Deformis enim mirū in modū est diuersarū mētium fructus: sermonesq; eorū, qui in fide nō cōueniunt, prauorū fœtuū authores sunt ijs, qui eos suscipiūt. Cū autē nos vites simus, et in vinetorū ordine collocati, vniformi quodāmodo fructu coronari oportet, et à morū duplicitate alienissimos esse. Nulla enim ratio similitudinis naturalis frumēto cum vuis intercedit. Alienorū igitur seminū nullus nobis sit locus. PA. Rectè ais. CYR. Quin et alio modo disiuncta, separataq;, et societatis inter se expertia ea, quę moribus dissident, ostēdit: in typū proponēs absurdissimū, monstruosissimūq; rationalis animalis cōgressum cū eo, quod tale nō est, at potius alterius speciei, et naturæ. Atq; in Exodo quidē ita inquit: *Omnē, qui dormierit cū iumēto, interficietis eos.* Manifestius autē rursus in Leuitico.* Qui dederit coitū suum quadrupedi, moriatur: et quadrupes interficite. Et mulierem, quę accesserit ad quoduis iumentū, vt ascēdatur ab eo, interficietis eam, et iumentū: morte moriātur, rei sunt.* Cōsuetudines enim, ac veluti cōmistiones spirituales, ac cōgressus, cum quibus minimè cōuenit, et per quæ mēs extrema rationis alienatione laborat, mortē corruptoribus pariter, atq; ijs, qui voluntariā labē sustinēt, cōciliāt. PAL. Rectissimè, sanctissimeq; Lex se habet. CYR. Mireris autē etiā hoc. Sūt enim quidā veluti ex intolerabili violētia, quiq; velint nolint ex rectitudine cogitationū in obliquū labūtur, et tanquā ex necessitate, non absq; lachrymis errorē sustinēt. Nō igitur auxilio destitutū despici huiusmodi genus hominū Lex voluit. PA. Quidnā ais? CYR. Eos, qui iugo seruitutis deuincti sunt, et emptorū potestate oppressi. PAL. Quanā verò ratione Lex etiā his subuenit? CY. Remittit enim à vinculis et vi, si damnū sit circa animā: et aufugere eum, qui iniuria affectus fuerit, si voluerit, nemine impediente, apertè præcipit. Ita enim in Exodo inquit: *Si verò quis percusserit oculū serui sui, aut oculū seruę suę, et excæ-

Pastores vigilātes esse oportet.

Leuit. 19
Iumenta tua non submittes iumēto diuersi generis quid spiritualiter significet.

Vineam non esse plātandā diuerso semine, quid spiritualiter significet.

Esai. 5.

Exod. 22

Leuit. 20

Exod. 26

et excæcarit, liberos dimittet eos pro oculo ipſorum. Si autem dentem ancillæ ſuæ eiecerit, aut dẽtem ſerui ſui, liberos dimittet eos pro dente ipſorum.* Quantum enim attinet ad contemplationem exteriorem, et vulgarem ſenſum, cohibet audaciam, moderatasq́; eſſe vult dominorũ iras, neq; illas eò progredi, per quæ ſubditi eorum, quæ ad bonam conſtitutionem requiruntur, detrimentum patiatur.

Dominorũ in ſeruos iram Lex moderatur.

Nequaquam autem permittit effreni ira percelli, et in ipſam iam naturam violenter agere, cuius ſolus creator dominus eſſe cognoſcitur. Seruitus enim, eiusq́; malum, non eſt defectus naturalis, ſed vi inductus. In Chriſto ſiquidem Deus et Pater omnem naturam ad priſtinum ſtatum inſtaurat: (Num enim in Chriſto noua creatura?) Tollit autem in vniuerſum ſeruitutis turpitudinem. Paulus enim ita ſcribit, *quod in Chriſto Ieſu, neque ſeruus eſt, neq; liber.* Aufert itaque Lex, inſtruens ad ſummũ, effrenem illam licentiam, et poteſtatem, modũ omnem, menſuramq́; excedẽtem: pœnam proponens Legis violatoribus, eorum, qui iniuria affecti fuerint, manumiſsionem. Sed hæc quidem ad literam, atq; vmbram, ſi quis ita intelligere velit. Si autem Legis intentio ſpiritualiter explicetur, alium etiam ſenſum, Palladi, cõtemplationibus in eo contẽtis, accomodabis. Lucem enim hanc mundanam corporis oculis ſuſcipimus, et miramur. Lux verò diuina et ſpiritualis in cordibus noſtris oritur. Et cibus quidem corporis dentibus teritur, et vitam cõſeruat. Quæ autem in diuinis contemplationibus ardua, difficiliaq́; ſunt, mentis robore, veluti dente, tantum non comminuuntur, animamq́; nutriunt. Quocirca ſapientia diuinam nobis ac ſpiritualem menſam pandens,* Venite, comedite panem meum,* inquit. Si igitur ſeruo circa aliquod horum dãnum acciderit, domino ex rectitudine dogmatum in abſurdum errorem prolabi cogente, ſoluatur, inquit, vinculum, nullaq́; neceſſarij iugi ratio habeatur. Abijciatur verò poteſtatis metus, et qui deuinctus erat, deinceps eat, quo ipſi illeſo ire poſſe videbitur. Nihil enim anima præſtantius: atque vt ſaluetur, inquit, ſoluatur à ſeruitute. Videas autem verum ſermonem noſtris etiam temporibus impletum. Neq; enim ſuſtinent ſerui dominos ad errorem traducentes, aduerſus poteſtatem, qua premuntur, hoc, quod hac in re veriſimile eſt, opponentes. Seruitutis enim ponderi corporis ceruicem ſubmittentes, mẽtem in ſeipſis incontaminatam ſeruant: et ſermonẽ de vera fide apertè, ſyncereq́; cognoſcere, multo longẽ, imò potius toto digníus eſſe crediderũt, atq; rem ipſam ſpiritualem cibum faciunt, veluti viã quandam menti ſternentes, id, quod in aurem ingreditur, et diuinorũ conſiliorum poteſtatem inquirũt. PAL. Quàm apertè, rectèq́; ſermo hic ſe habet. CYR. Porrò lex alia etiam ratione nos ad mutuum amorem inducit, perſuadẽs vt vnanimitatem cum proximis colamus, inæqualitatis verò modos odio proſequitur, ac punit. PAL. Quo pacto ais? CYR. Audi itaque. Scribit enim rurſum: *Si autem cornu percuſſerit alicuius taurus taurum proximi, et mortuus fuerit, vendent taurum viuum, et diuident precium eius, et taurum mortuum diuident. Si autem cognoſcitur taurus,

Seruitus nõ eſt defectus naturalis.

Gal. 3.

Dẽs, aut oculus ſerui a dño percuſſus, quid ſpiritualiter ſignificet.

Prou. 9.

Exod. 21

quòd cornupeta est ante heri, et ante tertium diem, et cõtestati fuerint domino eius, et nõ clauserit eum, soluet taurũ pro tauro: at mortuus illi erit.* Vides figuram, et quodámodo nobis ex imagine ad rem ipsam rectà procedentẽ sermonem? Si enim contigerit, inquit, mori alicuius taurũ viuẽtem, et vtriusq; erit rursum mortuus. Hoc est: Si alicui damnum siue iniuria ab alio imprudenter, neq; data opera inferatur, fruatur, inquit, is, qui iniuria est affectus, bonis eius, qui iniuriã intulit, et cõmunes habeant fruitiones. Hoc enim est, vt arbitror, diuidi taurum viuentem. Communem autem faciat, inquit, is, qui etiam nolens offenderit, cum offenso iacturam. Hoc enim existimo significare, diuidi mortuum. Vides itaq;, quo pacto Lex figuratè adhuc, et adumbratè mutui amoris modum proponit. An nõ hoc est, Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus? PAL. Ita videtur. CYR. Si verò, inquit, is, qui iniuriam infert, certò sciuerit proximum graue damnum accepturum, nisi damni occasionem de medio tollat, æquale ipse damnum sustinebit, alteriusq; calamitatem propria anima exantlabit. Hoc enim figuratè significat, soluet taurum pro tauro. Mortuus autem ipsius erit. Neq; enim solùm proprijs bonis excident, sed id damnum, quo proximum affecerant, in sua ipsorum capita redundabit. PALLA. Rectè. CYR. Quin et Paulus nobis sapienter mutui amoris legem præscribit, ita alibi dicens: *Non vestra ipsorum querentes, sed etiam quæ aliorum.* *Charitas enim non quærit, quæ sua sunt,* sed potius quæ aliorum sunt, procurat: et quo pacto fratrum res bene se habeant. Hoc autem ipsum vetus scriptura rursum innuit: ita enim ait: Si autẽ depastus fuerit quis agrũ, vel vineam, et dimiserit iumentum suum, vt depascatur agrum alienum, soluet ex agro suo iuxta fructum eius. Si autem omnem agrũ depastus fuerit, optima agri sui, vel optima vineæ suæ soluet. Qui quidem alienis agris iumẽtum suum immiserit, auget rem familiarem, et quærit quodammodo, quæ sua ipsius sunt: cœterum non ex ijs, quæ vicino suo iucunda sint, aut quibus proximus gaudeat, sed ex quibus ipsum iniuria, damnoq; afficiat. Consulendum itaque est priuatis nostris commodis, hoc est, quęrẽda quæ nostra ipsorum sunt, non damnum alijs inferendo, sed tali via, ac modo, vt nihil delinquamus, neq; proximis incommodemus. Hoc enim manifestè fuerit, quærere quæ aliorum. Aut sciat, inquit, si inconsideratè fratres iniuria affecerit, atq; improuidè proximo damnum intulerit, solam priuatarum rerum curam gerens, æquale damnum subiturum, et id, quod commodi speciem præ se ferebat, rerũq; quæ maximè ipsi charæ erãt, amissionẽ conciliaturũ. Hoc enim, arbitror, est, Optima agri sui, et vineæ suæ soluet. Quadret autem, vt mihi quidem videtur, rei propositæ vis hæreseωn inuentoribus: quorum execrabiles, atque insani discipuli, instar iumentorum rationis expertiũ agros, et vineas heriles depascuntur, in damnationem, ac supplicium eorum, qui hæreseos authores extiterũt. Illi enim optimarum rerum damno mulctabuntur, animæ nimirum ipsius interitu. Nam vineæ, siue agri, et sigillatim vniuscuiusque præstantissima, optimaq;

Lex de taurocornupeta, Exod. 21 declarata

Philip. 2

1.Cor. 13

Exod. 22

Quærere quæ aliorũ, quo pacto intelligendũ.

timaq; portio est anima. PAL. Fructum igitur charitatis esse dicimus, quærere, quæ aliorum sint, et non sua ipsius tantùm. CYRIL. Omnino Palladi, ac quidem implere charitatem erga fratres, vtpote Deo gratissimã. Onerari autem dilectionem superfluo, nimioq; nostro abusu non sinit. Subuertit enim facilè, etiam rectè cõstitutam mentem, tametsi iam bene in quauis virtute sit exercitata, id quod modum excedit, et infausto impetu limites trãsilit. PAL. Quidnam ais? Neque enim satis assequor. CYR. Nonne mãsuetudinem, ac malorum tolerantiam virtutem esse censes? PAL. Omnino. CYR. Si quis autem fortasse mansuetudinem tolerantiãq; exercentem, iniurijs, et contumelijs lacessat, alijsq; rebus, quæ iram prouocare solent, siquidem hæ moderatæ fuerint, toleret quidem subinde, fortiterq; ferat, remq; ipsam veluti exercitamentũ quoddam sibi ad mansuetudinem, iræq; carentiam faciet. Si quis autem modum excedat, et tolerantiæ limites transiliat, minimè nouum erit, virtutem quodammodo vi affectam, atq; oppressam nonnihil debilitari. PAL. Rectè ais. Ebrium enim quodammodo est in hominibus bonum, et nemine etiam concutiente, ęgrè subsistit. CYR. Ad ipsam igitur, si videtur, dilectionem te confer. Virtus enim reliquis præstantior est: at nimium abusum non sustinet: quod quidem rursus veluti in forma parabolæ, claræq; similitudinis Lex nos docet, inquiens: *Si ingressus fueris in messem proximi tui, et collegeris in manus tuas spicas, et falcem nõ immittes in messem proximi tui. Si autem ingressus fueris in vineam proximi tui, et comederis vuam vsq; ad saturitatem animæ tuæ, in vas autem non inijcies.* Paucas enim spicas manibus colligere, aut vuam decerpere appetitus aut cibi causa, nihil planè officit. Charitatis enim lex hoc ęquè, vt arbitror, feret: neq; id modum excedere videtur. Si autem falcem in messem proximi immittat, mutui amoris leges transilit, et violentiæ terminos ingreditur. Manifesto itaq; exẽplo hoc fuerit, nos fraterna charitate abuti non debere, sed nostra sorte cõtentos viuẽdo, mutuam dilectionem colere. Non ineptum autem fuerit, vt ego quidem sentio, hunc de hac re sermonem alijs etiam accõmodare, qui in ecclesijs conciones sacras, quę ex tẽpore habentur, veluti cibum quẽdam spiritualem carpẽtes, nequaquam eo contenti sunt, sed mensuram quodãmodo excedentes, ac veluti in vas cõijcientes, in tabellas suas referunt, optima quidem edocti, cœterum opinionẽ fratrum frustrantes: quia quod ex tempore dictum exceperunt, tanquam aliquid accuratè elaboratum, ac præmeditatum scriptis mandant. Atqui Lex, ô boni viri, huiusmodi hominibus dixerim, nihil in vas inijci debere apertè præcipit. PAL. Periculosum itaque est, virtutem ab anima submouere, mentemq; rectè constitutam nimia abusione tantum nõ à suo deturbare statu. CYR. Ita est. Deus enim totius vniuersi vtendum virtute, nequaquam autem virtuti insidiandum manifestè sanxit: participes autem nos potius esse debere bonorum, que ex virtute proueniunt, ac rudem quandam huius rei figuram nobis proponit, et in rebus admodum exilibus alia incõparabiliter maiora nobis

Marginal notes: Nõ abutendum charitate proximi. — Deut. 23 — Vtendũ virtute, non autẽ insidiandum virtuti.

nobis depingit. Scriptum est enim in Deutoronomio: *Si autem obuiaueris nido auium ante faciem tuam in via, vel in quadam arbore, vel in terra pullis, vel ouis, et mater incubat super pullos, aut super oua, non capies matrem cum filijs, dimisione dimittes matrem, at filios tenebis tibi, vt bene tibi sit, et longeuus eris.* PAL. Quid autem hoc sibi vult? Neq; enim figura hæc mihi clara videtur. CYR. An non manifestè audis, quòd si quis velit nidificantem adhuc auem, siue incubantem, iuuerit quidem, si quæ ex ipsa sunt, hoc est, pullos acceperit. Si verò nihil dimiserit, nocuerit. PA. Rectè. Hic enim ipse literæ sensus est. CYR. Atqui occultum sensum intuêre, abiectaq; vmbra, veritatem spiritualiter cōtemplare. Vnaquæq; enim virtus mater quodammodo est, et genitrix bonorum, quæ ex ipsa oriuntur: vt si quis dicat bonitatem, pauperum dilectionem, mansuetudinem, lōganimitatem. Benignus enim est quis non tam sibi, quàm alijs. Participes autem fiunt dilectionis pauperū, qui ea egent, et mansuetudinis similiter, ac longanimitatis. Quocirca vnaquæque quidem virtus mater censenda est, ac veluti principium bonorū, quę in ipsa, et ex ipsa sunt. Pulli verò quodammodo virtutum sunt, quæ has parturiunt, atq; in ijs ipsis captæ sunt animæ. Oportere itaq; ait Lex eos, qui in eiusmodi viros inciderint, in quibus virtutes quodammodo nidificant, ea, quæ ex eis procedunt, in suū commodum vtilitatemq; conuertere: non autem ipsam virtutem lædere, optimorum factorum matrem. Lęditur autem virtus exagitata à quopiam modis iam dictis. PAL. Quàm profunda figura? CYR. Verissimè ais. Cœterum vt dicamus aliquid beati Pauli sermonibus cōueniens, Num de passerculis cura est Deo? An non propter nos omnino dicit? Typos enī rerum, nō res ipsas apertè Moysi præcepta nobis ob oculos ponunt. Vides autem, quo pacto nos etiam ad supremi inter nos amoris modos compendiosè deducit? Conatur enim persuadere, vt eos etiam, qui nos offenderint ac læserint, amore prossequamur, neque inimicis nostris malè velimus, nequaquam à malo victi, vincentes autē potius in bono malum. Ita enim rursum in Exodo inquit: *Si autem occurreris boui inimici tui, vel subiugali eius errantibus, reducens restitues ei. Si autem videris subiugale inimici tui cecidisse sub onere suo, nō pertransibis illud, sed subleuabis id cum illo.* In Deuteronomio autem: *Ne vidēs vitulū fratris tui, aut ouem eius errantia in via contemnas ea, reductione reduces ea fratri tuo. Si autem nō appropinquat ad te frater tuus, neque nosti eum, duces ea intro in domum tuam, et erunt tecum, quoad quærat ea frater tuus, et reddes ea illi. Sic facies asino eius, et sic facies vestimento eius, et sic facies in omni re amissa fratris tui, quæcunq; perierint ab eo, et inueneris ea, non poteris negligere ea. Nō contemnes asinum fratris tui, aut vitulum eius, qui ceciderit in via, non despicies ea. Subleuans subleuabis ea cum eo.* Intelligis igitur, quo pacto nos pereleganter instituit ad id, quod valde, atq; adeò perfectè bonum est, præcipiens, vt velut exercitationem obliuionis malorum, curam erga iumenta inimici nostri adhibeamus? Quam quidem passim fraternitatis nomi

Deut. 22

Auem nidificantē non esse auferēdā cū pullis quid spiritualiter significet.

Exod. 23

Deut. 22

nomine inſignit, prohibens, vt arbitror, plumbeas iras gerere, nimiamq; animi demiſsionem, et naturæ legem tanquam præfectum quendam charitatis inducens: Si enim inueneris, inquit, errans iumentũ, aut veſtem perditam, aſſeruabis ea fratri tuo: et ſi cõtigerit quid eorum, quæ onera geſtare ſolent humi prolapſum oneri ſuccũbere, operam tuam adhibebis, ac ſubleuabis. Quod nihil aliud eſt, quàm poſſeſſorem iuuare, et exercitatio miſericordiæ, ac diſciplina ad proximorum amorem, longeq; ab eorum iniurijs, ac damnis ſemotos eſſe, vitareq; diſſenſiones, quibus charitatem, mutuiq; amoris legem offendere videamur. Veriſimile autem eſt, aliud quid præceptum hoc ſubindicare. Si enim legiſlatori tantæ curæ fuit, vt ſi quid etiam rationis expers afflictũ fuerit, auxilium illi noſtrum ſuppeditemus, quo pacto non ipſi longè gratior futura eſt miſericordia erga homines, mutuusq; amor ijs, qui vnius nobiſcũ generis ſunt, debitus? Quocirca etiam ſi inimicus erret, reducatur à nobis ad rectam viam, et ad id, quod expedit, transferatur. Ita etiam Chriſtus, cum lapidibus ab Iſraëlitis petebatur, incla-
Ioan. 12. mabat tamẽ: *Donec lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebræ vos occupent.* Et ſi quis inimicorũ noſtrorũ labore, tentationibusq; vexetur, et quodãmodo humi proſtratus dira neceſsitate opprimatur, opem noſtram experiatur, atq; ita malis ſuis superior
Matth. 5. euadat. An non hoc ipſum eſt, *Benefacite ijs, qui oderũt vos orate pro ijs, qui lædunt, et inſectãtur vos?* PAL. Optimè ais. CYR. Decet itaq; ſanctos laborantibus condolere, et nõ potius ex ijs, quibus commiſereri ſatius erat, inferendæ iniuriæ anſam atripere, afflictisq; amplius inſultare. Ac tametſi quis clam, atq; ex occulto lædere poſsit, ab huiuſmodi maleficio abſtinendum eſſe Lex præcipit.
Inquit enim rurſus: * Non maledices ſurdo: et ante cæcum nõ pones ſcãdalũ. An non enim melius eſt, ac pijs maximè conueniens, frenum quodãmodo in ore habere? Qualiſcũq; itaq; obmurmuratio, præcipuè autẽ aduerſus hominẽ, vitanda in primis eſt. Saluatoris enim diſcipulus: *Nolite murmurare fratres mei, inquit, inter vos.* Nunc verò Lex inquit: Nõ maledices ſurdo. Figuratè, vt arbitror, ſignificare volens, ijs, qui verè pij ſunt, cauendum eſſe ab inferenda iniuria, etiã ijs, quibus facillimè poſsint. Surdus enim aut cæcus, infirmitatis expertes non ſunt, laborant enim corporis vitijs, et ſenſus mutilos habent: viſum, inquã, et auditum. Neq; verò audiat ſurdus eum, qui obmurmurare voluerit: neq; rurſus cæcus videat eum, qui ſcandalum propoſuerit. Facilè igitur clam, qui voluerit, eos læſerit. Cęterum ijs, quorum miſereſcere potius par erat, veluti propria ærumna laborantium, iniuriam inferentes comprehendentur, ſcandalo quidem cęcum minimè conſcium lædentes: conuitijs autem ſurdum, perinde ac ſi laude eum proſequerentur, nonnunquam ad riſum prouocantes, cum ſæpenumero extrema mala imprecentur. Facilè igitur quiſpiam, ſi volet, occultè vtriſq; nocere poterit. At verò tantæ peruerſitatis, mutuiq; odij accuſationem nequaquam ſubterfugiet. PAL. Verè. CYR. Qòud verò mutuo amore, mutuaq; commiſeratione nos duci debere vetus Lex ſtatuat, facilè intellexeris audiens

Leuit. 19

Non maledicẽdũ ſurdo, neque ponendum offendiculũ cæco, quid ſpiritualiter ſignificet.

Iacob. 4.

audiens dicentem subinde quidem: *Aperiens aperies viscera tua indigẽti in te: Subinde autem: Aduenam malo non afficietis, neq; affligetis eũ, quoniam aduenæ fuistis in Aegypto. Omni viduæ, et pupillo nõ nocebitis.
Exod.22 Si autem oppresseritis eos, et vociferantes clamauerint ad me, auditione audiam clamorem eorum, et indignabor furore, et occidam vos gladio, et erunt vxores vestræ viduæ, et filij vestri orphani. Si autem pecuniam mutuaueris fratri pauperi apud te, non eris ipsum vrgens, nõ impones ei vsuram: Si verò pignoraueris vestimentum proximi, ante occasum solis reddes illud ei. Est enim hoc operimentũ eius solum, hoc vestimentum turpitudinis eius, in quo dormiet. Si igitur clamauerit ad me, exaudiam eum, misericors enim sum.* Audis, quo pacto suaui mutuæ dilectionis præcepto proposito, iram comminatur, et tantum nõ causam reddit ijs, qui eam incursuri sunt, nisi summo studio misericordiam erga fratres exercuerint? Misericors enim sum, inquit, hoc est, bonus existens secundum naturam: ac misericors, vt Deus, suscipiam omnino afflicti querimoniam, et miserabor promptè eorum, qui paupertate opprimuntur, lachrymas. Vitãda igitur est pauperis maledictio. Quòd enim oporteat nostra libenter impartiri, pauperumq; amoris maximam rationem habere, in Deuteronomio rursum nobis persuasit, dicens: *Nõ negabis mercedem pauperis, et egeni ex fratribus tuis, siue ex aduenis, qui in vrbibus tuis. Eâdẽ die reddes mercedem suam: non occidet sol super eo, quia pauper est, et in eo habet spem: et non clamabit contra te ad Dominum, et erit in te peccatum.* Intelligis igitur, quo pacto extimescendum esse pauperũ clamorem persuadeat, ad mutuum amorem vnà nos rapiẽs? Ac noua quidem per Christum scriptura id, quod perfectè bonum est, inducens. *Diuẽdite facultates vestras, inquit, et date eleemosynam, et ecce omnia munda vobis erunt.* Quod et fecerunt nonnulli eorum, qui crediderunt. *Attulerunt enim agrorum, atq; ædium suarum precia, et ponebant ante pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat.* Cum verò elementorum instructrix sit Lex, atq; ad principia eloquiorum Dei deducat, veluti præexercitationem quandam huius viæ facere præcipit, liberalitatem, vt paucis dicam. Idcirco inquit: *Si autem messueris messem in agro tuo, et oblitus fueris manipuli, non reuertaris, vt tollas illum: mendico, et aduenæ, et pupillo, et viduæ erit, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in operibus manuum tuarum. Si autem oliuas collegeris, nõ reuerteris, vt colligas, quæ post te: aduenæ, et pupillo, et viduæ erunt. Et memineris quòd aduena fuisti in terra Aegypti, propter hoc ego tibi præcipio, vt facias verbum hoc.* Bonum enim est, in prosperitate rerum, veterum laborum, afflictionisq; recordatio. Inuitat enim ad pauperũ amorem: et malorum, quæ egestas secum trahit, obliuisci non finit. PAL. Ita est. CYR. Vide autem, quomodo nos artificiosè, atq; perquam eleganter à malo quidem abducit, et ad cõmiserationem exhortatur, ac ad meliora adducens, ad mutuam dilectionem amplectendam instigat. Præcipit enim, vt si qua re fortè indigeant, fratribus

Pauperis maledictio vitãda.

Deut.24

Luc.11.

Act.4.

Deut.24

Mutuũ dandum abſq; vſura. fratribus mutuum demus. Vſuras autem prohibet, et cauere iubet, ne quid plus ab ijs exigamus. Adijciẽs autem non oportere nos fratribus oneroſos eſſe, neq; debitores vehementer vrgere, vt debita etiam remittamus, iniungit. Ita autem ſcribit: *Non fœnerabis fratri tuo vſuram argenti, et vſuram ciborũ, et vſuram cuiuſlibet rei, quam fœneraueris. Alieno fœnerabis, fratri tuo non fœnerabis, vt benedicat tibi Deus in omnibus operibus tuis in terra, ad quam ingredieris illuc, vt poſsideas eam.* Quantũ enim ad legiſlatoris voluntatem attinet, vt vicino ſimul ac fratribus facultates noſtras liberaliter impertiamur, propoſitum eſt.*Omni enim petenti abs te dato, inquit Chriſtus. Et à tollente tua, non repete.* Cum autem mens non ſatis robuſta ſit eorum, qui recẽs ad iuſtitiam ſe cõtulerunt, ad bonum irreprehenſibiliter perficiẽdum, Lex paulatim ad id docendum procedit, et iuſtitiæ modum commenſurat, veluti erga fratres ac vicinos commiſerationem exactam, liberalitatemq; erga proximos, et communicationem cum omnibus perfectiore diſciplina obſeruãs. Nam vſq; ad tempus inſtaurationis ſeculi, vmbræ. Tempus autẽ hoc fuit aduentus Chriſti. PAL. Elegantiſsimè ais. CYR. Itaq; cum præceperit, vt mutuum demus citra vſuram, ijs, qui id facere velint benedictione promiſſa, ſi debitũ ſeptem annorum ſpacium exceſſerit, remittere iubet: communis omnium noſtrum remiſsionis tẽpus venerantes, hoc eſt, tempus aduentus Chriſti, in quo omnes iuſtificati ſumus fide, et veterum peccatorum abolitionem cõſecuti, affigente ipſo propriæ cruci, quod contra nos erat, chirographum: et pœnã, quam iudici debebamus, de medio tollente. Ita autem rurſus in Deuteronomio inquit: *Per ſeptem annos facies remiſsionem, et ſic ordo remiſsionis: Remittes omne debitum propriũ quod debet tibi proximus, et à fratre tuo non repetes, quoniam cognominata eſt remiſsio Domini Dei tui. Ab alieno exiges, quæcunq; fuerint tibi apud eum: fratri tuo remiſsionem facies debiti tui, quoniam non erit in te egenus, quoniam benedicens benedicet tibi Dominus Deus tuus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in poſſeſsionem.* Et paulo poſt rurſum. *Si autem fuerit in te egenus ex fratribus tuis in vna vrbium tuarum in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non auertes cor tuum, neq; contrahes manum tuam à fratre tuo indigente. Aperiens aperies manus tuas fratri tuo, et mutuũ mutuabis ei, quãta rogauerit, et ſecundum quod indiguerit. Caue tibi ne fortè fiat verbum occultum in corde tuo, iniquitas dicens. Appropinquat annus ſeptimus, annus remiſsionis, et iniquus ſit oculus tuus fratri tuo indigẽti, et non des ei: et clamabit contra te ad Dominũ, et erit in te peccatũ magnum. Dans, dabis ei: et mutuũ mutuabis ei, quantum rogauerit te. Et nõ triſtaberis corde tuo, dante illi, quoniã propter verbum hoc benedicet tibi Dñs in omnibus operibus tuis, et in cũctis, in quæ miſeris manum tuã. Non triſtaberis, inquit, corde, dãte te illi.* Hilarẽ enĩ datorem diligit Deus, iuxta beati Pauli vocem. PAL. Quo pacto autẽ ſeptimus annus Saluatoris noſtri aduentũ ſignificat, in quo omniũ noſtrûm redemptionis tẽpus demonſtratum eſt? CYR.

Margin notes: Deut. 23. — Matth. 5 — Eraſmus vertit: Et cupientẽ mutuũ accipere ne auerſeris. — Septimo anno debitorum remiſsio fieri iuſſa, quid ſpiritualiter ſignificet. — Deut. 15 — Septimus annus quo pacto Saluatoris noſtri aduentũ ſignificet.

Hebdomadæ in sacra scriptura spaciũ præsentis seculi comparatur.

CYR. Meministi ne eorum, quæ supra à nobis dicta sunt, quòd sacræ scripturæ familiare sit vniuersum presentis seculi spacium hebdomadæ cõparare, ob dierum in orbem reuolutionem? Finis enim hebdomadæ est sabbatum, quod statim subsequitur octaua dies, nouum nobis quodammodo seculi exordium inducens per resurrectionẽ Christi? PAL. Memini. CYR. Aduenit itaq; iuxta scripturas, in cõsummatione præsentis seculi, et veluti in sabbato Christus, quando et dissoluit omnes peccatorũ suorum vinculis deuinctos, et transgresionis rationes ipsi debentes. Idcirco etiam in euangelijs debitoribus nos assimilat, dicens: *Duo debitores erant homini vni. Alter debebat ei denarios quingẽtos, alter quinquaginta. Non habentibus autem illis vnde persoluerent, condonauit vtrisq;.* Præterea orationis modum nobis præscribens: *Ita igitur vos orate, inquit: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, sic et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Obliquè igitur, ac figuratè Lex diuinum mysterium nobis significauit, remissionem fieri iubẽs post annos septem, ac virtutis via nos insistit, dilectionis erga proximũ potiorem, quàm pecuniarum, rationem habendam esse docens. PAL. Ita est, atq; equidem tibi rectè dicenti facilè assenserim. CYR. Atqui quod maius adhuc his est, si intelligas, mireris certè Palladi. PAL. Quidnam? CYR. In tantam enim bonitatis, mutuiq; amoris sublimitatem Lex nos

Luc. 7.

euehere studet, vt nihil dilectioni erga fratres æquale existimemus. Ita verò nos eorum imbecillitati accommodemus, vt nequaquam ab ira vinci nos contingat, etiam si tales erga nos sese non præbeant, quales esse, ac videri oportet, ac tametsi morum asperitate offendere velint. Habes autem huius rei figuram in Numeris. *Misit enim, inquit, Moyses nuncios ex Cades ad regem Edom, dicens: Hæc dicit frater tuus Israël: Tu scis omnem laborem, qui inuenit nos: et descenderunt patres nostri in Aegyptum, et habitauimus in Aegypto dies plures, et affligerunt nos Aegyptij, et patres nostros: et clamauimus ad Dominũ, et exaudiuit Dominus vocem nostrã, et mittẽs angelũ eduxit nos de Aegypto, et nunc sumus in Cades ciuitate ex parte finium tuorũ: præteribimus per terram tuam, nõ transibimus per agros, neq; per vineas, neq; bibemus aquam è lacu, via regia ibimus: nõ declinabimus ad dextram, neq; ad sinistram, quoad transierimus fines tuos. et dixit ad eum Edom: Non pertransibis per me, alioquin in bello exibo in occursum tibi. Et dicunt ei filij Israël: Iuxta montem transibimus. Si autem aquam tuam biberimus ego, et iumẽta mea, dabo precium tibi. Sed res nulla est, iuxta montem transibimus: Ille autem dixit: Non transibis per me. Egressusq; est Edom in occursum ei in turba graui, et in manu forti. Et declinauit Israël ab eo.* Audis, quo pacto hi, qui ex sanguine Israël erant, ærumnas, quas in Agypto perpessi erant, recensentes: et iniuriarum, quibus affecti fuerant modos enarrantes, beneficium, vnde nihil damni ipsis euẽturum esset, petierunt: adiutorem

Num. 20

tantum

tantum conſanguineum efficere ſtudentes. Oriundi enim erant ex Eſau fratre Iacob. Hi verò, cum eos miſerari oporteret, permittereq́; , vt quod vtile eſſe cognoſcerent, facerent, rigidi, atq; inexorabiles, et ab omni commiſeratione alieni reipſa ſunt deprehẽſi. Tranſitum enim prohibent. Cum autem populus apertè diceret, ſe neq; vitibus, neq; agris damnũ vllum illaturum, ſed neq; aquam hauſurũ, niſi precio perſoluto. Ille verò, niſi à poſtulatis deſiſterent, nõ ſolum ab ingreſſu arcebat, ſed iam in armis erat, ex inſtructo exercitu in aciem prodibat. Sed ne ſic quidẽ iræ ſuccubuit Iſraël. Declinauit enim ab illo, inquit, contẽtionem cum fratribus deuitans, cõſanguinitatisq́; legem inſigni tolerantia honorans. Nõne hæc ita ſe habere cẽſes? PAL. Omnino. CYR. Propulſare igitur iram, atq; refrenare, et æquales vniuſcuiuſq; peccati pœnas commenſurare, recta etiam, et irreprehẽſibilia à nobis de ſingulis iudicia fieri, amoris erga fratres fructum perfectionéq; eſſe cenſebimus. PAL. Et quidem meritò. CYR. Facilè autem fuerit id rurſum volenti tibi, confirmare, dicente quidem nonnunquam: *Non iraſceris filijs populi tui: Nonnunquam autem. Si autem fuerit controuerſia inter homines, et acceſſerint ad iudiciũ, et iudicauerint, et iuſtificauerint iuſtum, et condemnauerint impium, et erit, ſi dignus fuerit plagis impius, et proſternes eum coram iudicibus, et flagellabunt eum coram eis ſecũdum impietatẽ illius: Numero quadraginta flagellabunt eum, et non addent. Si autem addiderint flagellare eum ſuper has plagas, plagas plures, turpiter aget frater tuus coram te.* PAL.

Charitas in iudicijs ſeruanda.

Deut. 25.

Quænam autem huius rei ratio ſit, quod plagis numero quadraginta ſolum vapulare iubetur damnati? Quo pacto etiam quoſdam dehoneſtet id, quod hunc numerum excedit, declara. CYR. Multis modis Chriſti myſterium nobis adumbratur per vetus prçceptum, et ſalutarem paſsionem quodammodo nobis effingit: in qua, et per quam liberati ſumus ab eo, qui nocere valet, ac immedicabilibus ærumnis immittit: atq;, vt paulo ante dixi, poſt ſeptem annos dimitti debitores, vniuerſorum remiſsionis tempus ſignificat. Iuſtificati enim ſumus in Chriſto, doctiq; ſumus in orationibus noſtris ad cœleſtem Patrem, ac Deum dicere: Dimitte nobis debita noſtra. Ita etiam illic flagellorum numerum vſq; quadraginta procedere verberantibus, ſiue verberatis, optatiſſimum illud vnigeniti poſt carnis aſſumptionem tẽpus ſignificat, in quo vibice eius nos ſanati ſumus. Atque ipſe quidem languit propter peccata noſtra, contumelioſe in ipſum inſurgentibus Iſraëlitis, et Pilato tergum eius flagris cedente. Nos autem à pœna ſupplicioq; exempti ſumus. Olim enim *multa erant flagella peccatoris,* ſicut ſcriptum eſt, ſed pro nobis flagellatus eſt Chriſtus. Quemadmodum enim pro omnibus mortuus eſt, ita etiam pro omnibus rurſum flagellatus eſt, vnus omnium inſtar. Quadragenarium autem numerum, ſi in quinquies octo ſecueris, commodum reperies temporis ſignificationi numerũ quinquenarium, et octonariũ. Aduenit enim vnigenitus quinto tẽpore, iuxta euangelicam parabolam. *Cõducebat enim quidam operarios in vineam ſuam. Exiuit autem circa

Flagellane quadragenariũ numerũ excedãt Deutero. 25. præceptũ quid ſpiritualiter ſignificet.

Pſal. 31.

Quadragenarius numerus quinquies octo cõtinens quid ſignificet. Matth. 5

Q horam

horam primam, tertiam, et sextam, et nonam, et vndecimam.* Suscitatus verò est ad octauam, dissoluto mortis imperio, et aduētitij interitus matre, hoc est, peccato, extincta, quo sublato, flagella, pœnasq;, ac supplicia, quæ ipsi debebantur, cessare necesse erat. Lex itaq; non permittit, vt flagellorum numerus quadragenarium excedat vsque ad aduentum Christi, sistens quodammodo tormenta, et remissionis tempus significans. Typi enim, veritatis pulchritudinem pariunt. Sciēdum autem est, quòd Israël cum Deum offendisset, quadraginta annis in deserto errauit. Iureiurando enim iurauit Deus, se non introducturum eos in terram promissionis. Atque hic quidem erat ipsis terminus iræ. Elapso autem eo tempore, soluta etiam fuit ira, ac quidam eorum Iordanem transgressi sunt, et peruenerunt ad terram, indignatione diuina quadragesimum annum non excedente. Tipus autem huius rei est, ad quadraginta flagellorum numerum quosdam cædi. Remissionis enim tēpus post hoc sequitur, mysticam Iordanis transmissionem nobis inducēs, et gladios lapideos, hoc est, circūcisionem in spiritu, ac Iesu militiam. Factus enim est nobis dux Christus post Moysen, ac Legem. PAL. Assentior. CYR. Vt igitur recte, incorrupteq; ea, quæ obueniūt, iudicētur: et iniuriæ tollantur, *Iudices, inquit, et magistros constitues tibi in omnibus vrbibus tuis, quas Dominus Deus tuus dabit tibi per tribus, et iudicabunt populum iudicium iustum. Non declinabunt iudicium. Non cognoscent personam, neque accipiēt munera. Nam munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba iustorum.* Lex enim, et quidem meritò, necessarium duxit, eos, qui ad iudicandum assumpti, et ius dicturi essent, bonos, atque integros cerni: neque aliorum respectu bonum, ac rectum transgredi: neve in alteram partem impiè vergerent, sed legaliter singula expenderent, rerum omnium, totiusq; vniuersi iudicem imitantes, hoc est, Christum, quem etiam Lex ipsa manifestè prædixit, iudicem esse sciens, vt Deū. Dixit autem sic rursum: *Si ingressus fueris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in sortem, et hæreditabis eam, et inhabitabis eam, et dixeris: Constituam super me ipsum principem, sicut et reliquæ gentes, quæ in circuitu meo: constituens constitues super te ipsum, quem elegerit Dominus Deus tuus eum ex fratribus tuis, cōstitues super te ipsum principem: non poteris constituere super te ipsum alienigenam, quoniam non frater tuus est.* Nec enim oportet nos creaturam colere vltra creatorem Deum: sed quàmlongissimè ab hoc discedentes, veritatis sermonibus adhærere, et vocare quidem veluti in terram sanctam, hoc est, promissionem Dei per fidem in Christo: atq; ita constituere nobis ipsis principem, ac iudicem ex Deo declaratum Filium, tametsi intelligatur cum carne. Dicit quippe de nobis: *Ego autē constitutus sum rex ab ipso super Sion montem sanctum eius, annuntians præceptum Domini.* Alium autem præter ipsum in vniuersum non suscipiemus, et vicinorum iugo ceruicem non submittemus. Vnus enim nobis est dux Christus. Miseri autem Iudæi extra manserunt ob incredulitatem, ac mini-

Quadragenarius numerus, terminus iræ Dei.

Deut. 16

magistratus quales cōstituendi.

Deut. 17

Psal. 2

Christus vnus dux noster.

ac minimè quidē in seipsis principē, ac iudicem Christū susceperunt, cum alioqui demissus esset è cœlo, voluntate, ac beneplacito Dei, et Patris. Præterea quia hominem alienigenam sibi ipsis elegerunt; filium perditionis, hoc est, Antichristum ex alia tribu, et genere, nō autem ex sanguine Israël; cum tamen Lex apertè iuberet; Non poteris constituere super te hominem alienigenam, quia non frater tuus est; audierunt Christum ipsum dicētem: *Ego veni in nomine Patris mei, et nō accipitis me. Si alius venerit in nomine proprio, illum accipietis.* Aduenit enim Christus in gloriam Dei Patris, (Hoc enim significat, arbitror, In nomine Patris,) veniet autē iuxta tempora Filius iniquitatis, non in gloriam Dei Patris, sed proprio capiti adscribens miser Deitatis nomen. Sedebit enim super domum Dei ostendens seipsum, quòd sit Deus. Cœterum nō adorabunt ipsum Iudæi, sed neque vt Christum suscipient seruātes Legem. Ex sanguine enim Israël oriturū Christum, apertè præindicauit. Hi autem hoc tanquam vanum prætermittentes, hominem extraneum et alienigenam suscipient. PAL. Quocirca suæ ipsorum viæ fructus edent; turpisq; temeritatis debitas pœnas luent. CYRIL. Rectè ais. Iusta enim iudicans Deus partietur vnicuique iuxta opus suum. Atq; hæc quidem ita habeant, et dicta sufficiant. Porrò ijs, qui ad iudicandum alios ducti sunt, et ad tribunal, ijs, qui ius dicunt, conueniens, Lex rursum inclamat: *Non suscipies auditionem vanam, hoc est, sermonem mendacem, et falsitatis plenum: non adijcies cum multitudine ad inclinandum cum pluribus, vt declines iudicium.* Et paulo post. *Nō peruertes iudicium pauperis in iudicio suo. Ab omni verbo iniquo recedes.* Decet enim præcipuè iudicem, vt irreprehēsibilis in sermonibus suis sit, et verè loqui necesse est eum, qui de singulis accusatis sententiam ferre iuxta legislatoris voluntatem debeat. Vtiliter autem etiam hoc adiectū est: *Pauperem non miseraberis in iudicio.* Promptū enim, ac procliue est iudicantibus, in vtramq; partem cernere, quando non est diues qui iudicatur, et facile admodum ad cupiditatem alienorum rapitur vir paupertate prægrauatus: neque parum ponderis hoc interdum habet ad iustitiæ rationem subuertendam, ad misericordiam nimirum inuitans teneriorū quorundam iudicum animos. Vetat itaque Lex ne aliena vsurpemus, vetat etiam, ne eorum, qui in paupertate, atque miseria versantur, misereamur, recti iudicij pulchritudinem incorruptam seruans, et æqualitatis moderatorem eum, qui iudicat, constituens. *Iustè enim, quod iustum est, persequêris,* inquit: vt quod Legem offendit, tametsi quid boni præ se ferre videatur, culpandum meritò esse sentiatur. *Est enim iustus, qui perit in iustitia sua,* vt scriptum est. Artificio igitur indiget bonum: et intempestiua commiseratio, iniustitiæ in Legem commissæ accusationem nō subterfugiet. Eos igitur, qui mediocribus criminibus inuoluti sunt, flagellorum supplicio corrigit. Vide autem, quàm seruilis res hæc, atque illiberalis sit: neque mireris. Spiritus enim erat in ipsis seruitutis. Idcirco verbera quidem non amplius Christi mandata comitantur, quemadmodum veterem legem:

Iudæi alienigenam sibi regē elegerunt.

Ioan. 5.

In nomine Patris quid significet.

Exod. 23

Iudicis officiū.

Pauperē nō miseraberis.

Deut. 16

Ecclesi. 7.

Verberū pœna in Lege, seruilē illorū spiritū significat.

gem: at potius proposita sunt, quæ liberos homines decent, splendida nimirum, admirandaq; dona, et spiritualium bonorum primitiæ, atq; promissiones, beatitudinesq; rectè factis conuenientes, neque amplius minæ, sed potius exhortationes ad virtutē. Famulis enim tanquam famulus, et seruitutis socius veteribus loquebatur Moyses: Christus autem filijs, vt filius, et tanquam fratribus secundum adoptionem, qui verè et legitimus ex Deo Patre. PAL. Rectè habet. CYR. Porrò homicidam morte mulctat, et talionis pœna, effrenem illam audaciam plectitur intolerabilemq; iram, intolerabili supplicio punit, et extremis malis, explorata prius optimè eius, qui homicidium commisit, intētione. Et si quidem voluntarium fuerit delictum, nullum misericordiæ locum relinquit: neq; sinit, vt mutua dilectio hac in re quicquam præter decorum agat, intempestiua indulgentia ducta, et quas ob causas minimè oportet, quodammodo ad mollitiem dissoluta. Ita enim inquit: *Si autem aliquis aggressus fuerit proximum, vt occidat eum dolo, et fugiat ad altare, ab altari meo accipies eum, vt occidatur. Si verò ad ægritudinem tantū malum procedat, commensurat verberanti pœnam, et pecuniariam mulctam illi indicit. Ita enim rursum ait: Si rixati fuerint duo viri, et percusserit aliquis proximum lapide, aut pugno, et non mortuus fuerit, iacuerit autem in lecto, si exurgens homo ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusit: cœterum ocium eius soluet, et medicationes.* Et hæc quidem Lex. Saluator autem ad id, quod perfectè bonum est inducens: *Percutienti te, inquit, in dexteram maxillam, prębe illi et alteram.* De seruis autem Lex ita statuit. *Si autem aliquis percusserit seruum suū, vel ancillam suam in virga, et mortuus fuerit sub manus eius, pœna puniatur. Si autem superuixerit diem vnum, vel duos, non punietur: etenim pecunia sua est.* Morte igitur mulctat extremam iram. Neque enim tametsi violēter domini sumus, vitam etiam seruis adimere Deus permisit, sed misericordia iras moderari, ac temperare iubet, extremum occisori supplicium proponens. Si autem superuixerit, inquit, diem vnum, aut duos, non puniatur. Etenim pecunia sua est. Quasi dicat: Id, quod læso accidit, non processit ex ira percutientis, postquam aliquo pacto conualuerit. Neque enim quispiam libens proprium seruum amiserit, quem pecunijs suis emit. Si autem inuoluntarium fuerit homicidium, perpetuo exilio id mulctari Lex iterum iubet, commensurata benignitate supplicium temperans: et quod præter voluntatem delictum est, non eodem loco, quo voluntaria collocans. Tres autem vrbes designari præcepit, quas et refugij vocauit, atque ita eo delegat, qui ob inuoluntarium delictum fuga sibi consuluerunt. Tempus etiam remissionis rursus præscribit ijs, qui ita deliquerint, mortem summi sacerdotis, qui eis præest. Scribit autem ita in Numeris: *Si autem subitò, nō per inimicitiam impulerit eum, aut proiecerit in eum omne instrumentum, non ex insidijs, aut omni lapide, in quo morietur in ipso non sciens, et inciderit in illū, et mortuus fuerit, ipse verò nō inimicus eius fuit,

Moyses vt seruus seruis Legem dat: Christus autem filijs vt filius fratribus p adoptionem.

Homicidæ pęna

Exod. xx.

Luc. 6.

Vrbes refugij.

Num. 35

fuit, neq; quærens malefacere, et iudicabit congregatio inter eum, qui percussit, et inter propinquum sanguine secundum iudicia hæc. Et auferet cōgregatio homicidam à propinquo sanguine: et restituent eum congregatio in ciuitatem confugij eius, quo confugit, et habitabit ibi, quousq; moriatur sacerdos magnus, quem vnxit eum oleo sancto.* Et paulo post. *Et post quā mortuus fuerit sacerdos magnus, reuertetur homicida in terrā possessionis suę.* PAL. Solutio igitur perpetui exilij ipsis erat, sacerdotis modò à nobis dicti mors? CYR. Figuræ hæ sunt. At vero vmbræ Christi mysterium pariunt. PAL. Quonam pacto? CYR. Verisimile enim est, Palladi, eos, qui peccatis inuoluti sunt, veluti homicidas quosdam esse propriarū animarum, et in tantam miseriā non sua sponte lapsos esse, sed coactos quodammodo ad transgresionem, atque ad offendendum Deum, eò quod cogitatio humana vergat ad mala ex iuuentute, et propter regnantem in mēbris carnis indomitæ concupiscentiæ legem. Exilio igitur à mundo et corpore misera hominis anima punitur, et tanquam in ciuitatem quandam refugij in mortis cauernis per multa secula delituit. Soluta autem est tandem mortuo Christo magno sacerdote: qui morte pro omnibus perpessa, descendit quidem ad inferos, eiusq; portas reserauit, et vincula dissoluit, dicens vinctis: Exite. Et ijs, qui in tebris erant constituti: Reuelamini. PAL. Quàm apertus sermo. CYR. Cœterum non vno tantum laudis genere Lex veteres excellere volens, sed per omnia optimè constitutos esse, vt sit integer homo Dei ad omne opus

Exilium ob homicidiū nō remittēdum nisi per obitum summi sacerdotis, quid spiritualiter significet.

bonum exequēdum, nuptiales etiam congressus ad honestatem annumerat: vtq; irreprehensibiliter apud Deū et homines fiant, apertè iubet. Fornicationem igitur, et immundiciem in vniuersum exterminat. Masculorum autem coitus, atq; adulterium, quàm longissimè amouet, in Leuitico dicēs: *Et ad vxorem proximi tui non dabis cubationem seminis tui, vt polluaris cum ea. Et cum masculo non dormies coitum fœmineum, abominatio enim est.* Huiusmodi, inquit, ex se ipsis condēnatione laborāt, magnāq; ipsis fœditatem inurere, facilè cōstat: neq; multis ad probandum verbis indigeat: qui eò abominationis venerant, vt ex seipsis adeò turpem opinionem habeant, ac deformem, ipsamq; naturam eos accusantem. Quocirca his prætermissis, quæ legaliter fiunt, et non ab re inquirit, dicens in Deuteronomio: *Si quis autem acceperit vxorem, et cohabitauerit cum illa: et erit si non inuenerit gratiā coram eo, quoniam inuenit in ea fœdam rem, et scribet illi libellum repudij, et dabit in manibus eius, et emittet eam ex domo sua, et egressa nupserit, et oderit eam vir vltimus, et scripserit ei libellum repudij, et dederit ei in manibus eius, et dimiserit eam de domo sua, vel mortuus fuerit vir eius vltimus: qui accepit eam sibi vxorem, nō poterit vir prior, qui dimisit eam, reuersus recipere eam sibi vxorem, post quam polluta est illa, quoniam abominatio est coram Domino Deo tuo. Et non polluetis terram, quam Dominus Deus vester dat vobis in possessionem.* Eam enim, quæ iustis de causis à marito repudiata, et ab alio ignominia affecta fuerit, legitimam vxorem

Fornicatio, et immūditia lege prohibitæ.

Leuit. 18

Deut. 24

ducere, nequaquam tutum est, quin potius in vniuersum absurdum. *Qui enim tenet, inquit, adulteram, stultus et impius.* Quemadmodum autem vetat manifestè turpibus, et indubiè condemnatis delectari: ita etiam non permittit honesta tãquam inhonesta calumniari. Aequale enim peccatum est, amore prosequi id, quod fugere satius erat: et abhorrere à virtute. *Væ enim, inquit, dicentes dulce amarum, et amarum dulce: bonum malum, et malum bonum: ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem.* Idcirco recipere eam, quæ repudiata fuerit, non permittit, neq; rursum sinit, ijs, quæ nondum condemnata sunt, damna, quæ cauillandi studium comitantur, inferre. Ita enim rursus inquit: *Si autem quis duxerit vxorem, et cohabitauerit cum ea, et odio habuerit eam, et imposuerit ei tectos sermones, et obiecerit ei nomẽ malum, et dixerit: Vxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inueni eius virginitatem: et tollens pater puellæ, et mater, ferent virginalia puellæ ad senatum ad portam, et dicet pater puellæ senatui: Filiam hanc meã dedi homini huic vxorem, et odio habens eam, imponit ei tectos sermones, dicens: non inueni filiæ tuæ virginitatem, et hæc virginalia filiæ meæ: et expandent vestem coram senatu ciuitatis: et apprehendet senatus vrbis illius hominem illum, et corripient illum, et condemnabunt illum centum siclis, et dabunt matri puellæ, quoniam diffamauit nomen malum super virginem Israëliticam, et illius erit vxor: non poterit dimittere eam omni tempore.* Intelligis, nõ omnino indemnem à senatu dimitti debere eum, qui nondum condemna-

Prou. 18.

Perinde peccat qui amat malũ, et qui abhorret ab eo, quod malũ nõ est.

Esai. 5.

Deut. 22

Pœna denigrãtis famã vxoris tãquã non inuẽtæ virginis.

tã reiecerit? Oportere enim arbitror, veritatem omnino sequi, neq; nouitatis studio honestum tanquam inhonestum calumniari. Conãdum verò potius reuerentia dignari, atq; omni bono adhærere, optimisq; ad laudem cõparandam conuiuere velle. Qui enim in tractatione rerum occurrentes iniquitates non admiserit, rectissimæ intentionis suę finẽ consequetur. Quòd autem tales nos esse oporteat, Lex nobis rursum significat, dicens: *Si ædificaueris domum nouam, facies coronam domui tuæ, et non facies cædem in domo tua, si ceciderit cadẽs ab ea.* Quemadmodum enim est deformis domus, nisi corona, siue tecti fastigio ei imposito: eâdem planè ratione verisimile est, nullum nobis opus bonum esse, nisi ad finem ipsi conuenientem perducatur. Cœterũ præter hæc, qui negligentiores, remissioresq; fuerint, periculo nõ vacabunt. Hoc enim est, vt arbitror, Perire aliquem ex domo. *Væ enim, inquit, facientes opus Domini negligenter.* Quamplurimis igitur modis nos Lex ad id, quod expedit, deducit. Et cibum quidem nondũ apponit viris conuenientem, ac solidum, sed tanquã lacte infantes adhuc veteres existentes nutrit, paulatim ad Christi mysterium traducens. Quòd enim spiritualis sit Lex, et quantum attinet ad vmbram, ac typos non est aptus ad edendum, neq; vtiq; necessarius fuerit ad cibũ spiritualem: (Erit autem talis, si transformetur ad contemplationem euangelicã, et ad Christi mysterium) facilè intelliges, scribẽte de ipsa hoc pacto Moyse. Inquit enim in Leuitico: *Quando autem ingressus fueris in terram, quam Dominus Deus vester dat vobis, et plantaueritis

Deut. 22

Bonũ imperfectũ simile domui fastigio carẽti.

Iere. 48.

Lex quõ pacto vtilis sit.

Leuit. 19

(d)ueritis omnem arborem comestibilē, et mundabitis immūdiciam eius, fructus eius tres annos erit vobis immundus: non comedetur. Et anno quarto erit omnis fructus eius sanctus laudabilis Domino. Anno autem quinto comedetis fructum eius, additio vobis fructus illius. Ego Dominus Deus vester.* Floridissimis enim hortis Moysis scriptura persimilis est, multifaria oraculorū germina parturiens, et veluti arboribus densus, legibus nimirū de quaq; re seruandis. Cœterum de vnoquoq; ligno mundabitis immundiciam eius, inquit, hoc est, historiæ corticem præscindes, et veluti ligneū quid, quod habet litera adimes. Ad ipsam autem peruenies plantæ medullam, hoc est, interiorem mandatorū sensum elicies, eumq; tibi in cibum sumes. At erit, inquit, fructus eius tres annos immundus: non comedetur. Annum ponit in tēpus. Prima enim tempora tria fuerunt, in quibus Lex immunda adhuc erat, historiæ crassitie grauata, et tāquam vana colluuie, vmbra septa. Tria autem tempora esse censeo: Moysis, Iosue, et Iudicum. Tempus post illos quartū fuit, in quo præclarus ille sanctorum prophetarū chorus est exortus. Tunc demum Legis fructus sanctus, et laudabilis est effectus. Ceperunt enim ex sanctis prophetis aboleri, quæ in Lege sunt: et ne nominari quidem, quæ in vmbris, sed apertè veritas prædicari: atq; aduentus Christi mysterium laudari. Vicinus etiam statim fuit Præcursor, exclamans, ac dicens: *Pœnitentiā agite, prope enim est regnum cœlorū.* In quarto igitur tempore, ea, quæ in Lege sunt, mundari cępta sunt: eratq; tum quodammodo fructus sanctus. Cęterū in quinto tempore esui aptus, in quo Christus aduenit, per Legem, et prophetas prædictus. Idcirco inquit: Erit fructus eius additio vobis. Nam præter euangelicas prædicationes, legalis etiam disciplina ad spiritualem contemplationem ducta, studiosis vtilissima est. Vnde Saluator inquit: *Quod omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est homini diuiti, qui depromit de thesauro suo noua, et vetera.* Noua vocans, euangelia: vetera autem, quę in Lege, Christi notitiam non obscurè nobis inducētia. Ipsi honor, et gloria in secula, Amen.

Tribus primis tēporibus Moysis nimirū, Iosue, et Iudicum Lex adhuc immunda erat.

Quarto tēpore, hoc est, prophetarū, Legis fructus sanctus et laudabilis esse cœpit.

Matth. 3

Quintū tēpus est aduētus Christi.

Matth. 13

Explicit liber octauus.

D.CY-

De adoratione, et cultu,

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratio ne in spiritu, et veritate: Et de sancto Tabernaculo, quod sit typus ecclesiæ Christi.

Liber nonus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

DIlectionis erga Deū, et fratres præclara est gloria: et per vtrāq; quidē Lex perficitur: ac quicunq; laudem hanc consecutus fuerit, is demū verè illustris, admirationeq; dignus est censendus, atq; inter eximios collocandus, Christo ipso clamante, ac dicente:

Matt.25. *Euge serue bone, ac fidelis: super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Introibit enim perquam alacriter in cœlestem Ierusalem, et in supernis mansionibus deget, bonis, intellectum omnē excedentibus, fruens: quod et Esaias propheta testatur, dicens:

Esa.33. *Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem diuitē, tabernacula, quæ non commouebuntur: neq; mouebuntur paxilli tabernaculi eius, neq; funiculi eius disrumpētur.*

1.Cor.7. *Transit enim figura mundi huius,* sicut scriptum est. Firmissima autem, atq; immota est futurorum spes. Cœterum omnibus his solutis, quemadmodum etiam Saluatoris discipulus affirmauit, quales nos reperiri oportet? sanctos, atq; irreprehensibiles in conspectu eius, spiritualibus quidem sacrificijs colentes Saluatorē, ac redēptorem, sanctam, et electam, euangelicisq; legibus congruentem vitam exercentes: quemadmodū ferè Lex veteribus adeò venerādam, tantaq; admiratione dignam vitam adūbrauit, oues mactare præcipiens, et sacrificia per sanguinē offerri: decimas etiam, ac primitias Deo consecrare: præterea dona gratiosa. Insuper non extra sanctum tabernaculum hæc fieri debere præcepit. Electum autē genus Leuiticum Deo consecrauit, rem nimirum hanc nobis, et de nobis typum proponens. Vocati enim sumus etiam nos in sacris literis *genus electum regale sacerdotiū, gens sancta: populus, qui in lucrum accessit.* Ingredimur autem etiam in verum tabernaculū, quod extruxit Dominus, et non homo, hoc est, ecclesiam, non vitulis, et hircis totius vniuersi opificem mitigantes, sed tanquam recta, atq; irreprehensibili fide excellentes, et spiritualium oblationum suauitate fragrātes. Huiusmodi enim sacrificijs delecta-

Leuiticū genus typus Christianorū

1.Pet.2.

Tabernaculū, typus Ecclesiæ.

delectatur Deus: et adorantes ipſum, in ſpiritu, et veritate oportet adorare, iuxta Saluatoris vocem. PAL. Rectè ais. CYR. Et quod quidem nos oporteat ſacrificijs vltra Legem florere, equidē affirmarim. Probauerim enī. Cœterum illud dicas: Nonne in typum nobis eccleſię ex gentibus, vetus in ſolitudine tabernaculum exſtructū eſt, verioris illius obſcuram adhuc pulchritudinem ob oculos ponēs? PAL. Omnino. CYR. Dixi autem modò, quòd debere aſſumi ex ſanguine Leui ſacrarum rerum miniſtros, typus rurſus ſit eorū, qui in fide vocati ſunt ad ſanctam, atq; inculpatam vitam. PAL. Vis ne igitur, vt pauca quædā de ſancto tabernaculo, et legali ſacerdotio dicamus, perſcrutantes ea, quæ de vtriſq; ſanctè edicta ſunt? CYRIL. Res eſt minimè facilis. Multo enim labore, ac ſudore, vt arbitror, Palladi, opus fuerit ad ea intelligenda, atq; explicanda: nihilominus, ſi ita videtur, Deo freti aggrediamur, dicente ipſo
Exod.4. apertè: *Quis dedit os homini, et quis fecit ſurdum, ac mutum: videntem, et cæcum? Nonne ego Dominus? Et nūc incede, et ego aperiam os tuum.* PAL. Aggredere igitur, ipſum adiutorem, ſapientiæq; ſuppeditatorem tibi proponens. CYR. Aggredior. Et quidem ex ſacris literis omnia diligēter conferam. Deſcendit quidē in forma ignis in montem Sina Deus omnium opifex, et leges poſuit, ad quarū normam actiones noſtræ rectè, incorrupteq; inſtituerentur. Deinde à veteri errore, atq; idololatria quamlongiſſimè abducens, Moyſen mediatorem
Exod.20 allocutus eſt, *Hæc dices, inquiēs, domui Iacob, et annunciabis filijs Iſrael: Vos vidiſtis, quòd ex cœlo locutus ſum vobis. Non facietis vobis ipſis Deos argenteos, neq; aureos.* Deos enim falſi nominis colere, nō permittit: vt autem ſoli, ſuperneq;, atq; è cœlo venienti, omniumq; poteſtate ſubſtantialiter prædito adhæreamus, iubet: cuius ſplendor, non in materiarū coloribus conſiſtit, ſed in oſtendendo cœlum ſuum eſſe. Neceſſe vtiq; erat, eos, quibus à veteri impietate, et profano cultu diſcedere præceptum erat, ad aliam ſtatim cōſuetudinem traduci, et veluti iugum quoddam cultus Dei ſecūdum naturam ſubire. Remiſſa enim mens facilè effreni motu ad quæuis abſurda præceps ruit. Metu autem, et cura propoſitis, feliciter ad rectum contendit, quodq; vtile eſt, proſequitur. Quoniam vero per Filiū accedimus ad Patrem, (*Nemo enim Ioan.14 vadit ad Patrē, inquit, niſi per me,*) neceſſariò acceſſum per Filiū, et oblationis in ipſo typos promulgauit, dicens: *Altare ex terra facies mihi, Exod.20 et ſacrificabitis in ipſo holocauſta, et ſacrificia veſtra, oues, et vitulos veſtros in omni loco, vbi inuocaueris nomen meum illic. Et veniam ad te, et benedicam tibi. Si autem ex lapidibus altare feceris mihi, non ædificabis eos ſectos. Etenim cultrum tuū immiſiſti ſuper eos, et polluti ſunt.* Terreum ſiquidem altare Emanuelem vocat. *Verbum enim caro factum eſt.* Terra autem ex terra, carnis eſt natura. In Chriſto igitur omnis fructus, omniſq; acceſſus eſt. Inquit enim ipſe: *Abſque me non poteſtis facere quidquam.* Quemadmodum enim per ipſum acceſſum habuimus: ita etiam omne ſacrificium per ipſum acceptabile eſt eorū, qui fidem ſuſceperunt. Annunciat autem

Terreū altare, Emanuel, Ioan.1.

Ioan.15

autem ijs, qui altare ex terra constru-xerunt, accessum, et benedictionem. Veniam enim, inquit etiam per sapientissimum Moysen, veritatis typos demonstraturus. Atq; ipsa secundum tempora veritas illuxit, hoc est, Christus: per quem, et in quo superna benedictione etiã à Patre locupletati sumus, consignati ad adoptionem in Spiritu sancto. In auro autem rursum, et lapidibus etiam hoc absoluitur. Si autem altare ex lapidibus feceris mihi, inquit, non ædificabis eos sectos. Non permittit, vt ferro lædantur lapides Deo consecrati: Lapis enim erat electus, angularis, preciosus Christus, insaucius quidẽ peccatis, et diaboli plagarum ignarus, non diuisus Deo, ac mundo, et tametsi caro factus est, integrè tamen sanctus existens, non separatim in Deum diuisus, et separatim in hominem post ineffabilem vnionẽ siue carnis assumptionem: sed vnus, atque idem ipse existens Deus, et homo. Nulla enim ratione est diuisus, sicut et Paulus testatur. PAL. Altare igitur ex terra constructum, et lapides non secti Christum significãt, ijs, quos diximus, modis. CYR. Ita aio. Spiritualis enim est Lex, iuxta scripturas. Postquam autem Christi mysterium, et accessum per ipsum sub imagine præfigurauit: tum etiam ecclesię figuram Deus præmonstrasse cernitur. Moysen enim vocauit, vnaq; cum eo Iosue in montem Sina. Atq; hinc intellige, quòd et ipsis sanctis prophetis accessibilis est Pater per Filium. Conscendunt enim inter se Moyses, et Iosue. Scriptum est enim, *quòd loquutus est Dominus ad Moysen dicens: Dic filijs Israël, accipiant mihi primitias à quibus visum fuerit cordi. Accipietis primitias meas. Et hę sunt primitiæ, quas accipietis ab eis, aurũ, argentum, æs, hyacinthum, purpurã, coccinum duplum, et byssum retortam, et pilos caprinos, et pelles arietũ rubricatas, et pelles hyacinthinas, et ligna imputribilia, et lapides Sardios, et oleum in illuminationẽ, thymiamata in oleum vnctionis, et in compositionẽ thymiamatis, et lapides in sculpturam ad superhumerale, et tunicã talarem. Et facies mihi sanctuarium, et videbor in vobis. Et facies mihi secundum omnia, quæ ego ostendo tibi in monte, exemplum tabernaculi, et exemplum omnium vasorum eius, et sic facies.* Vides, quo pacto ad offerendum vtilia, ac necessaria ad ecclesiæ cõstitutionem populos hortatur, offerẽtes hilari animo pro suis quisq; viribus, et facultatibus? Neq; enim aurum solùm quærebat, aut alioqui quę difficilia sunt acquisitu, verumetiam pilos caprearum, et arietum pelles: ostendens nimirum, quòd viles etiã, atq; exigui precij res, si nihil præstantius habeat is, qui offert, non sunt reiectitiæ apud Deum, sed tanti ab eo fiũt, atq; alia, quæ maximo in precio habentur, quemadmodum Christus etiã non despexit Hierosolymis viduã illã offerentem gazophylacio exiguum quid, et minutum, magnum autẽ fortasse ijs, qui in paupertate sunt constituti: quibus minutarum etiam rerum distractionem multum incommodare verisimile est. Acceptis autẽ primitijs, sanctuarium mihi facies, inquit, et videbor in vobis. Resplendet enim in ecclesia Christus: ijsq; , qui in ea sunt, illucet, iuxta illud quod in psalmis dicitur: *Dominus Deus, et illuxit nobis.* Animaduerte autem quo pacto

Altare ex lapidibus nõ sectis, Christi typus. Christus lapis angularis.

1. Cor. 1.

Exod. 25

Pili caprarũ in tabernaculi structuram oblati, quid significet.

Sanctuarium typus Christi.

Psal. 117.

Dñs dicẽs se videndũ in mõte, cũ tamen videretur, quid significet.

pacto etiam si descẽderit in montem in specie ignis, visusq; sit ab omni populo, (ita enim scriptũ est,) quasi nondum apparuerit: *Videbor, inquit, in vobis erecto sanctuario.* Tantum nõ enim manifestè exclamare videtur, quod visiones illæ sint vmbræ veræ Dei visionis. Vera autem ostensio est Christus, in quo etiam Patrem ipsum contemplamur. Idcirco Iudæos existimantes se revera vidisse in monte Sina totius vniuersi Deũ, absurdissimè errantes increpat, dicens: *Neq; vocẽ ipsius audistis, neq; speciem eius vidistis, et sermonẽ eius non habetis in vobis manentem, quia vos non creditis ei, quẽ ille misit.* Quocirca videbor, inquit, in vobis erecto sanctuario. Hoc autem erat typus ecclesiæ ad supernã similitudinem factæ. Idcirco inquit: *Facies mihi iuxta omnia, quæ ostendo tibi in monte, ita facies.* PAL. Ostẽsum est enim aliquid beato Moysi. CYR. Typus, vt dixi, sanctarũ ecclesiarum, et multifariam ipse veluti in vmbra effictus, qui propter nos homo factus est. De singulis verò figuris copiosus, et subtilis sermo haberi possit. Quoniam autem quædam propria sunt, ac conuenientia eorum, quę fiunt, structuræ: quædam verò ad contemplationem, vtilitatemq; pertinẽt, age dicamus, quæ ad hæc cõducibilia sunt, reliquis omissis. PAL. Nõ intelligo quod dicis. CY. Vide igitur, quid velim. Intelliges enim, arbitror, minimo negocio. Arcam fieri iussit ex lignis imputribilibus intus, et extra deauratam: et quę vocantur testimonia, hoc est, Legem veluti in tabulis parturientem. Sed neq; hęc tantum ad eius cõstructionem requirit. Vectes enim rursum fieri præcipit ex lignis imputribilibus similiter deauratos. Anulos etiam aureos, et *vndulas aureas* vertibiles in circuitu. Longitudinem etiã ac latitudinem, et altitudinem artificij præscribit. Cœterum si quis hæc diligẽter inquirere velit, inueniet quidem quidnam sit arca, et quæ in ea mysteria, quis etiam lignorum imputribilium vsus fuerit. Quid autem significare velit arcæ deauratio, et quæ partim ad vsum, partim ad ornatum construuntur. Vndulæ, inquam, vertibiles, anuliq; et vectes, si quis curiosè indagare velit, arduã profectò rem reperiet, et si mysticam ijs rationem accommodare non potest, multa ociosa afferet, et inanium, ac superuacuorum verborum aceruum studiosorũ auribus ingeret. Verus autem nobis sermo non de arca solùm adferetur, sed de reliquis etiam, quæ fieri præcipit. PAL. Rationi consentanea mihi sentire, et dicere videris. Omissis igitur ijs, quæ ad cõpositionem, siue ad ornatum perfecti operis faciunt, ea, quæ ad speculationẽ necessaria sunt, persequere, hoc est, quonam pacto ipse nobis Christus significatur per ea, quæ nobis proponuntur, siue extruuntur, incunctanter declara. CYR. Equidem, quoad eius fieri potest, dicere, et intelligere tentabo. Si autem à veritate aberrarim, neq; ad eam, quæ necesse est, intellectuum sublimitatem pertigerim, veniam merebor. In speculo enim, atq; imagine cernere, fallit nonnunquam etiam bene constitutam, recteq; sentientem mentem. PAL. Rectè ais. CYR. Arca nobis, ô Palladi, typus sit, ac similitudo Christi. Nam si humanitatis à Christo assumptæ modum consideres veluti in arca, templo virginis, Verbum ex Deo

Vera Dei visio est Christus

Ioan. 5.

Arca ex lignis imputribilibus fieri iussa, typus Christi.

*In Cyrillo deest.

Deo patre inhabitans videbimus. Habitauit enim in eo omnis plenitudo Deitatis corporaliter, secundum scripturas. Verbum autem Dei erat testimonia in arca. Et imputribilia quidē erant eius ligna. Auro verò puro, probatissimoq; deaurata intus, et extra. Incorruptibile enim corpus Christi, veluti auro quodam, inhabitantis verbi virtute, ac splendore, et sancti spiritus natura, atq; efficacia viuificante, incorruptionem adeptum est. Idcirco etiam viuificare dicitur Christus. Vita enim existens secundum naturam verbum ex Deo Patre, virtute proprij spiritus proprium ipse templum viuificauit, ab interitu vindicans. *Caro enim ipsius non nouit interitum,* iuxta sancti Pauli vocem. Acclamauit autem alibi Iudæis de proprio suo corpore: *Soluite templum hoc, et in tribus diebus erigam illud.* Et Petrus quidem mortuū carni ipsum dicit: viuificatum autem spiritu. Symbolum itaq;, siue signum supereminētis Deitatis aurum, superinducentis quodāmodo sacro corpori, propriūq; suum splēdorem, et incorruptionem ineffabiliter immittentis, atq; vt ipsa sola, et secundum seipsam diuina, et mentem excedens natura nouit. Si enim iusti tempore suo fulgebunt vt sol in regno patris ipsorum, quænam tandem erit Christi ipsius gloria? Aut quo pacto non eius fulgor mente, ac ratione omni superior est futurus? At qui aurei vectes arcam continentes, et aurei circuli, omniaq; quæ in ipsa. Participes enim gloriæ fiunt, qui circa ipsum sunt, et veluti in amore, et sanctificatione coaptati. Huiusmodi quidam erant etiam beati discipuli, qui potestatem diuinam ab ipso acce-

Testimonia in arca, verbū Dei.

Christus viuificare dicitur.

Act. 2.

Ioan. 2.

1. Pet. 2.

Aurum, symbolū Deitatis

Vectes aurei in arca quid significent.

perant, et supernæ dignitatis splendore participanter locupletati, et vaticinia Dei per hoc implentes. PAL. Rectè ais. CYR. *Et præter arcam facies, inquit, propitiatorium superpositionem auri puri. Duorum cubitorū, et dimidij longitudo: et cubiti, et dimidij latitudo. Et facies duos Cherubin aureos tornatiles, et impones eos ex vtrisq; lateribus propitiatorij. Fient Cherubin vnus ex latere hoc, et Cherubin vnus ex latere secundo propitiatorij. Et facies duos Cherubin super duo latera, erunt duo Cherubin extendentes alas desuper obumbrantes alis suis in propitiatorio: et vultus eorum ad se inuicem, ad propitiatorium erunt vultus Cherubin: et superimpones propitiatorium super arcam desuper: et in arcam impones testimonia, quæ dabo tibi. Et cognoscar tibi illinc, et loquar tibi de superiore parte propitiatorij inter duos Cherubin existentes in arca testimonij, iuxta omnia, que præcipio tibi ad filios Israel.* PAL. Porrò quidnam propitiatorium esse dicis? CYR. Quantum quidem ad literam, et vmbram pertinet, ex puro auro confectum erat, et superponebatur, atq; incumbebat arcæ. Idcirco enim superpositio dictum est. Cōuersi autem ad se inuicem, seq; mutuò cernentes, qui sacerdotali dignitate illustres sunt, ad Deum versi, eumq; cernere videntur. Dicimus autem esse propitiatorium, si spiritualiter intelligatur, eum, *qui propter nos factus est homo: quem proposuit Deus propitiationē per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem iustitiæ eius.* Paulus enim ita inquit. Significat autem nobis etiam Ioānes sapiētissimus discipulus: *Filioli, hæc scribo

Exod. 25

Propitiatoriū arcæ, quid sit.

Rom. 3.

Propitiatoriū typus Christi.

1. Ioan. 2

ſcribo vobis, vt nõ peccetis. Et ſi quis peccauerit, paracletum habemus ad Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris: neq; pro noſtris ſolùm, verum etiam pro totius mundi.* Per ipſum enim propitiatio, oratioq; omnis, et petitio bonorum. *Hactenus enim, inquit, non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, et dabitur vobis.* Ipſe igitur eſt propitiatorium. Per ipſum enim nobis propitius eſt Pater, et in ipſum deſinit omnis terminus orationis, ac per ipſum accedimus, non aliter acceptabiles exiſtentes. Idcirco inquit: *Ego ſum via, et ego ſum oſtium, et nemo vadit ad Patrẽ, niſi per me.* Cœterum tametſi vnigenitum Dei verbum factum eſt vt nos, ſeq; ipſum ad humanitatem, et inanitionem demiſit, eſt tamen etiã ſic proprium ipſius naturaliter, diuinitatis gloria, dignitateq; maiore, quàm quæ in creaturas cadit, præditum eſſe, quemadmodum et ante carnem aſſumptam. Idcirco Cherubin circunſtant propitiatorium, obumbrantes alis, et ad ipſum conuerſi, firmatoq; ſemper in illud vultu. Et ſatellitij quidem euidens probatio eſt, ad dextram, et ſiniſtram eos conſtitutos. Quod verò Cherubin aſsiduè propitiatorium intueantur, ſignificare videtur vehementem quodammodo, atq; inſatiabilem Dei viſionem, qua ſupernæ poteſtates fruuntur. In propria autem forma Eſaias propheta Filium deſcribit, dicens: *Vidi Dominum Sabaoth ſedẽtem ſuper thronum excelſum, et eleuatum: Et Seraphin ſtabant in circuitu eius. Et ſex quidem alas vnicuique fuiſſe ait. Velare autem duabus quidem pedes: duabus autem faciem, et alijs duabus volare.* At ſi quidem exiſtimarit quiſpiam, quòd Dei faciem, ac pedes occultent, nihil abſurdum intellectu fuerit. Transferentes enim Græcè ſignificationem vocis Seraphin cognitionis multitudinem, ſiue ſapientiæ fuſionem ſignificare reperiemus. Innuunt igitur et quidem admodum manifeſtè ſupernæ hæ poteſtates ſua figura, quòd fas non ſit Dei faciem à quoquam videri. Viſu enim perfectè concipi nõ poteſt natura omnem mẽtem excedens, *et inacceſsibilem lucem inhabitat,* iuxta beati Pauli vocem. *Et nemo videbit faciem Dei, et viuet,* iuxta id quod rectè ab ipſo ad Moyſen dictum eſt. Sed neq; quiſquam cognoſcet veſtigia, neq; vias ipſius. Ita enim ſcriptum eſt: *O altitudo diuitiarum, ac ſapientiæ, et cognitionis Dei: quam inſcrutabilia ſunt iudicia tua, et inueſtigabiles viæ tuæ.* Beatus etiam Dauid alibi ita diuinè canit: *In mari ſemita tua, et viæ tuæ in aquis multis, et veſtigia tua non cognoſcentur.* Quemadmodum enim nemo cognoſcet veſtigium in aquis, ſiue hominis fortaſſe, ſiue nauis, aut eorum, quæ in eis natant: ita etiam nemo conſpiciet diuinas, atq; ineffabiles vias, quarum typus ſunt pedes. Si autem ſuas ipſorum facies, ac pedes alis obumbrare ſanctos Seraphin quiſquam ſuſpicari velit: cogitemus, quòd de Dei ſapientia, ſiue cognitione principium, aut finem videre fas non ſit. Incomprehenſibilis enim etiam ipſa, et humano intellectu ſuperior eſt. Principium verò omnis corporis eſt caput: finis autem, pedes. Propitiatorium igitur eſt Chriſtus: qui cum in carne ap-

Ioan. 16. — Ioan. 14. — Cherubin propitiatoriũ circũſtantes, quid ſignificẽt. — Eſai. 6. — ſeraphin quid ſignificet. — 1. Thi. 6. — Exod. 33. — Rom. 11. — Pſal. 76. — ſeraphin ſex alis præditi Eſai. 6. quid ſpiritualiter ſignificent. — Principium, et finis nõ vidẽtur in Dei ſapientia.

paruerit, nihilo tamē minus est Deus et Dominus natura ac verè, in orbē collocans ministrorum instar supernas potestates. Alibi autem sacer sermo nobis ait, *Quòd cum diabolus destitisset tentare Christum, quando ieiunauit pro nobis, angeli accesserūt et ministrabāt ei.*Spiritus enim sunt administratorij ad ministeriū missi, propter eos, qui salutem percepturi sunt.* Porrò super propitiatorium notus fiam tibi, inquit, et loquar tibi: duo, vt arbitror, per hoc significans. Aut enim quòd homo existens Christus supra hominis naturam loquuturus esset, neq; solis inanitionis terminis circunscriberetur, eò quòd esset Deus, et ex Deo secundum naturam. (*Ego enim, inquit, et Pater vnū sumus.*Et qui vidit me, vidit et Patrē,*) aut illud fortasse. Cognoscitur enī super propitiatoriū, et Cherubin: hoc est, in excellētia, et gloria plusquā humana, omnēq; creaturā excedēte, (quarū supremi, eminētissimiq; sunt Cherubin,) etiā si caro factus sit. Atqui aureū est propitiatoriū, vt et ipi Seraphin. Splendidissima enim, pulcherrimaq; natura est Deus. In similitudine autē ad ipsum secundū participationē creaturæ. Ijs verò, qui circa ipsum versantur, proprij naturalisq; splēdoris participationem cōmensurat, veluti luce in vicina corpora reuerberante, proprioq; splendore id, quod cōtingit, illuminātē. PAL. Rectè, elegāterq; nobis ad veritatē procedit oratio. CYR. At verò post propitiatorij cōstructionem, aliter etiam nobis Christi mysteriū adumbrat, dicēs: Et facies mensam auri puri: Anulos autē ipsi adaptari iubens, aureosq; vectes immitti. Mensuras etiā eius, et modos artificij, quibus ad summā elegantiā perduceretur, præscribens: Et appones, inquit, mensę panes propositionis coram me semper. Vasa autem aurea, catinos, et mortariola, et cyathos, et libatoria fieri iussit. Nōne manifestè panis nobis ex cœlo in sanctis ecclesiarū mensis proponēdus demōstratus est, ac vitā mūdo daturus? PA. Omnino. CYR. Catini autē, et mortariola, cyathiq;, et libatoria, atq; ea, per quæ sacræ mensę mysticus, sacratissimusq; vsus est, an nō diuinorum thesaurorū sunt typi? PAL. Sunt certè. CYR. Sed hæc quidē in Exodo. De mensa autē, et propositione panū legislator in Leuitico sanxit. Amplificat verò quodāmodo præceptū. Quonam autē pacto propositio panum facienda sit, apertè docet, ita dicēs: *Et accipietis similam, et facietis eā duodecim panes duarum decimarū erit panis vnus, et imponetis eos duas positiones: sex panes vnam positionē super mensam puram coram Domino. Et imponetis superpositionē thus purum, et salem: et erūt panes in memoriam propositi Dño. Die sabbatorum proponetis corā Dño semper à filijs Israël, fœdus sempiternum. Et erunt Aaron, et filijs eius, et comedēt ea in loco sancto. Est enim sancta sanctorū. Hoc ipsi à sacrificatis Domino legitimū sempiternum.* In Numeris autem, veluti vnū rursus panē nobis ex cœlo, et ex nobis (factus enim Deus existēs natura verbū iuxta nos, et habitauit in nobis,) demonstrauit, ad oraculorum interpretem Moysen dicens: *Loquere filijs Israël: et dices ad eos: Cum intraueritis vos in terrā, in quā ego inducā vos illuc, et erit quādo comederitis vos de panibus terrę, separabi-

Matt. 4.
Hebr. 1.
Sup propitiatoriū notus fiā tibi, et loquar tibi quid significet.
Ioan. 10.
Ioan. 14.
Panes propositionis, quid significet.
Leui. 24
Num. 15.

separabitis separationem, segregationē Domino, primitias massæ vestræ: panem separationē separabitis ei ab area. Sic segregabitis illud primitias massarum vestrarum: et dabitis Domino segregationem in generationes vestras.* Ex his quidem facilè quis veritatis mysterium perspiciat. Dicetur autem à nobis suo tempore subtiliter, atq; accuratè, in alterius cōmentationis laborem sermone translato. Ceterum illud, arbitror, in præsentiarum Palladi, quispiā miretur. PAL. Quidnā ais? CYR. Cum enim multifariam Emanuelem nobis ob oculos posuerit alia rursus ratione eundē figurat. Ad Moysen enim inquit:* Et facies candelabrum ex auro puro: tornatile facies illud: Hastile eius, et calami, et cyphi, et spherulæ, et lilia ex ipso erunt. Sex autem calami egredientes ex lateribus: tres calami candelabri de latere ipsius vnius, et tres calami candelabri de latere secundo.* Deinceps præscriptis ijs, quę ad ornatum, et vsum artificij pertinerēt, lilijs nimirum, et sphærulis, et crateribus in modum nucis factis, rursum inclamat:* Tota sit tornatilis ex eodem auro. Et facies lucernas eius septem, et impones lucernas eius, et lucebūt ab vna facie eius. Et emunctorium eius, et suppositiones eius de auro puro. Talentum auri puri facies omnia vasa hęc. Vide facias iuxta figuram ostēsam tibi in monte.* Aureum igitur candelabrum Christi typum præsefert. Naturaliter enim, ac verè Deus est, Filius. Auro autem comparandā est, sicut et supra ostensum est, diuinus splendor, atq; excellentia. Tornatilis verò, quia supramodum formosa, et rationem omnem excedens fit pulchritudo Emanuelis. Scriptum est enim, *quod speciosus forma supra filios hominum.* Tornatile igitur esse candelabrum ad summam pulchritudinem (manifestum autem, quòd Deo conuenientem) aptißimè Emanuelem significat. Calamos autē veluti ex arbore ad dextrā, et læuam emittit, concurrereq; cum medio hastili dicit, et in eandem cum eo altitudinem tolli. Vnus enim existens secundū naturam vnigenitus, et in simplicitate secundum substantiam vt Deus, diuersis operationibus quodāmodo citra periculū multiplex esse videtur. Cœterum nihil aduentitium, aut extraneum in ipso, tametsi videatur fortasse diuinis dignitatibus minimè simplex. Lux enim, et vita, et potestas, et incorruptio intelligitur. Nihil enim in ipso ascititium esse docere volens, adiunxit, vt arbitror, illud: Sphærulę, et calami, et lilia ex ipso erunt, totum tornatile ex auro puro, hoc est, totus per totum Deus, (non ex æquo cum creaturis sanctificatus, neq; veluti angeli fortasse in propria natura intellecti, illustrati autem illius gratia, et gloria, et veluti auro puro, spiritus largitione deliburi) sed ipsa naturaliter res Deus, purißima, ac suprema natura. Septē verò sunt lucernę. Multis enim modis illuminatio à Christo tribuitur: *atq; huic quidem datur sermo sapientiæ: alteri autem sermo cognitionis, et diiudicatio spirituum,* et reliqua. Porrò septenarius numerus, etiam perfectionis signum est. Vndequaq; enim perfectus iuxta propriā naturam Emanuel, vt Deus, et in donorum suorū distributione, perfectè eam impendit ijs, qui dignos eorū acceptione se præbent. *Non enim ad men-

Exod. 25

Candelabrum aureum, typus Christi.

Psal. 44.

Calami candelabri, quid significent.

Lucernę septē in candelabro quid significent.

1. Cor. 12

Septenarius numerus signū perfectionis

Ioan. 3.

mensuram dat spiritũ, iuxta Ioannis vocem, sed ex plenitudine ipsius omnes nos accepimus.* Deinde inquit: *Et impones lucernas, et lucebũt ex vna facie eius.* Quænam autem sit huiusmodi dispositio, in Numeris a-
Num. 8. pertè declarat, dicens: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron, et dices ei: Quando posueris lucernas ex parte, versus faciem candelabri lucebunt septem lucernæ. Et fecit sic Aaron, Versus faciẽ candelabri incẽdit lucernas eius, sicut præcepit Dominus Moysi.* Intelligis igitur, quòd versus faciem cãdelabri septẽ lucernæ conuersę lumẽ videntibus prębebant. Neq; enim ijs, qui auersi quodãmodo sunt à Deo, diuinũ ac spirituale lumen illucet, sed qui in conspectum eius per sanctificationem sunt adducti, quiq; iam ipsi è regione sunt constituti per fidei libertatem, et per rectæ vitæ honestatem. Abominabile enim, atq; odiosum est quidquid in prauitate incredulitateq; versatur. In pretio autem apud Deũ, inq; eius conspectu et tutela est, quod obediens, et tractabile est. Idcirco Iudæis ipsum intemperanter contumelia afficere volentibus per vocẽ Esaiæ

Lucernę ad faciẽ candelabri versæ quid significẽt.

Esai. 1. ita inquit: *Quando extenderitis manus vestras ad me, auertam oculos
Psal. 33. meos à vobis.* Oculi autem Domini super iustos,* iuxta id, quod in psalmis cantatum est. PAL. Verè. CYR. Meminit alibi sancti huius cãdelabri etiã diuinus Zacharias. Inquit enim:
Zach. 4. *Et reuersus est angelus, qui loquebatur mecum, et suscitauit me, perinde ac si excitetur homo de somno suo: Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrũ aureum, et lampas in illo, et septem lucernę super illud, et duę oliuę super illud, vna ad dextris lampadis, et altera ex sinistris. Et interrogaui, et dixi ad angelũ qui loquebatur mecum, dicẽs: Domine, quid sunt hæc? Responditq; mihi dicens: Non cognoscis, quænam hæc sunt? Et dixi: Non domine.* Beatus itaq; propheta percunctabatur dicẽs: Quid sunt hęc domine? Parua autem narratione interposita diuinus angelus interpretatur visionem, et candelabri cõstructionem ad Christum refert, dicens, de septem in ea lucernis: Hi oculi Domini cernentes super vniuersam terrã. Si enim oportet crassius quid dicere, innumeris oculis Deus aspicit, et considerat res mortalium, cognoscens quæ in tenebris, iuxta id,

Locus de candelabri visione explicatus.

Dan. 2. quod scriptum est: *Et lux cum ipso est.* Si enim etiam nobis in mundo existentibus lucem immittit Deus: rationi consentaneum est, ipsum ea prę reliquis omnibus in propria natura abundare. Aut si qui rem ita se nõ habere opinantur, æquum est huiusmodi ita affectis inclamare. *Intelligite
Psal. 93. iam insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Plantans autem nõ audit, aut formans oculum non cõsiderat?* Viuus enim est sermo Dei, et effi
Heb. 4. cax, et penetrantior quouis gladio vtrinq; incidente: ac pertingens vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus: compagumq;, et medullarum, et discretor cogitationũ, et intẽtionum cordis: nec est vlla creatura, quæ non manifesta sit in conspectu illius, sed omnia nuda, et resupinata oculis illius.* Illuminat itaq;, et cernit cũcta Christus. Idcirco etiã per propheram quendã dixit: *Deus propinquãs ego sum, dicit Dñs: et nõ Deus à lõge: An mihi occultabitur quidquã?* Nihil

enim

enim latet mentem omniũ conſciam. An non rectè tibi hęc animaduertiſſe videor? PAL. Omnino. CYR. Inuſitatum autem quid circa cãdelabrum videns propheta, (oliuarum enim rami erant,) interrogauit, dicẽs: *Quid duæ oliuæ, quæ à dextris candelabri, et à ſiniſtris? Et interrogauit, inquit, ſecundo, dixiq; ad eum. Quid duo rami oliuarum, qui in manibus duarũ narium aurearum, quæ infundunt, et retrahũt ſuffoſoria aurea? Et dixit ad me, inquit: Neſcis, quid ſignificent hæc? Et dixi: Nequaquam domine. Ait ergo. Hi ſunt duo filij pinguedinis, qui aſtiterunt dño omnis terræ.* PAL. Quænam igitur fuit neceſsitas prophetæ, vt iterum percunctaretur? Interrogauit enim, inquit, ſecundo. CYR. An non ſapientis eſſe cenſes, Palladi, rationiq; conſentaneum, vt qui in vniuerſum rectè ſentire velit, accuratas de quaq; re neceſſaria interrogationes faciat? PAL. Cenſeo. CYRIL. Ramos igitur oliuarum tenero, recentiq; germine cõſpicatus propheta, oliuas ipſos, et nõ oliuarum ramos vocauit. Poſt hæc ſubticuit diuinus angelus prudentiorem, ac veram interrogationem expectans. Poſtquam autẽ excitatus duos deinceps ramos oliuarum nominauit, diſcereq; cupiebat, cuiusnam rei ſigna illa eſſent, extemplo doctus eſt ab angelo dicente: *Hi duo filij pinguedinis aſtiterunt Domino vniuerſæ tereæ.* Filios autẽ pinguedinis duos vocauit, populum ex Iſraël, et populũ ex gentibus: quos et Domino vniuerſæ terræ aſtare inquit, clarè, atq; apertè in typum Chriſti candelabri artificium conſtituens: cuius rami oliuarum ad dexteram, et ſiniſtram, et veluti in orbem conſtituti oleo impinguantur: quod eſt typus Spiritus ſancti, credentium mentes irrigantis, iuxta illud: *Oleo impinguaſti caput meum.* PAL. Deinde cur non potius oliuam, ſed ramos potius oliuarũ appellauit? CYR. Quia amice, quemadmodum ex oliuis tenelli ſurculi, et recentes rami dependent: tantum nõ etiam tranſplantantur in pietatem poſt fidem acceptam credentes. Hi quidem ex Iudæorum ſynagoga exiſtentes: hi verò ex gentium multitudine exempti. Crediderunt enim non omnes ex Iſraël: neq; rurſum vniuerſa gentium multitudo ad fidem acceſsit. Rami igitur oliuarum ſunt, qui veluti ab arboribus, Iudaica, et Grecanica multitudine ſunt diuulſi, et ad diuinam lucem accerſiti, quiq; iam abundatiore ſancti ſpiritus fuſione fruuntur. Hoc enim arbitror ſignificare, quod veluti in naribus lucernarum poſiti ſint rami oliuarum: quorum etiam beatus Pſalmiſta alibi meminit, ad totius vniuerſi Saluatorem Chriſtum concinens, ac dicens de copulata ipſi ſpõſa, hoc eſt, eccleſia, et de filijs eius in fide: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Viuificamur enim in participatione ſpiritus, et in ſancta Chriſti menſa, fidem in ipſum ſuſcipientes. PAL. Rectè profectò dicis. *Ego enim ſum, inquit, panis viuens, qui de cœlo deſcẽdi: et vitam prebens mundo.* CYR. Cœterum de cãdelabro, atq; ijs, quæ in eo ſunt, hæc à nobis in præſentiarum dicta ſint. Procedat autem ſermo ad altare ęneum legalis cultus vtiliſsimum. *Facies, inquit, altare ex lignis imputribilibus, quinq; cubitorum

Zach. 4.

Rami oliuarũ in candelabro tabernaculi, quid ſignificẽt.

Filij pinguedinis populus ex Iſrael et populus ex gẽtibus.

Pſal. 22.

Rami oliuarũ in naribus lucernarũ, quid ſignificent.

Pſal. 127.

Ioan. 6.

Exod. 27

rum longitudo, et quinq; cubitorum latitudo. Quadrangulum erit altare, et trium cubitorum altitudo eius. Et facies cornua supra quatuor angulos, ex eo erunt cornua, et cooperies ea ære. Et facies coronam altari. Et cooperimentum eius, et phialas eius, et fuscinulas eius, et focum eius, et omnia vasa eius facies ænea. Quinq; igitur cubitorum in longitudinem, et latitudinē est altare.* Oportebat enim laxas, atq; amplas mensuras illi tribui. Nam super ipsum findi, et boum frustra deferri debebant, et holocaustomata, ouium etiam, atque hircorum Deo consecratorum oblationes fieri. Idcirco æneus focus ipsi conueniebat: fuscinulæ etiam, et phialę, omniaq; eius vasa: ne, cum sacrificia ex Legis præscripto exercerentur, ignis omnia vastantis, et deuorantis impetu destruerentur. Coronam autem super angulos cornuum ad figuræ ornatum adijciemus. Nihil enim inornatum apud Deum. Cęterum illud rursum age dicamus: mentem accuratè ad singula eorum, quæ edicta sunt, intendentes. Altare quidem sacrificijs legalibus faciendis conueniens præscripsit. Nihil autem in ipso est aureum: quemadmodum videre est in arca, candelabro, et mensa: atque ijs, quæ ad hæc pertinent. PAL. Quidnam ergo hoc sibi vult? CYR. An nō diuinæ, atq; immortalis naturę, vltra omnia excellentiam, et incomparabilem splendorem, vt in intellectu dico, aurum optimè significare diximus, Palladi? PAL. Ita est. CYR. Vide igitur. Altare legalis cultus, omnis planè auri expers, Deo nimirum rem hanc manifesto argumento nobis proponente, quòd Lex quidem spiritum

Altare cultus legalis, cur æneus.

sanctum nequaquam conciliabat: neque verò cultus in typis potestas huiusmodi gratia honorabatur. Erat enim spiritus seruitutis super Israël. Nobis autem donum tributū est per Christum post resurrectionē ex mortuis. *Insufflauit enim, dicens: Accipite Spiritum sanctum.* Idcirco et Paulus credentibus acclamauit. *Nō enim accepistis spiritū seruitutis iterum in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater.* Quòd autem cultus secūdum Legem potestas, Spiritus sancti diuitias non acceperit: datæq; sint potius ijs, qui in fide iustificati sunt, confirmat Ioannes dicens: *Nōdum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondū glorificatus erat.* Neq; enim adhuc suscitatus erat à mortuis Christus. Tunc enim propriè Spiritu sancto, communioneq; cum ipso deaurata est hominis natura. Idcirco quidē altare absq; auro fieri præcipit, vt ego arbitror. Æris autē rationem, ex quo confectum erat, pręterire, vt videtur, studiosis non fuerit indemne. Inuestigatio enim eius aliquid vtilitatis gignat, iuxta illud sapienter dictum: In omni solicito inest aliquid amplius. PAL. Quidnam autem habes, quod hac de re rursum dicas? CYR. Audi. Sacræ literæ testantur Aaron diuino consilio, ac sententia sacerdotē, ac pręfectum constitutū esse. Core autem, et Dathan, quæq; ijs se adiunxerant, efferam multitudinem procliuissimè à superna voluntate discedentes, et diuinas leges transgredientes, incēsa obtulisse nō vocatos, sed sua sponte hoc aggressos, et honorem præripientes, nequaquā ipsis cōcessum, insigni quadā arrogantia, et cōfidentia sese opponentes

Ioan. 20.

Rom. 8.

Ioan. 7.

Spiritus sanctus post christi resurrectionē datus.

Core, et Datan, vsurpatores officij sacerdotalis, Iudæorū typus.

nentes ſacerdoti ipſi præfecto, peculiariterq; præ alijs ad hoc electo. Adumbrata autē eſt per hoc Iudæorū aduerſus Chriſtum arrogantia futura. Ipſe enim noſter ſummus pōtifex, Patris volūtate ad hoc miſſus. Atqui illi quidem adeò turpium conatuum pœnas luerint. Luent autem poſt ipſos etiā Iudæi eiuſdē criminis rei. Porrò Deus ad Moyſen, et ad Eleazar filiū Aarō
Num. 17 ſacerdotem dixit: *Auferte thuribula de medio cōbuſtorum: et ignē alienum hunc diſſemina illic, quoniā ſanctificauerunt thuribula peccatorū hominum in animabus ſuis, et fac eas laminas ductiles, circūpoſitionem altari, quoniā oblata fuerūt coram Dño, et ſanctificata ſunt, et facta ſunt in ſignū filijs Iſraël.* Atq; hæc quidē illic Deus loquutus eſt. In Exodo autem ita ſcri-
Exod. 31 et. 37. ptū eſt de Beſeleel, qui fuit filius Vriæ ex tribu Dan, totius artificij præfectus, qui fecit altare æneū ex acerris æneis, quas habuerūt, qui fuerunt in ſeditione cum Core. PAL. Quidnā igitur hæc ſibi volūt? CYR. Multū vtilitatis in ſe habet, ſi intelligatur, quòd arca quidē facta eſt in typū Chriſti, et reliqua omnia: lucerna, inquā, et propitiatoriū, menſaq; aurea, offerēte populo, et cōſecrante vnoquoq; quod in manibus erat. Vehemēter enim acceptabiles ſunt in gloriā Dei, ac Patris, offerentes Chriſto, et ſpirituales hoſtias adducētes: quorū typi, atq; vmbræ illi erant: Altare verò cultus legalis typus exacerbationis, et contradictionis, atq; (vt ita dicā) coniurationis aduerſus ſacerdotē factæ veluti monimentū quoddā, et prędictio in ipſa cōſtructione ſita myſticè, œconomiceq; ſignificatur. Manifeſta igitur tibi iam eſt figura. Chriſti enī typus eſt Aarō. Inuidebant autem Chriſti gloriæ etiā Iudæi, atq; ideo contradicitur altare ſecundum Legem. Deſit enim cultus vmbratilis, quin potius in Chriſto ſpiritualem odoris ſuauitatem Patri fragramus. Idq; rurſum veluti in vmbris nobis ob oculos poſuit dicens:
*Et facies mihi altare thymiamatis Exod. 30
ex lignis imputribilibus, et facies illud longitudine cubitali, et latitudine cubitali: quadrangulare erit, et altitudine duorum cubitorum: ex ipſo erūt cornua ipſius: et deaurabis illud auro puro, craticulam eius, et parietes eius in circuitu, et cornua eius. Vectes eius, et anulos, alijsq; huiuſmodi adiectis: et pones, inquit, illud coram velo exiſtente in arca teſtimonij, in quibus cognoſcar tibi illic. Et adolebit in eo Aaron incenſum compoſitum manè, manè quando componit lucernas adolebit in eo: et quando accenderit Aaron lucernas ſerò, adolebit in eo incenſum aſsiduitatis ſemper coram Domino in generationes veſtras. Et non offeretis in eo incenſum aliud, oblationem, et ſacrificium, et libationem non libabitis in eo. Et propitiabitur Aaron in cornibus eius ſemel in anno à ſanguine purgationis peccatorū propitiationis, ſemel in anno purgauit illud in generationes veſtras, ſanctum ſanctorum eſt Domino.* PAL. Hæc itaq; etiam in typū Chriſti accipiemus. CYR. Omnino Palladi. Quod enim verè res hæc ſit venerandum ipſius, atq; altum myſteriū, facilè conſtet ijs, qui huiuſmodi accuratè, limateq; inueſtigare velint. Factum enim erat ex lignis imputribilibus. Deauratum verò totum: corpus enim Chriſti, corruptionis expers eſt, et diuina in ſeipſo natura preditū.

Altare thymiamatis, typus Chriſti.

Verbum enim caro factum est, et habitauit in nobis. Primitiæ autem nostræ Christus, et radix generis instaurati ad incorruptionem per adunationem ad Deum: tametsi præcipuè de ipso res intelligatur. Cornua autem altaris, et quodammodo manus extēsæ, venerandæ crucis speciem præfigurant. Si autē quatuor quis esse cornua dicat, nihil impedit, quominus discendi cupidus rectè sentiat. Cum enim vndequaq; quadrangulare, et æqualium inter se laterum sit altare, æqualis etiam ex omni parte cornuū aspectus erit. Quænam autem huius rei ratio? In omni enim loco Christus cognoscitur, et quidem hic cruci affixus. Insignis autem hæc gloriatio est ijs, qui credunt in ipsum. Idcirco diuinus Paulus: *Mihi verò non contingat gloriari, inquit, nisi in cruce Christi, per quem mihi mundus crucificatus est, et ego mundo.* Adijciuntur autem artificio etiam ea, quæ ad ornatum faciunt: corona, inquam, versatilis. Est enim revera speciosus forma supra filios hominum, Emanuel. Apponuntur verò etiam necessaria ad vsum ipsius, vectes nimirum, et reliqua. Ferri enim altare quoties castra mouebant, oportebat. Præstiterunt autem etiam hoc diuini discipuli Christum circunferentes per prædicationem, decenter, et ordinatè, veluti ministri, et dispensatores mysteriorum Christi. Pones autem, inquit, altare coram velo existente super arcam testimonij, in quibus cognoscar tibi illic. PAL. Quidnam verò vtile loci ipsi præscripti habet? CYR. Profundus certè, et obscurus est sermo. Dicam tamen quoad potero, Deo fretus, qui cæcis etiā tribuit sapientiam.

Cornua altaris typus Crucis.

Gal. 6.

Arcam fieri ex lignis imputribilibus, et auro puro dicit. Et Lex erat in ea, hoc est, diuinus sermo, siue testimonia. Typus enim res hæc erat Verbi geniti ex Patre, habitantis in nobis, et in similitudine carnis facti, secūdum scripturas. Præterea velum quoddā quatuor figuris superextensum suspēdi ex arca debere inquit. Nomen autem velo, Propitiatorium. Christus autem etiam hoc. *Propitiatio enim est pro peccatis nostris.* Et propitiatorium per fidem.* Ita enim Paulus ipsum vocauit. Cherubin autem in circuitu propitiatorij positi, supernarum potestatum sub Deo seruitutem (Deus enim est verbum) et iuxta admodum astare significant.* Post hęc Deus ad Moysen inquit: Et cognoscar tibi illic: et loquar tibi super propitiatorium in medio duorum Cherubin existentium super arcam testimonij.* Atq; erat quidem, vt dixi, arca Christus, velut in incorruptibili corpore Deus verbum. Præterea in terra arca. Demisit enim, atq; humiliauit se Vnigenitus vt vnus nostrū. Formam enim seruilem subijt, et inaniuit seipsum. Ipse verò rursus est propitiatorium in alto positum, et supernarū potestatum satellitio septū. Neq; enim solis exinanitionis modis nobis innotuit Filius, sed etiam ex ijs, per quæ Deus est, et vniuersorum dominus. Tametsi enim humiliauit se ipsum per humanitatem, in nostra specie œconomicè descendens, *tamen Deus ipsum superexaltauit, et dedit ei nomen, quod est super omne nomen.* Typus autem huius rei fuerit altare in alto positū, et Cherubin à dextris, et sinistris illum stipantes. Vbi enim soli Deo conueniens ministerium

Arca ex lignis imputribilibus, typus Christi.

Velū ante arcam extēsum typus Christi.

1. Ioan. 2.

Rom. 3.

Cherubim in circuitu propitiatorij, qd significent.

Christus Deus, et homo.

Phil. 2.

Altare in medio Cherubim positū, quid significet.

sterium videtur, ibi etiam omnino deitatis gloriam esse iudicandum est, et dignitatis supereminentiam maiorem, quàm quæ verbis exprimi possit. Super Cherubin autem, cognoscar tibi, inquit, omnium Dominus: ineffabilem nimirum naturam non in creaturis quærendam esse præcipiens, sed omnino vltra omne id, quod creatũ est. Dei enim naturæ conuenientissimus locus est supra omne creatum. Quocirca hic supra Cherubin locus, etiã sensibiliter, in sancto tabernaculo tantum non diuinã nobis naturam significauit. Idcirco aureum altare in typum Christi factum, deponi iussit in cõspectu eius, qui supra Cherubin, oracula edebat: significãs per hoc nostra quodammodo in conspectu Dei, et in oculis Patri in Christo collocari. Cum enim auersus esset homo à Deo, quẽ offensum sibi habebat propter transgressionem, et peccatorum vim, constituit rursus in conspectu Patris, veluti in seipso, et primo Christus. *Præcursor enim pro nobis ascẽdit in cœlum, vt nunc appareret ante faciem Dei pro nobis:* quemadmodum nobis sapiẽs Paulus scribit. Qui enim existit semper cum proprio Patre, nunc apparere dicitur veluti in se ipso, ac primo, in conspectu Dei humana constituens, veteri illa auersione abolita. Ipse enim est pax nostra, iuxta scripturas. PAL. Reliquum igitur est, altare aureum, Christi rursus imaginem esse. CYR. Præter hæc autem thymiamã etiam ipse compositum, ac tenue intelligi potest. Ipse enim summus est sacerdos. Adolebit enim, inquit, Aaron incensum compositum tenue. Deus enim verbum existens caro factus est, compositusq;

Hominẽ a Deo auersum Christus in ipsius cõspectu cõstituit

Heb. 6.

Christus thymiama cõpositum, et tenue.

est nobis quodãmodo Emanuel in naturæ, et humanæ vnionem omni intellectu superiorem ineffabiliter in vnum adductam. Tenue autẽ est thymiama, quia crassitiem cultus legalis non habet. *Sacrificiũ enim, et oblationẽ noluisti. Holocaustomata pro peccato nõ postulasti. Corpus autem adaptasti mihi, inquit. Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuã.* Quænam autem sit voluntas Patris, ipse nobis in euangelijs testatum reliquit, dicens: *Quia descendi è cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui me misit, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in postremo die.* Obtulit enim seipsum pro nobis in odorem suauitatis; ideoq; vocatus est summus sacerdos. Ipse igitur est summus sacerdos, ipse thymiama cõpositum, ac tenue: quod et Paulus testatur, dicens: *Deo autem gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quoniam Christi bona fragrantia sumus Deo in his, qui salui fiunt, et in his, qui pereunt: his quidẽ odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam.* Inclamat autem etiam nobis: *Estote igitur imitatores Dei tanquam filij dilecti: et ambuletis in dilectione, quemadmodum et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ, ac victimam Deo in odorem bonæ fragrãtiæ.* Quin et ipsum adolendi tẽpus apertè præscribit: Omnia autẽ oportere ordine, ac modo fieri præcipiẽs: et per quę ad interiores cõtẽplationes bene affecti simus: Manè, inquit, et vespe

Thymiama, cur tenue.

Psal. 39.

Volũtas Patris, quæ fuit.

Ioan. 6.

Christus summus sacerdos

2. Cor. 2.

Ephes. 5.

Tempus adolendi thymiamatis.

vesperè accēsis, et instructis lucernis: per vesperè, et manè assiduitatem, perpetuitatemq; significans. Ante lucernas autem adoleri debere, hoc (vt arbitror) innuat, quod diuino lumine illustrati, tunc demum bonæ Christi fragrantiæ pleni futuri sumus: atque ita accedimus ad intellectum sensibilium tabernaculi bonorum, siue diuinorum donorum distributionis, quā dignis largitur Christus. Quocirca si quis nondum in luce per fidem est cōstitutus, planè spiritualis fragrantiæ expers est, ignarus adhuc mysterij Christi. *Nisi enim credideritis, neq; intelligetis,* inquit. Primus enim aditus est fides, ad intellectum deducens, et quodammodo ad diuinum lumen excipiendum mētem pandens. Thymiama autem assiduitatis appellat. Nullo enim tempore desinit bono odore fragrare in sancto tabernaculo, hoc est, in ecclesia. Vetat autem in vniuersum, super ipsum (manifestum autem est super altare Christi,) libationes, et oblationes fieri. Cessarunt enim in Christo ea, quæ Legis sunt, vmbræq; ad finem sunt perductæ. Hoc enim, vt arbitror, sunt libationes, et oblationes: vt et propheta testatur, dicens: *Sublatum est sacrificium, et libatio de domo Domini.* Posteaquam enim ostensa est adoratio, ac cultus in spiritu, et veritate: superuacaneæ, atq; irritæ effectæ sunt vmbræ: et quod in typis est, vanum atq; inutile omnino redditum. Noua enim creatura in Christo. Nam à gratia exciderunt, qui in Lege iustificati sunt, post veritatis demonstrationē. Non impones autem, inquit, super altare aliud thymiama. Neminē enim omnino aliū in Christo suscipiemus: neq; cuiquam existentium dicemus, Rabbi. Vnus enim noster est magister, ac præceptor: ipsiq; soli adhærebimus, dicentes: *Vnguentum effusum nomen tuum. Propter hoc adolescentulæ dilexerunt te, traxerūt te. Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Nonne hoc est, nō impones super illud aliud thymiama? Solius enim Christi bonus odor in ecclesia sufficiat rectè sentiētibus, alium odorem non desiderantibus, quemadmodum fortè miseri Iudæi. Compositum enim, ac tenue incensum, hoc est, Christum per arrogantiam suam cōtumelia afficientes, sanctæ huius, ac verè diuinæ fragrantiæ expertes manserunt: aliumq; ipsius loco suscipient, filium iniquitatis repugnantem Deo, ac reijciētem eum, eiusq; cultum: adeò vt ipse in templo Dei, iuxta scripturam sedeat, demonstrans seipsum, quod Deus esset: qui etiam diuinum tabernaculum contaminat, fumus existens alienus: atque, vt ita dicam, fœtor diabolicus. Erit enim ipsius, inquit, præsentia ex efficacia Satanæ. PAL. Intelligo quid velis. Apertus enim, ac clarus est sermo. CYR. Propitiari autem in altari thymiamatis Aarō iubet, semel quotannis, vngentem sanguine purgationis peccatorum cornuum capita. Sanctum enim sanctorum est. Atqui hoc ipsum Paulus tibi manifestum faciet dicens: *Christus factus pontifex futurorum bonorum, per maius, et perfectius tabernaculum non manufactum, hoc est, non huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinē ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta.* Quemadmodum

Thymiamata ante lucernas fieri, quid significet.

Fides magnū momentum habet ad intelligēdum.

Thymiamatis assiduitas, quid significet.

Libationes, et oblationes in altari tabernaculi fieri vetitū quid significet.

Ioel. 1.

Altari nō apponēdū aliud sacrificiū, quid significet.

Matt. 23.

Cant. 1.

Iudęi Antichristū pro Christo recipient.

Cornua altaris semel quotānis per Aarō vncta, quid significent.

Heb. 9.

dum enim ipse rursum alibi inquit: Rom.6. *Qui semel mortuus est, nō amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Qui enim mortuus est, peccato mortuus est semel, qui autē viuit, viuit Deo.* Ingreditur itaq; diuinus Aaron in sancta sanctorū semel quotannis, per sanguinem purgationis peccatorum. Atqui vide rursum in his Christum, proprio sanguine omnium salutis, ac vitæ propriam crucem madefacientem. Crucis enim typus sunt cornua, huc illuc instar manuum latè extēsa. Quocirca eum, qui semel mortuus est, Christum intellige. Sanctum verò sanctorum existentem, vt Deum. Verax enim est Ioannes dicēs: Ioan.1. *quod ex plenitudine eius omnes accepimus.* Christi enim particeps est vniuersa visibilis, atque inuisibilis creatura, angeliq; et archangeli, et quæ adhuc his superiora sunt, ipsiq; adeò Cherubin non alia ratione sancta sunt, præterquam per solum Christum in spiritu sancto. Ipse igitur est altare, ipse thymiama, et summus pontifex: ipse similiter sanguis purgationis peccatorum. PAL. Rectè ais. Cœterum quidnam sit sanguis purgationis peccatorum nondū satis assequor. CYR. Præfigurans nobis Lex purgationem per sanguinem et sanctum sacrificium, Christum, in quam, per quem etiā saluati sumus, ea, quæ nobis per peccatum inusta erat labe, abolita, ita alibi in Leuitico Leuit.4. ait: *Si autem omnis congregatio Israël ignorauerit, et latuerit verbum ab oculis congregationis, et facient vnum de omnibus mandatis Domini, quæ non oportet facere, et peccauerint, et cognitum fuerit illis peccatum, quod peccauerint in eo, et adducet congregatio vitulum ex bobus immaculatum pro peccato, et adducet illum ad ostia tabernaculi testimonij, et imponent seniores congregationis manus suas super caput vituli coram Domino. Et inducet princeps sacerdotum vnctus de sanguine vituli in tabernaculum testimonij, et tinget princeps sacerdotum digitum de sanguine vituli, et asperget septies corā Domino è regione veli sanctuarij: et de sanguine imponet sacerdos super cornua altaris thymiamatum cōpositionis, quod est coram Domino, quod est in tabernaculo testimonij:* de quibus aliâs latius à nobis dicetur. Vide autem veluti in vitulo rursum pro nobis mactatum Emanuel, et à peccato nos liberantem, atq; à supplicio ac pœna nos eximentem: et per maius, perfectiusq; tabernaculum euntem: non per vitulos, aut hircos, sed per propriū sanguinem, et morte semel degustata. Nam in excelso ligno latus hasta ictus, sanguinē, et aquā effudit. Typus autem sunt crucis, vt modo diximus, cornuū extremitates. PAL. Rectè ais. CYR. Cęterū nō sanguine solo purgari oportere figuratè Lex præcipit, verumetiam aqua sancta. Perfectissima enim est hæc ad purgationē via, iuxta mysteriū, quod est in Christo. PAL. Quo pacto verò, aut quanā ratione id ostēdit? CYR. Scriptū est enim, Exod.30. *quòd locutus est Dn̄s ad Moysen, dicens: Fac peluim ęneā, et basim illi æneam ad lauandū, et pones illam inter tabernaculum testimonij, et inter altare: et effundes in illam aquā, et lauabit Aaron, et filij eius ex ea manus suas, et pedes suos: quando ingredientur in tabernaculum testimonij lauabunt aqua, et non morientur:

Marginalia: Cornua altaris typus Christi. — Sāctum omne p Christū est sanctum. — Sanguis purgationis peccatorum quid sit. — Emanuel pro nobis mactatus. — Aqua sā cta æque ac sāguis purgationis expurgat.

vel

vel quando accesserint ad altare ad ministrandum, et offerendum holocausta Domino lauabūt manus, et pedes suos aqua, vt non moriantur. Et erit eis legitimū sempiternum ei, et generationibus eius post eū.* Quòd igitur per hoc gratia, quæ per sanctū baptismum confertur, significetur, minimè obscurum est. Baptizamur enim, nequaquā carnis depositionē lucrifacientes, sed mentis ac cordis sordes abstergentes, et peccatorum labes eluentes, eius, qui nos ad salutem vocat, beneficio, atq; benignitate. Iustificati enim sumus, non ex operibus Legis, secundum scripturas, sed ex fide IesuChristi. Animaduerte autem, quo pacto etiam secundum Legem sanctus existens Aaron, et qui cum ipso ad exequēda sacra cōstituti erāt, prius lauantur manus ac pedes aqua: atq; ita sacros labores aggrediuntur, et sancta sanctorum ingrediuntur ab omni metu vacui: manifestè, aperteq;, vt arbitror, significante Lege, et reipsa tantum non proclamāte, quòd profanus sit apud Deum etiam is, qui secundum Legem sanctus esse videtur, nisi abluatur aqua: et quòd virtus, ac vis cultus legalis non sit sufficiens ad purgationem. Abluuntur itaq; prius etiam ij, qui secundum Legem sunt sanctificati. Purgatur autē nequaquam id quod mundum est, sed quod sordidum, atq; impurum: quod et Christus ipse testatur, inquiens: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauentur: Est enim mundus.* Quin et sapiētissimus Paulus ita scribit: *Quòd impossibile sit, sanguinē taurorum, et hircorum tollere peccata.* Imperfecta igitur est Lex ad sanctificationem, nisi accedat, familiaritatem cum Deo desiderantibus, sacer baptismus. Idcirco etiam diuinus Ioānes hac gloriatione præcipuè ornatus, consciusq; summam totius virtutis esse, eò peruenire, vt baptizaretur, orabat Saluatorem, dicens: *Mihi opus est, vt baptizer abs te.* PAL. Rectè. CYR. Manuum autem, ac pedum ablutio, operis, atq; aditus quodammodo ad singulas res faciendas puritatem, et synceritatem significat. Id verò cùm à nobis præstitum fuerit, conceditur quidem ingredi in tabernaculum interius, et offerre Deo hostias spirituales: atq; loco thymiamatis, euangelicæ vitæ fragrantiam ei consecrare. Præcepit autem vtiliter ablui debere, sancta sanctorum ingredi volentes, etiam sacrorum operum ministros, ne moriantur. Periculosa enim, revera, damnosaq; res est, ad Deum prope accedere, nequaquā purgatos. Idcirco sapiens etiam Paulus nobis iubet, si mysticæ benedictionis participes fieri velimus, vt nos ipsos probemus, atq; ita accedamus. Quòd autem negligentia hac in re periculi plena sit, ostendit, dicens: *Idcirco multi in vobis infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Etenim si nos ipsos diiudicassemus, haud quaquam iudicati fuissemus. At cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.* PAL. Certū igitur est, sacrā peluim sacri baptismatis gratiā nobis præsignificasse. CYR. Ita est: neq; enim vllo modo dubitaueris. Atqui si cōstructionis ipsius modum intuearis, miraberis, vt arbitror, multò magis. Ita enim scriptum est de Beseleel eorum, quæ in tabernaculo erant, opifice. *Hic confecit labrum æneum, et basim eius æneam

Marginal notes: Lotio sacerdotū ante ingressum tabernaculi Baptismi figura est. — Sacerdotes Legis lauacro indigentes, significat Legem esse insufficientē ad salutē. — Ioan. 13. — Heb. 10. — Matth. 3 — Abluere manus, ac pedes quid significet. — Impuros ad Deū accedere periculosum. — 1. Cor. 11 — Labrum tabernaculi quo modo cōstructū. — Exod. 27

ex ſpeculis ieiunantium mulierum, quæ ieiunauerũt ad oſtia tabernaculi teſtimonij, in qua die cõſtruxit illud. Et fecit labrum, vt lauent ex eo Moyſes, et Aaron, et filij eius manus eorũ, et pedes ingredientium eorum in tabernaculum teſtimonij, qui quando accederent ad altare ad miniſtrandũ, lauabantur ex eo, quemadmodũ præcepit Dominus Moyſi.* PAL. Quidnam autem ſpecula hæc ſignificant? quænam etiam ſunt ieiunantes? CYRIL. Multa eorum, quæ facta ſunt, non apertè in ſacra ſcriptura explicãtur, obiter autem potius oſtendundur, quemadmodũ ferè et hoc, quod præ manibus habemus. Vbi enim, aut quænam ieiunarint erecto ſancto tabernaculo, Moyſes minimè locutus eſt. Quòd autem ita factum ſit, dubium nõ eſt. Sed his omiſsis, illud, ſi ita videtur, aggrediamur. PAL. Quidnam? CYR. Mulieres ieiunantes cuiusnam rei typus ſint? Quid autem ex ſpeculis labrum æneum confectum eſſe? PAL. Atqui tuum eſt, hoc declarare. CYR. Audi igitur. Iſraelitæ idolis ſeruierunt, ſeruitutem ſub Aegyptijs tolerantes, et eorum leges per multos annos obſeruarunt. Mos igitur Aegyptiorum fuit, ac præcipuè mulierum, ad templa conuenire linea veſte indutas, ſpeculum ſiniſtra, ſiſtrum dextra rite geſtantes: quæ præ alijs maximè ſelectæ, et ſacrorum rituum obſeruantes, vix eiuſmodi honore dignabantur, aut potius contumelia, (ita enim melius, ac verius appellari poteſt.) Mulieres igitur ex ſanguine Iſraël reliquias cultus Aegyptiaci in priuatis ſuis ſuppellectilibus inuentas: (hæc inquam ſpecula,) contulerunt in oblationẽ, quæ

Labrũ tabernaculi ex ſpeculis mulierũ ieiunantiũ factũ quid ſignificet.

Sacræ literę multa oſtendunt potius obiter, quã explicãt.

Aegyptiarũ mulierũ ritus

etiam in labrum conuerſa ſunt. Erecto autem tabernaculo, ieiunarunt hę mulieres aſsidẽtes foribus tabernaculi, puram vitam agentes: ſignificante, vt arbitror, hac re, quòd oſtenſo veriore tabernaculo, hoc eſt, eccleſia, quam extruxit Dominus, et non homo, quemadmodùm beatus Paulus ſcribit, tempus iam erat, vt quæ in gloriam turbæ dæmoniorum dedicabantur, in ſacra vaſa transformarentur. queq; apta eſſent ad receptionem ſancti baptiſmi, vtq; gloriatione longè maiori quàm quæ ſecundum Legem eſt, excellerent. Hoc enim, mea quidem ſentẽtia, ſignificat, ex Gręcanicis ſpeculis, ſiue theſauris diabolicis, labrum æneum confectum eſſe: in quo quidem etiam aqua ipſum quoq; Moyſen expurgans, et ſacerdotio legali vtiles ad ablutionem, (manifeſtũ autem quòd ſpiritualem.) An non vaſa diaboli eſſe eos, qui errant, quiq; dæmonibus ſeruiunt, tu ipſe iudicaris ô Palladi? PAL. Omnino. CYR. Ieiunauerũt autem mulieres ad oſtia tabernaculi ſancti. Fuerit verò hoc ipſum pulchra, ac ſapiens figura, quod non per ſanguinem ingrediuntur in eccleſias ij, qui in Chriſto iuſtificati ſunt: ſed potius ſpiritualibus ſacrificijs ornati, et veluti oblationem quandam offerentes Deo, continentiam, ac tanquam mortificationem carnis. *Exhibete enim, inquit, corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam bene placentem Deo, rationalem cultũ veſtrum.* Et rurſum:* Glorificate Deũ in corporibus veſtris.* Mulieres igitur ieiunãtes, erecto ſancto tabernaculo, ſunt typus animarum, quæ nõ amplius præceptis Moſaicis ducuntur: quin potius ſpiritualem, et euangelicam

Idololatræ vaſa diaboli.

Rom. 12

1. Cor. 6.

cam vitam præ se ferunt, et terrenas voluptates non absq; sudore proculcant, pulchreq; ad immortalem pulchritudinem sunt reformati: quòd ab execrandis, prophanisq; carnis desiderijs vinci se passi non sint. An non ita nobis vita instituenda est, qui in Christo ad sanctificationem, et spiritualem vitā vocati sumus? PAL. Omnino. CYR. Sed hæc quidem in præsentiarum de vasis sacris dicta sint. Age verò, tabernaculi ipsius dispositionem, structuramq; consideremus. Et ardua quidem res est, nostrisq; viribus superior. Nihil autem planè ob fuerit vndequaq; corradere, quod nobis ex vsu fiet, et ea quæ longè vltra nos posita sunt, quoad possumus, aggredi. PAL. Rectè ais. CYR. Si quis igitur velit minutius inuestigare, longus, ac multiplex de singulis sermo haberi possit. Sciendū autē est, quòd quædam vasa contēplationem, rationemq; mysticā in se habēt: quædam verò ad ornatū, atq; vsum arcæ sunt facta. Pręscindēs itaq;, quoad eius fieri poterit, sermonis longitudinē, paucis dicam, explicationēq; cōtraham.

Taberna culi structura et ornatus, quid significēt.

Exod. 36

Inquit igitur: *Facies tabernaculo decem cortinas ex bysso retorta, et hyacintho, et purpura, et coccino retorta opus textile Cherubin, facies illas. Lōgitudo cortinæ vnius octo et viginti cubitorū, et latitudo quatuor cubitorum cortina vna est. Hęc erit mēsura omnium cortinarū. Quinq; autem erunt cortinæ ex inuicem cōtinentes alia ex alia, et quinq; cortinæ erūt cōtinentes altera alteri. Decē igitur cortinæ, et inter se firmiter coaptatæ. *Multæ enim māsiones sunt Deo Patri: et eorū, qui eas inhabitāt, vna omnino est, et sancta intentio. Vna autē est de Deo cognitio. *In pace enim vocauit nos Deus, * sicut scriptū est. Decem autē cortinas, si videtur, esse existima plenitudinem ecclesiarū in mūdo, minimè dispersarum in dissensionem, aut opinionen discordantiā, sed vnitarū in spiritu, ac veluti constrictarum in vnum secundum vnitatem in Christo per fidem: vbiq; enim, et in omnibus, *vnus Christus, vna fides, vnū Baptisma.* Latitudo autē vniuscuiusq; cortinæ, quatuor cubiti: longitudo verò octo et viginti. Ac curiosa quidem, et subtilis est figura. Cœterū putem illam hoc obscurè subindicare, quod disciplina Legis aliquomodo acceptabilis in ecclesia. Angustissima enim existēs propter obscuritatem literæ, procedente in longitudinem tēpore finem habitura sit, post mysterium de Christo, hoc est octauā, siue in octaua factā resurrectionē.* Finis enim Legis, ac prophetarū Christus:* ad quem etiā diuinus Dauid exclamauit: *Latum mandatū tuum nimis.* Quin et Paulus cultum legalem fidei in Christum præferentibus: *Os nostrū apertū est, inquit, aduersum vos Corinthij, cor nostrū dilatatū est. Nō estis angusti in nobis, sed angusti estis in visceribus nostris. Eandem autem remunerationē vt filijs polliceor. Dilatemini et vos, ne ducatis iugū cum incredulis.* Vides, quòd adhærere velle incredulis Iudæis, et adhuc quæ in Lege sunt loquētibus post fidem acceptā, in angustū contrahi viscera faciat? PAL. Intelligo. CYR. Velū autem cortinarum ex bysso retorta, et hyacintho, et purpura, et coccino retorta. Varius enim, ac multiplex est ecclesiæ ornatus: quod et diuinus Dauit psallit, sic de ipsa alibi inquiens: *Astitit

Cortinæ tabernāculi quid significent.

Vnitas spiritus et fidei in Christo.

Ephes. 4.

Cortinarū angustiæ, quid significent.

Psal. 118.

2. Cor. 6.

Byssus, purpura et hyacinthus, quid significet.

Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata, variegata.* Ornatus autē, et pulchritudo in ipſa, multiplex Chriſtus: vnus quidem ſecundū naturam exiſtēs: figuris autē multis, ac diuerſis intellectus, quēadmodum byſſus retorta. Subtile enim, atq; incorporeū exiſtens ſecundum naturā, Verbum ex Deo Patre, cōtextus quodāmodo eſt per cōiunctionem cū carne. Idcirco byſſus retorta, et veluti hyacinthus, quia non ex terra, ſed ſupernè, atq; ex cœlo. Hyacinto enī ferè cōparatur, quod altū, ac ſublime eſt, et ęthereum corpus: quodq; etiā ad ipſum firmamentum pertingit. Tanquā hyacinthus igitur, quia nō ex terra. Purpura autē, quòd nō ſit ſeruus, vt genitus: ſed ex Deo rex, et vniuerſorū Dn̄s. Coccinus autē retortus. nam in coniunctione, vt dixi, ad carnē intellectū, et reuera exiſtēs Dei verbum, propriū ſanguinē dedit pro nobis. Sanguinis enim ſignū eſt coccinus. Cherubin verò ex pellibus facti, rerum humanarū, et diuinarum cōiunctionem ſignificant: poteſtatibusq; cœleſtibus eccleſiā in terris vnitā eſſe pulcherrimè oſtēdit. Sciendū autē eſt, quod ſapiētiſsimus Solomō muris tēpli, cherubin inſculpſerit. Eādē etiā ratione facta eſt deſcriptio domus ſignificatę per vocē Ezechielis. Tegmina autē cortinarū pellicea vinculis, et annulis conſtricta. Atqui tegmina, pelles hyacinthina, et pelles arietū rubro colore tinctæ, Chriſtū eccleſię protectorē ſignificant: Per hyacinthū quidem, quòd ex cęlo, et ſupernè: Per rubrū autē colorem, quòd in carne factus ſit. Eſt enim fermè eiuſcemodi carnis color. PAL. Non abs re horū

Cherubin ex pellibus facti, qd ſignificent.

contēplationem factā cenſeo. CYR. Colūnæ autē cortinarum ſunt latitudinis vnius cubiti, et dimidij: lōgitudinis autē decem: habentes capita, et corpora deaurata, baſibus autem duplicibus, et argēteis innixæ. Intelligitur verò rurſus in vnaquaq; colūna Chriſtus eccleſiæ columen, ac ſuſtētaculum veritatis, iuxta Pauli vocē. Cōſtituit autē, et continens ipſe omnia. Per vnum quidē, et dimidiū cubitū veluti perfectus ſecundū naturā Deitatis: minor autē tanquā in humanitatis mēſuris obliquè ſubindicatur. Neque abſurdum fuerit dicere, quòd omnino quidem perfectus, veluti in integro cubito Chriſtus: quādoquidē Deus eſt ſecūdum naturā. At verò tanquā in medietate cubiti, cōtextus per humanitatē. Nihil enī in creatis perfectū. Diues autē cum eſſet pauper verſatus eſt apud nos: et demiſit ſeipſū ad inanitionē Vnigenitus. PAL. Ita eſt. CYR. Quocirca nequaquā par fuerit Deitatis excellētiæ, humanitas. Multum enim interfuerit. Idcirco cum apud nos eſſet, dixit: *Pater meus maior me eſt,* etiam ſi ſecūdum naturam Deitatis ſit æqualis: et Patris eminentia minimè inferior. Longitudo autē colūnę decem cubitorū. Perfectus enim omnino in ſublimitate Deitatis, Chriſtus. Perfectionem autē in ſacris literis Decenarius numerus ſignificat. Quin et aureum colūnæ caput eſt, et corpus aureum. Supremę ſiquidē naturæ inhabitatione, ditatum eſt tēplum ex virgine. Deitatis autē ſymbolum eſt aurum, dignitate præ reliquis pollens, quātum ad metalli rationem attinet. Ex argento verò, et ex vtriſq; eſt baſis. Splēdidus enim,


Colūnæ cortinarū, typus Chriſti.

Ioan. 14.

Decenarius numerꝰ perfectionē ſignificat.

atq; illuſtris eſt in terra Chriſtus, iu
Pſal.117. xta illud: *Dominus Deus et illuxit
nobis.* Et quodámodo duplicem in
tellectum habet. Intelligitur enim in
ipſo Deus, et homo. Hoc enim, mea
quidē ſententia, ſignificat, duplicem
† Ex ęre, Fortè de eſt. quaſi habere †, et ex argento baſim.
PAL. Rectè aſſeris. CYR. Cū enim
vniuerſum tabernaculum in decem
cortinas extendi iuſsiſſet, ſubijcit:
Exo. 26. *Et facies ſaga ſilicina, cooperimen-
tūſuper tabernaculo: vndecim ſaga
facies ea. Longitudo ſagi vnius erit
triginta cubitorum, et quatuor cu-
bitorū latitudo ſagi vnius:: Menſura
eadē erit vndecim ſagis: et cōiunges
quinq; ſaga ſimul, et ſex ſaga ſimul,
et duplicabis ſagum ſextū ante faciē
tabernaculi: et facies anſulas quin-
quaginta in labio ſagi coniungenti
Cortinę tabernaculi decem: Pelles autē tegentes vndecim quid ſignificēt. ſecundi.* Quid hoc, Palladi? Decem
enim cortinas erigit. Deinde quo pa
cto nō ſaga illis numero reſpōdent?
Vna enim ſupereſt, hoc eſt, vndeci-
ma. Coniunge enim, inquit, quinq;
ſaga ſimul, et ſex ſaga ſimul. PAL.
Non habeo quod dicam. CYR. At-
qui diſpoſitio ipſa quæſtionem ex-
plicabit. PAL. Quo pacto? CYR.
Quinq; enim cortinas inter ſe inui-

Vndecima cortina.



cem coniunctas fieri oportere ait: a-
lias autē quinq; eâdem figura, atque
eodem modo contra poſitas. Erectis
igitur ex aduerſo atq; oppoſito inter
ſe veluti ex Aquilone fortaſſe, et No
to: ſiue ex Oriente, et Occidente, vn
decimū quoddā per mediū latus reli
quum fit, viciſsim cōſtituens decem
diuiſas in duo: in qua etiā vndecima
pellis circuntenſa eſt: anulis, et anſu-
lis vtraq; latera continens. Similes
autem alijs etiam huius colūnæ, mi
nores autem numero. Decem enim
cortinæ, vt modò dixo, in longitudi-
nem viginti octo cubitorū extende-
bātur. Vndecima verò, ac inter alias
media tantā longitudinem habens,
quanta eſt latitudo quinq;, quæ qua
tuor cubitis conſtāt, in menſuram vi
ginti cubitorum extenditur. Idcirco
inquit: Et duplicabis pellem ſextam
ante faciem tabernaculi, ne quod ſu-
perfluè extenſum cortinæ pulchri-
tudinē deſtrueret. In hac igitur cor-
tina media inter alias, et veluti vn-
decima, ſacra, ac diuina vaſa poſita
erant, variè in ſeipſis Emanuelem fi
gurantia. Numero etiā fortaſsis hoc
ſignificante, quòd in extremis ſeculi
temporibus, et tanquam hora vnde
cima Chriſtus apparebit, tabernacu
lumq; Chriſtum continens, hoc eſt,
eccleſia. PAL. Nihil abſurdi, vt vide
tur, fuerit cogitare, hunc etiam hac
de re ſermonē rectè ſe habere. CY.
Poſt hos autem de tabernaculo ſer-
mones, ac typos: *Et facies, inquit, Exo.27.
atrium tabernaculo, ad latus quod
ad Auſtrum, vela atrij ex byſſo retor
ta. Longitudinem centū cubitorum
vni lateri, et colūnæ earum viginti:
et baſes eorum viginti æneæ, et fibu
læ eorū, et forcipes earum argēteæ.
Sic

Sic lateri, quod ad Aquilonem, vela centum cubitorum longitudo, et columnæ earum viginti, et basis earum viginti æneæ: et fibulæ eorum, et forcipes columnarum, et bases deargentatæ argẽto. At latitudo atrij, quoad mare, vela quinquaginta cubitorum. Columnæ eorum decem, et bases earum decem.

Cortina rũ latitudo, quid significet.

*Vide igitur, quod angustæ quidem primæ cortinæ fuerũt, et ad tertiam cubitorum decadem pertingentes. Latitudo enim earum, quatuor: longitudo autem viginti octo. Quæ verò eas subsequutæ sunt, lõgæ latæq;. Centum enim supra centum, et quinquaginta supra quinquaginta, extensæq;: hæc quidẽ in Ortum: hæc autem in Occasum. PAL. Quid autẽ hæc figura sibi vult? CYR. An non hoc manifestè est, Palladi, quod olim annunciatum est per vocem Esaiæ, Ecclesiæ vltimis temporibus futuræ?

Esa. 54.

*Dilata locum tabernaculi tui, et pelles tabernaculorum tuorum fige. Ne parcas, protẽde funiculos tuos, et clauos corrobora adhuc in dextris, et sinistris dilata.

Dilatatio ecclesiæ Christi.

*Angusta enim initio ecclesia Christi; postea in Ortum, et Occasum, in Aquilonem, et Notum dilatata est, et per omnem locum peruasit. PAL. Verè. CYR. Animaduerte autem, quod reliquas quidem columnas decem cortinarum, et mediæ deaurari oportere dicat, et duplicibus vasibus cõstabiliri, ex argento factis, et quæ sit huius rei ratio dictum est, vt arbitror. Longarum autem, et amplatum cortinarum columnas alia ratione distinguit. Argento enim à capite ad pedes ornati debere, inquit. Basibus autem rursus firmati æneis, et deargẽtatis. Typus verò etiam huius fuerit Christus: quod quidem instar luminis splenduerit: quod spiritualibus nimirum radijs fulgent, vt Deus, argento significante: quod autem splẽdidum, ac sonorum in terris sermonem ediderit, hoc est, prædicationem euangelicam, ære deargentato obliquè nobis innuente.

Argentũ claritatẽ significat.

Aes sonitũ significat.

Sonorum enim est æs. Splendida autem, atque lucida argenti materia: quod quidem euangelicæ prædicationi propriũ est. Videre enim est Saluatoris sermonẽ, habẽtem quidem summæ pietati perspicuitatem, puritatemq; coniunctã: vniuersum autem orbem terrarum personantem. Porrò si quis velit sanctos etiam apostolos, et euangelistas per has columnas persignificari, nequaquam errauerit.

Columnæ cortinarũ tabernaculi typus apostolorũ, et euãgelistarũ.

Sunt enim reuera veluti columnæ quædam deargentatæ, eò quòd participes sint Christi illuminantis. Idcirco inquit: Et erit splẽdor Domini Dei vestri super vos. Vocantur autem etiam lux mundi.

Apostoli lux mũdi.

Ære autem deargentato, nonne etiã ipsi insistunt? Basis enim, ac sustentaculum ipsis est, splendido, ac sonoro sermone vti.

Psal. 67.

*Dominus enim, inquit, dabit euangelizantibus sermonem potentiæ multæ.

Rom. 10.

Pulchri autẽ etiam pedes euãgelizantium bona, sicut scriptum est. PAL. Altus quidẽ sermo, cœterum veritati proximus. CYR. Absolutis autem præceptis, quæ ad cortinas pertinent, ad olei, et vnguenti, et thymiamatum cõfectionem procedit, ita dicẽs:

Exod. 27.

*Et tu præcipe filijs Israël, et accipiant tibi oleum ex oliuis defecatum, purum, contusum in lumen, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij, extra velum quod super testamento, et incendet illud Aaron, et filij eius à vespera vsq; ad manè coram Domino;

legitimum æternum in generationes
vestras à filijs Israël.* PAL. Atqui

Oleū ex oliuis in tabernaculo incēdi iussū, quid significet.

quidnam hoc est? CYR. Vtilissimam
in se significationem habet, et figu-
ram esse censeo sapientiæ plenam:
Septem enim lucernis ardētibus sem
per, et lucētibus in sancto tabernacu-
lo, illuminatio per Christum compa
randa est: qui sufficiens est ad illustrā
dum, accendendum, et replendum

Septenarius numerus, pfectionē significat.

1.2.Reg.

credentium mentem. Septenarius e-
nim numerus perfectionem omnino
significat, quemadmodum cùm dici
tur: *Quia sterilis peperit septem,*
hoc est, quamplurima oportuit esse
ad sufficientiam. Incendunt autem
lucernas Aaron, et reliqui ab ipso sa-

Ignis pperuus in tēplo, significat tam Christi illuminationem, quā sanctorū doctrinā.

cerdotes. Inextinguibilis enim quo-
dammodo in ecclesijs seruatur illumi
natio per Christum, eorum, qui sacer
dotio funguntur, moderatione, qui in
structionibus ad rectitudinem credē
tium mentem illustrant. Hoc enim,
vt arbitror, est, ardere lucernas à ve-
spere manè vsq;. Tenebras autem es-
se censeo errorem ex diabolo, ac velu

Tenebrę significāt errorē hæreticorū, et deceptionem diaboli.

ti spiritualem quandam noctem, quę
hominum animis offunditur: impio-
rum nimirum hæreticorum obscu-
ras, et caliginosas fabulas. Perpetuū
igitur, et nunquam desinens Saluato-
ris lumen in ecclesijs cernatur, inter-
pretantibus rectè diuina, euāgelicaq;
præconia earum magistris. Purum
autem est oleum. Omni enim fece, ac
sorde in vniuersum liber est rectus ac
verus, et mali mistione carens de diui
nis dogmatibus sermo, qui semper
Saluatoris illuminationē excitat, nō
ipse ex se quidquam ad splendorem
Christo adijciens: (Absurdum enim
vehementer fuerit cogitare illum ho
mine indigere:) sed quia lumen verū,
et splendor Patris existens Christus,
rectis magistrorum sermonibus, id
quod revera est, credentiū mentibus
apparet. PAL. Cur autem oleum ex
oliuis esse ait? Sermonis enim subtili-
tas vtilem fortasse aliquam contem-
plationem gignat. CYR. Optimè sen
tis. Et quod in mentem venerit, dicā.
Non ex oliuis solis, Palladi, oleum cō
ficere mos est eius artis peritis, verū
etiam ex alijs spurijs, terrestribusq; se

Oleū ex oliuis, typus syncerae doctrinæ.

minibus. Cœterum quod revera per
fectum est, ex optimis oliuis fit. Ficti-
tium autem, labore, atq; arte inuen-
tum, minimeq; syncerum, quod ex
terrestribus est seminibus. Syncero
igitur, ac vero sermoni, et per sapien-
tiam supernam ijs, qui digni eo sunt,
suppeditatus, oleum ex oliuis optimè
comparatur. Qui verò ab humano in
tellectu, et diabolica inspiratione pro
ficiscitur, quorundā arte, ac fraude in
uentus, neq; syncerum habens vsum:
inutilis, ac reiectitius est huiusmodi
sermo, neq; quidquam confert ad illu
minationē cognitionis Christi. Idcir
co non admittitur in ecclesias, neque
odore Spiritus sancti præditus est,

1.Cor.12

(*Nemo enim dicit, Dn̄s Iesus, nisi in
Spiritu sancto,*) neq; synceram veri-
tatē, vtilitatēq; in se habet. Animad-

Oleū a filijs Israël afferri iussum, quid significet.

uerte autē, quòd à filijs Israël afferri
debere oleum Lex præcipiat. Nam, vt
modo dixi, fructus erit ex nobis, et
oblatio spiritualis Deo, verus sermo,
Christi illuminationem infirmari nō
sinens in ijs, qui sacræ disciplinæ ini-

Lucernę extra tentorium, quid spiritualiter significet.

tiati sunt: Extra tentorium autē lucer
næ ponuntur, et ardent. Lumen enim
existens secundū naturam Christus,
nō indiget lumine: sed nobis ipsis ex-
tra diuinitatē, vtpote creatis propriū
suū lumen immittit. PAL. Rectè ais.

CYR.

Exod. 30

CYR. Deinde inquit: *Et locutus est Dominus ad Moysen: Et tu accipe aromata, florem myrrhæ electæ quingentos siclos, et cinamomi odoriferi dimidium huius ducētos et quinquaginta siclos, et calami odoriferi ducētos quinquaginta, et casiæ quingētos siclos, et oleum ex oliuis vnum, et facies illud oleum Chrismatis sanctū, vnguentum vnguentarij, artificium vnguentarij. Oleum Chrisma sanctū erit. Et vnges ex eo tabernaculum testimonij, et arcam testimonij, et omnia vasa eius: et lucernā, et vasa eius: et altare thymiamatis, et altare holocaustorum, et omnia vasa eius: et mēsuram, et omnia vasa eius, et peluim, et basim eius: et sanctificabis ea, et erunt sancta sanctorum. Omnis tangens illa sanctificabitur. Et Aaron, ac filios eius vnges, et sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Et filijs Israel loqueris, dicens: Oleum vnguētum vnctionis sanctū erit, hoc vobis in generationes vestras, in carnem hominis non vngetur, et iuxta compositionem hanc non facietis vobis ipsis eodem modo. Sanctū est, et sanctificatio erit vobis. Quicunq; fecerit eodē modo, et qui dederit ex eo alienigenę, exterminabitur ex populo suo.* Ac de cōpositione quidem, et inęqualitate ponderum specierū, quæ nominatæ sunt, nihil est, quod dicā. Amica enim est veritas ijs, qui rectè sentire consueuerunt. Oleum autem vnguētis mistum, significent quidem, vt arbitror, sanctificationē in Christo per fidē ijs, qui misericordia dignati sunt, suppeditatam. Vngitur autem tabernaculum, et omnia, quę in eo sunt. Fit enim particeps sanctificationis etiam locus, per eum, qui ipsum inhabitat.

Oleum Chrisma tis.

Oleū vnguentis immistū quid significet.

Tabernaculū oleo Chrismatis vnctū quid significet.

Sanctificantur autem vasa etiam, modo ipsis conueniente, quia diuino ministerio seruiunt. Et qui attigerit ea, sanctificabitur. Intacta igitur profanis sancta, et sacra esse oportet. Quæ enim societas est luci cum tenebris? vt scriptum est. Vetat autē omnino, ne sibi ipsis huiusmodi oleū conficiāt: Solius enim Dei proprium est sanctificare. Et tanquam eximia quædam, ac singularis res, ipsi verò tribuetur. Natura verò facta, et creata, quonam pacto alios sanctificare possit? Vix enim ex participatione superna sanctificationem consequitur. Conuenit autem ipsi per sanctorum vocem inclamare, Quid habes, quod non acceperis? Ioannes enim de vnigenito ita inquit, quòd *ex plenitudine eius omnes accepimus.* Et non ad mēsuram dat spiritum:* quin potius fons sanctificationis existens, Spiritū dignis impertit, rationalemq; creaturam sanctificat. In carnem autē hominis non vngetur, inquit: cum tamen præcepisset, Aaron aliosq; cum eo sacerdotes eo vngi debere. Supra hominem igitur est genus sacerdotale, quemadmodum et Christi participem esse, supra creaturam est. Idcirco nos ad dignitatem supra naturam extollens, ac quodāmodo à terrenis præscindens, ad superna, cœlestiaq; vocat. *Patrē enim vestrum non vocabitis in terra. Vnus enim omnium vestrū pater est in cœlis: Omnes autem vos fratres estis.* Capitale autem supplicium proponit ijs, qui ex oleo alienigenis dederit. *Ne detis enim, inquit, sancta canibus, neq; proijciatis gemmas vestras porcis.* Incredulis enim adhuc proponere ea, quæ occulta, solisq; sanctis conuenientia sunt, periculi plenum est.

Oleum Chrisma tis vetitū ne sibi ipsis faciāt quid significet.

Dei solius est sanctificare.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Caro hominis vngi Chrismatis oleo vetita, cū tamē Aarō vngi iubet Lex.

Matt. 23.

Matth. 8

Hominibus incredulis cōmunicare sacra periculosū.

est. Neque enim sanctificatur, quod profanum adhuc est, et absurda impuritate laborat: sed quod iam mundatum est per sacrum baptismum. PAL. Verè. CYR. Eodem autē modo, ac ratione thymiamatis confectionem præscripsit, dicens: *Et accipies tibi ipsi aromata, stacten, Onychē, et galbanum boni odoris, et thus lucidissimum: æquale æquali erit: et facient illud thymiama vnguentariū opus, vnguentarij mistum, purum opus sanctum. Et conteres ex his subtile, et pones coram testimonio in tabernaculo testimonij, vnde cognoscar tibi illic. Sanctum sanctorū erit vobis thymiama. Iuxta compositionem hanc nō facietis vobis ipsis. Sanctificatio erit vobis Domino, quicunque fecerit eodem modo, vt olfaciat in eo, peribit de populo suo.* Significat nobis rursum hic sermo, quòd eorum quæ supremæ omnium naturæ propria peculiariaq; sunt, nulla planè creaturarum essentialiter particeps est. Nihil verò omnino commune est creaturæ cum creatore, et Domino, quantum ad dignitatis rationem, et honoris sublimitatem attinet. Reuocemus autem in memoriā etiam altare aureum, ipsumq; compositum, ac tenue thymiama Christum vocatum, ipsumq; nobis Emanuelem per vtraque significari. Relato igitur in Christum thymiamate, (incomparabili enim odoris suauitate fragrat,) non faciemus nobis ipsis aliud thymiama. Alium enim præter ipsum neminem recipiemus (quēadmodum ferè miseri Iudæi, filium iniquitatis. Sibi ipsis enim huiusmodi conficientes deprehenduntur:) iuxta illud bene olens, et eximium re

Exod. 30

vera thymiama Dei, et Patris, qui quidem nobis odorem cognitionis ipsius in Filio manifestauit, per quem etiam nos bonus odor sumus, non nobis ipsis conficientes thymiama tenue: sed vt participes thymiamatis, et Spiritus gratia delibuti, ac per vitam in Christo ad gloriam contendentes. PAL. Per omnia igitur, vt videtur, quę in sancto tabernaculo sunt Saluatoris mysterium nobis præfigurantur. CYRIL. Præter hæc autem mireris, si intelligas, quòd ipsi etiam sancti tabernaculi architecti Christū significant vt in seipsis. PAL. Quonam modo inquis? Neque enim id assequor. CYRIL. Scriptum enim est rursum: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri filij Hur tribus Iuda: et impleui eum spiritu diuino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ in omni opere ad excogitandum, et fabricandum, ad operandum aurum, et argentum, et æs, et hyacinthum, et purpuram, et coccinum filatum, et byssum retortam, et ad lapidaria opera, et ad fabrilia lignorum operari secundum omnia opera. Et ego dedi ipsi, et Eliab filium Archisamec de tribu Dan. Et omni erudito cordi dedi intellectum. Et facient omnia, quæ præcepi tibi.* Vides igitur, quo pacto operibus præficitur Beseleel, Eliab autem operatur? PAL. Porrò quidnam hoc sibi vult? CYRIL. Ausculta. Iudas, et Dan, ambo quidem erant ex Iacob. Sed hic quidem ex libera Lia, ille autem ex serua Bala. Typus itaq; manifestus nobis est Beseleel Christi, nobis ex tribu Iuda secundum carnem ostensi, et ex natura verè libera, manifestum

Architecti tabernaculi, etiā Christū præfigurant.

Exod. 31

Beseleel operibus tabernaculi præfectus, typus Christi. Eliab autē operans, typus apostolorū, et euāgelistarū.

ſtum autem quòd diuina, ac ſuprema. Eliab autem ſignificauerit apoſtolos, et euangeliſtas, veluti ex ſerua Ieruſalem, Deo cooperantes. Dei enim laborantis tantumnon et ædificantis cooperatores facti ſunt ad conſtitutionem, erectionemq; eccleſiarum. Contulerunt etiam operas ſuas priuatas ad tabernaculi extructionem omnes erudito corde, figuram eorum, qui ſecundum tempora futuri erant magiſtri, quibus curæ eſt operari, quæ Dei ſunt, atque omnia, quæ ad eccleſiæ vtilitatem pertinent.

Explicit liber nonus.

D. CY-

De adoratione, et cultu,

D. CYRILLI, ARCHIEPIscopi Alexandrini, de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber decimus

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

De ijs, quæ in sancto tabernaculo sunt.

CYRILLVS.

Manifestus itaque, Palladi, et sufficiẽs nobis de sancto tabernaculo, atq; ijs, quæ in eo sunt, sermo habitus est. PAL. Manifestus certè: sufficiẽs nõ item. CYR. Visne igitur, vt ea rursum alacriter aggrediamur, quæ ad eius declaratione desiderari videtur? Cẽses enim, vt verisimile quidẽ est, vltra explicari debere, quanam ratione id erectũ sit, quando autẽ, et quo modo in ea reposita fuerint, instituta, et leges, dedicationesq;, et sanctificatio, ac iudiciũ. PAL. Dic igitur de singulis rursum. Rectè enim sentis. CYR. Dicã. Tuum verò fuerit ignoscere (ingẽti rei propositæ difficultate animaduersa) si quid fortè minus exquisitũ attulerim: et si quid parũ aptũ videtur, refinge, atq; immuta. Te enim adiutorem meorũ operum statuo. PA. Aggredere, Deo fretus. CYR. Absolutis itaq; sancti tabernaculi operibus, singulisq;, quæ in ipsa sunt, sapiẽter, artificioseq; perfectis: et ad eã, quę in mõte pręscripta erat, pulchritudinẽ perductis, locutus est Dñs ad Moysen, dicens: *In die vna mẽsis primi, prima die mẽsis, eriges tabernaculum testimonij. Et paulo post rursum. Et factũ est, inquit, in mẽse primo, secũdo anno egressorũ eorum èx Aegypto, prima die mensis, erectum est tabernaculum.* Erectum igitur est vetus tabernaculum ex præscripto Dei, Ecclesiæ in Christo intellectæ typos pulcherrimè in seipso præfigurãs. Inquiramus autẽ, si videtur, causam, cur à Moyse potius erectũ dicatur, nulla in præsentiarũ Iosue filij Num mẽtione facta, cum tamen is semper Moysi socius fuerit, vnaq; cum eo in mõtem Sina conscenderit, bellaueritq;, et aciem eduxerit aduersus Amalec per vocẽ Moyses. Inquit enim alibi ad eum: *Elige tibi viros potẽtes, et egressus cõgredere cũ Amalec cras. Et egressus confligit cum Amalec, et vicit.* Quænã igitur sit huius rei ratio, an non

Exo. 40.

Tabernaculũ, cur à solo Moyse erigi iussum.

Exo. 17.

non inuestigatione dignũ est? PAL. Omnino. CYR. Quocirca si quis de singulis, quę facta sunt, mysterij rationem diligenter examinare velit, obstupefactus dicet: *O altitudo diuitiarum, ac sapientiæ, et sciẽtiæ Dei.* Vide enim, quàm subtilis in singulis intellectus lateat. Moyse enim montẽ conscendente, ascendit vnà Iosue. Neque enim aliter patet accessus ad Patrem, nisi per Filium. Nam verax est qui dicit: *Nemo accedit ad Patrem, nisi per me.* In Christo igitur etiam ipsis sanctis est aditus: neminiq; integrum fuerit, veluti in montem conscẽdere, in sublimem quandam, atq; excelsam contemplationem, sed neq; quisquam prope Deum sisti potest, ratione nimirum coniunctionis in spiritu, et sanctificatione vitæ, nisi vnà cum ipso sit Emanuel: qui, quæ hominibus in accessa sunt, aditu facilia, planaq; faciat. Atq; hoc est, vt arbitror, quod per vocem Esaiæ dictũ est: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis reddetur humilis: et fient, quæ obliqua sunt, directa: atque aspera in vias planas.* In Christo enim nobis etiam ea, quæ ardua, atque accliuia sunt, plana fiunt: et peruium, quod asperum: facileq;, ac pronum, quod accessu difficillimum erat. Idẽ enim propheta alibi inquit: *Semita iustorum recta facta est: et præparata via iustorum.* Necessario itaq; vnà cum Moyse ascendit Iosue. Accessibilis enim est, vt dixi, Pater per Filium: ipseq; est mediator, coniungens nos per seipsum, et ad sublimitatem vltra naturam euehens. Egressus autem est cum selectis viris, vicitq; Amalec. Christus enim selectis sanctis, quorum primitię fuerunt discipuli, vicit

Rom. 11

Moyses montẽ ascendens cũ Iosuẽ quid significet.

Ioan. 14.

Esa. 40.

Esa. 26.

Discipuli Christi primitiæ sanctorum.

principem seculi huius. Moyses autẽ præcipiebat. Factus enim est sublex Filius, etiã si legislator esset, vt Deus. Et conflictus tempus, non fuit eo ipso die, quo Moyses sermones illos habuit, sed in crastinum, hoc est, in prorogationem alterius temporis. Prædixit enim Lex futura, et Saluatoris nostri facta pulcherrimè explicat, si spiritualiter intelligatur. Idcirco, vt ego quidem sentio, etiam sanctum tabernaculum erexit Moyses. Neq; enim inutilis est disciplina legalis ad constitutionem ecclesiæ. Instituit enim ac deducit ad Christum, qui est caput ecclesiæ, totaq; constitutio, columna, et sustentaculum veritatis, sicut scriptũ est. Idcirco Christus Iudæis inclamauit, dicẽs: *Si Moysi credidistis, mihi credidistis. De me enim ille scripsit.* Aedificat itaq; etiã Moyses, hoc est, disciplina legalis, ecclesiam Christi, mysteriũ nimirum eius veluti in vmbris adhuc præfigurans. Persona autem Moysis nonnunquam Legem ipsam, quæ per ipsum promulgata est, præ se fert, iuxta illud in euangelicis parabolis rectè dictum: *Moysen habent, et prophetas.* PAL. Rectè ais. CYRIL. Quid autem rursum significare voluerit, oportere in vno die, et quidem primo mensis primi, et in secundo anno sanctum tabernaculũ extrui, age dicamus, veritatem inuestigantes. Dies quidem vnus optatissimum nobis, ac salutare tempus significat, quo Vnigenitus homo factus morte propriæ carnis mortales Deo, ac Patri recuperauit. Vnum porrò est huius rei tempus. *Nam qui semel mortuus est, non amplius moritur. Mors ipsi non amplius dominatur,* iuxta scripturas.

Neq;

Moyses præcipiens Iosue quid significet.

Moyses nihil aliud scribit quã Christũ, si spiritualiter intelligatur.

1. Tim. 3

Ioan. 5.

Luc. 16.

Primo die mensis primi tabernaculũ erigi iussũ, quid significet.

Dies vna incarnatione et resurrectione significat.

Rom. 6.

Neq; enim expectandum fuerit, amplius pro nobis et spiritibus, qui in inferno sunt, moriturum Filium: neq; iterum primitias dormientium futurum. Nam cum mors futura non sit, quo pacto fiat resurrectio? Verè igitur dicere possumus, vnum, vt modò dixi, huius rei tempus esse, et diem vnum: cuius etiam propheta meminit dicēs, veluti ex persona Dei: *Tēpore acceptabili exaudiui te, et in die salutis auxiliatus sum tibi.* Quin et diuinus Paulus ita scribit: *Ecce nūc tempus acceptabile: Ecce nunc dies salutis:* in qua Christus à mortuis resurrexit, immiti mortis imperio dissoluto, quando etiam ex ecclesia gentium, veluti architectos quosdam, et spirituales artifices constituit, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ præcepi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cōsummationem seculi.* An non enim ita se habere ecclesiæ constitutionem censes? PAL. Qualē nam ais? CYR. Eam, quæ per sanctos diuinæ legis præcones tradita est, fidem: eamq;, quam prædicauerunt, vitam, (in Christo inquam,) atq; eam, quę per sacrum baptismum cum Deo fit, vnionem per sancti spiritus participationem. Ita enim nobis Paulus inclamauit, dicens: *Et vos veluti viui lapides ædificamini, domus spiritualis, in templum sanctum, in habitaculum Dei in spiritu.* Olim enim, veluti in diuersis vasis in sancto tabernaculo præfiguratus est Christus, vt thymiamaterium aureum, vt arca, vt lucerna, et vt mensa, quęq; in ea erāt. Singuli autem existimo credentium constituto tempore domus, et templum Dei appellantur, Christum habentes inhabitantem. Habitat enim in cordibus nostris per fidē, sicut scriptum est. Vnus quidem, atq; idem secundum naturam existēs, tametsi intelligatur cū carne. Vnus enim Deus Pater, ex quo omnia: et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Deitatis verò diuersis proprietatibus multiplex quodammodo quid in se habens, et diuersæ intellectus. Est enim in nobis, vt verbum Dei, et sapiētia, et lumen, ac vita, et panis viuens, atq; ex cœlo. PAL. Intelligo, quod dicis. CYR. Incarnationis igitur tempus, et resurrectionis à mortuis desideratissimus dies præfiguratus nobis est per hoc à Deo dictum: In vna die eriges tabernaculum. Illud verò in nouilunio mensis primi, vtiliter, necessarioq; adiectū videas Palladi. Quemadmodum enim principium dierum mensis est, primus illius dies, hoc est, nouilunium: ita etiā initium quoddam, veluti noui seculi, et ingressus nouitatis temporum, est tempus aduētus. Noua enim creatura in Christo veteres superauit. Illuxit autē nobis posterius seculum, quod nunc quidem, veluti in spe adhuc à nobis cernitur: tunc verò eo verè fruituri, quādo nobis Christus rursum illucescet cum sanctis angelis in gloria Patris: eos, qui in nouitate vitæ ambulare voluerint, et insignem euangelicæ vitæ pulchritudinem amplexi fuerint, secum assumpturus est, et in olim expectatam gloriam, ac regnum inducturus. Quòd autem noua creatura, ac quodammodo temporum, et rerum noua in Christò sint germina, optimè demonstrat figura primi mensis: in quo

Esai. 49.
2. Cor. 6
Matt. 28
Missio apostolorum ad prædicādū fuit constitutio ecclesiæ.
Ephes. 2
Fideles, templū Dei.
Ephes. 3.
Prima dies nouilunij qd significet.
Nouum seculum aduētus Christi.

quo heruæ quidem teneræ, recẽtesq; è terra pullullant, plantarum etiam refloreſcentia, et multiplex in hortis florum pulchritudo cernitur, verniq; odoris fragrantia rident. Eiuſmodi enim quodammodo tempore vocauit Christus eccleſiam ex gẽtibus, ita dicens: *Surge, veni propinqua mea, amica mea, columba mea. Quia ecce hyems tranſit, imber abit, receſsit ſibi: flores aparuerunt in terra, tempus putationis preuenit.* Refloruit enim hominis natura, inſtar plantæ cuiuſdam, quæ peccato emarcuerat, propter tranſgreſsionem in Adam, et imperium in omnes nos exercens peccatum. Christũ autem dicentem audio per quendam ſanctorum prophetarum: *Ipſe ego qui loquor adſum. Sicut hora ſuper montes.* Nam quod ver in montibus, ac ſyluis efficit, nouo germine plãtas ornans: hoc ipſum in nobis præſtitit Saluatoris nostri aduentus ſecundum tempora factus, veluti in anno ſecundo: non autẽ in primo tẽpore, in quo fuit Lex, et chorus prophetarũ, et in quo mors imperiũ obtinuit. Regnauit enim ab Adã etiã vſq; ad Moyſen. Quocirca veluti in ſecundo anno, hoc eſt, veluti in tẽpore primũ conſequente, in quo Lex erat, Eccleſia ex gentibus illuxit, Christũ inhabitatorem habens, qui propheta rũ, ac Legis finis fuit. Nonne tibi verè recteq; ſermo noster habere videtur? PAL. Omnino. CYR. Ego verò exiſtimo verius tabernaculum nobis per Eſaiam prænuntiatum eſſe dicẽtem, tanquam ad vnumquenq; eorũ, qui in fide vocati ſunt ad iuſtitiam: *Oculi tui videbunt Ieruſalem, ciuitatem diuitem, tabernacula, quæ non commouebuntur, neq; mouebuntur paxilli tabernaculi eius in æternum tẽpus.* Dei enim ciuitas eſt eccleſia: cuius etiam diuinus Dauid meminit, dicens: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Diues enim ipſa, et ſupernis ac cœleſtibus donis ornata, atq; incõcuſſum in firmo ſitum habẽs, erectionemq;, et durationem. Portę enim inferni non præualebunt aduerſus eam, iuxta Saluatoris vocem. PAL. Rectiſſimè, probabiliſsimeq; diſſeris. CY. Erecto autẽ tabernaculo, quod oportet ea, quæ in ipſo magno ornatu, atque ordine diſponi, non autẽ confuſè, et negligenter, Deus omnium Dñs docet, inquiens: *Et pones ibi arcam teſtimonij, et cooperies arcam velo: et inferes menſam, et propones propoſitionẽm eius, et inferes candelabrum, et impones lucernas eius. Et pones altare aureum ad incenſandũ coram arca teſtimonij. Et impones cooperimẽtum veli ſuper oſtium tabernaculi: Et circũpones tabernaculum, et omnia, quæ in eo, ſanctificabis circulatim.* Cœterũ licet quidem in his videre vaſa ſacra in ſanctum tabernaculum collata, nondum tamen vnicuiq; apertè debitum, et conuenientem locum tributum. Visne igitur, vt omnium de ſancto tabernaculo præceptorũ accuratam diſquiſitionem in vnum aceruum conferamus? PAL. Velim equidẽ. CYR. Inquit igitur Deus ad Moyſen: *Et facies velum ex hyacintho, et purpura, et coccino retorto, et byſſo filata. Opus textũ facies illud Cherubin, et impones illud ſuper quatuor colũnas imputribiles deauratas auro, et capitula eorum aurea, et baſes eorũ quatuor argenteæ: et pones velum ſuper columnas, et inferes illic intra velum arcam teſtamenti, et diuidet velum

Marginalia: Cant. 2. — Eſai. 52. — Secũdus annus, Christi aduentũ ſignificat. — Verũ tabernaculũ eccleſiæ. — Eſa. 33. — Pſal. 86. — Exo. 40. — Exod. 26.

lum vobis inter sanctuarium, et inter sanctum sanctorum: et cooperies velo arcam testimonij in sancto sanctorũ: et pones mensam extra velum, et candelabrũ è regione mensæ in parte tabernaculi, quæ ad Aquilonẽ: et facies tentorium ex hyacintho, et purpura, et coccino retorto, et bysso retorta, opus variegatoris. Et facies velo quinq; columnas, et deaurabis eas auro, et capitula earũ aurea: et cõflabis eis quinque bases æneas. Et hæc quidẽ de his. De lauacro autẽ alibi ita inquit. Fac labrum æneum, et basim ipsius æneã ad lauandum: et pones illud in medio testimonij.* Est ne tibi apertus de singulis his sermo? PAL. Maximè. Scis enim ipse, me in his hæsitare, neq; habere quod dicam. CYR. De singulis igitur, quæ dicta sunt, id quod vtile fuerit ad contẽplationem surripiens, manifestam, quoad eius fieri poterit, eorum declarationem aggrediar. Erectum itaq; est, Palladi, in solitudine sanctum tabernaculum, tanquam in duplici situ, ac figura. Atq; alterũ quidem erat interius. Nomen autẽ ipsi, Sancta sanctorum. Porticus autẽ quædam in circuitu ipsius prima, vocata Sãctuarium. Porrò in interiori tabernaculo arca deposita erat, habens velum artificiosè elaboratum ex hyacintho, et purpura, et coccino retorto, et bysso filata, quatuor columnis aureis innixum. Cum verò iam satis, vt arbitror, de bysso, et purpura, et coccino retorto, ac de hyacintho dixerimus; prætermittemus hæc, ne eadẽ sæpius repetamus. Illud autem in præsentiarũ dicemus, velum quatuor colũnis aureis innixum, quarum bases aureæ sunt, Christi mysterium significasse. An non enim velũ, corpus Christi sapiens etiã nobis Paulus nominauit, ita dicẽs? *Quam dedicauit nobis viã recentem, ac viuentem per velamentum, hoc est per carnem suam.* PA. Recte ais. CYR. Vide igitur veluti in vmbris, ac figuris, quòd Deus existẽs et ex Deo Patre secundum naturam verbum, tanquam in aurea, imputribiliq; arca fuit, templo nimirum ex virgine. Putredinis enim expers, venerandum est corpus Christi. Tantũ nõ autem etiam occultatum fuit, quasi in velo assumpta carne. Occultari autem dicimus verbum ex Deo, non tanquam in pusillo corpore circũscriptum, (vbiq; enim, et in omnibus est Filius,) sed latêre œconomicè, et manifestationis tempus expectare. Manifestationis autem in omnes tempus est resurrectio à mortuis. Nam ante venerandam crucem, sanctis discipulis præcepit, ne ipsum manifestarent. Ita enim scriptũ est. Postquam autem reuixit, mortem passus, *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti.* Idcirco pendebat quidem velum è colũnis occultans intus arcã. Typus autem fuerit Christi, qui sanctorũ euangelistarum prædicationibus, altè sublatus, et in gloria Deitatis visus fuit ijs, qui in sancto tabernaculo, hoc est, ecclesia, versantur. Quatuor autẽ sunt columnæ aureæ, et deargentatæ. Totidem etiam sunt euangelistæ splendidi, atq; illustres. Sita igitur erat arca, ita vt ex alto vsq; ad infimum eius pertingens velũ ex bysso, purpura, atq; alijs eam cerni non sineret. Supra coopertorium autem ad dextram, et sinistram, Cherubin Deus constitui iussit. Ostẽdens nimirum, quòd ipse supra omnem creaturam

Tabernaculũ duplex, interius, et exterius.

Sãcta sanctorum.

Sanctuariũ quid sit.

Velũ quatuor colũnis aureis innixũ, Christi typus

Heb. 10.

Occultatio verbi in ventre virginis, quo pacto intelligenda sit.

Manifestatio verbi, est resurrectio a mortuis.

Matt. 28.

Colũnæ quatuor typus euangelistarum.

Cherubin circa coopertoriũ arcæ, quid significet.

ram ſit: quodq; ea ipſa, quæ omnium rationalium ſunt ſuprema, hoc eſt, Seraphin, diuinæ ineffabiliq; gloriç ſubiaceant: ipſumq; filium ſatellitio ſuo ſtipent, tametſi caro ſit factus, et imminutus quodammodo ab æqualitate cum Patre, quatenus homo factus
Ioan. 14. eſt. Idcirco etiam ipſe inquit: *Pater meus maior me eſt.* Cum autẽ ęqualis ſit Patri ſecundum naturam: minorem ſe factum ait, propter ſolam humanitatem. Ideoq; in ſancto etiam tabernaculo, Cherubin quidẽ circum opertorium poſiti ſunt: et Filium, vt Deum ſtipant. Atqui ſemper ipſum etiam opertorium (quod erat typus Chriſti) Deus intelligitur. Cognoſcar enim illinc, inquit, et loquar tibi. Supra omnem enim creaturã eſt Pater, atq; adeò ipſum Emanuelem, nõ quatenus intelligitur, et eſt Deus, (æqualis enim per omnia eſt Deo,) ſed quatenus ſerui formã, et humanitatis modum accepit. PAL. Quàm ſubtilis, ac profundus ſermo. CYR. Nequaquam verò à ſcopo aberrat. PAL. Aſſentior. CYR. Collocata autem hoc pacto arca, Et pones, inquit, altare aureum ad adolendum coram arca. Et Chriſtus quidẽ quòd ſit altare aureũ, abundè mihi dixiſſe videor. Poſitum autem eſt è regione arcæ, ſuper quã coopertorium: et circum, Seraphin: et ſuper ipſam Deus, quodammodo ſuſcipiens incomparabilem Emanuelis odoris ſuauitatem. *Neq; enim cõ
1. Pet. 2. miſit peccatum: neq; inuentus eſt dolus in ore eius,* ſicut ſcriptum eſt. Id
Ioan. 3. circo etiã ipſe dixit: *Pater amat Filium.* Accepti autem Deo etiã nos, Chriſti vnguentum ſuauiter redolentes: quod et Paulus cõfirmat, dicens:
2. Cor. 2 *Gratia autem Deo, qui ſemper triũphat per nos in Chriſto, et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Quoniam Chriſti bona fragrãtia ſumus Deo.* PAL. Rectè ais. CYR. Contemplemur itaq;, diligenter mentis aciem in ea, quæ ſcripta ſunt, intendentes. Erectam quidem eſſe arcam in latere ſancti tabernaculi ad Occidentem vergente. E regione autem ipſius, altare aureum in loco verſus Orientem. Ortus enim, et Occaſus impleta ſunt Chriſto. Boreaſq;, et Auſter. Idcirco locus quidẽ cãdelabri, Auſtrale tabernaculi latus: menſę verò, Septentrionale. Et quòd per vtraq; Chriſtus nobis ſignificetur, longo ante ſermone oſtẽſum eſt. Quòd enim Chriſtus ſit lumen, lucerna oſtendit: quòd autem vita, et panis viuens, menſa, quæq; in ea ſunt. Cęterum illud intellige, ac perpende myſterium. Auſtralis enim maximè eſt Iudæorum regio, Septentrionalis autem, Gẽtium. Ex ſitu igitur vtriuſq;, lucernæ, inquam, et menſæ, facile ijs, qui voluerint, intellectu fuerit, quod Iudæis quidem lux affulſit Chriſtus, et apud ipſos prædicauit, Ego ſum lux. Miſſus enim eſt ad oues, quæ perditæ erant domus Iſraël: et ad ipſos pertinent promiſsiones, iuxta ſcripturas. Cum verò nõ admiſerint lumen veritatis, facta eſt gentibus lux, et panis ex cœlo, neq; abſq; lumine Gentes: quod quidem intelligere eſt, perueniente lumine lucernæ etiam in Septentrionales tabernaculi partes. Cũ autem anguſtum valde eſſet ſanctum tabernaculum, minimè abſurdũ fuerit, tantum non etiam ad menſam vſque porrectam videri lucernam, tametſi in Auſtrali parte ſita fuerit. Porrò alia etiam ratione typus hic declarari

Arcæ, et altaris ſitus, et quid ſignificet.

Candelabrum ad Meridiẽ mẽſa vero ad Septentrionẽ, quid ſignificent.

Gẽtes nõ fuiſſe abſque lumine.

clarari potest, quod diuino lumine ef fulgente, cotingat ijs, qui digni sunt, Christi participes fieri, tanquam panis viuētis, et veri. Cōcorpores enim simulq; participes factæ sunt Gentes Christi. Paulus enim ita rursum scri-
Ephes.3. bit: *Concorpores autem, simulq; participes factæ sunt Gentes:* lumi-
2.Pet.1. ne nimirum spirituali repletæ.* splēdente die, et lucifero mentes illustrante: ita enim quidam Saluatoris apostolorum dixit. Situ itaq; et structura eorum, quæ in sanctis sanctorum erant, ita absolutis, velum quoddā fieri iussit ex hyacintho, et purpura, et coccino retorto, et bysso texta. Hoc autem ad tabernaculi ingressum necessariò prætendi debere inquit, quinque columnis aureis appensum, quarum bases æneæ. Et velum quidem Græcè ἐπίσπαστρον, id quod ostio obstensum erat. Ideo, vt arbitror, quòd tenuibus anulis sursum traheretur transeuntibus ingredientibus ostium: rursumq; contraheretur, et erigeretur ad occultandum sancta sanctorum. Quinque autem columnæ aureæ, et obæratæ, magistros, et ecclesiarum præfectos, qui veluti in quinto tempore, aduentus nimirum Christi, extiterūt, præsignificant: qui veritatis sermonem rectè secantes preciosi quidem vt aurū sunt: sonori autem, vt æs.*In omnem
Colūnæ quinque aureę obæratæ, quid significet.
Psal.18. enim terrā exiuit sonus eorum, et in fines terræ verba eorum:* qui artificiosa sua, ac diuinitus afflata doctrina eis, qui sancta sanctorum ingredi nolunt, ostium quodammodo patefaciunt. Sancta igitur sanctorum, hoc est, interius tabernaculum, velo obtegebantur. Coniunctum autem secundo etiam primum tabernaculum habens altare oblationum, in quo omnis, quæ per sanguinē fiebat oblatio, placentæq;, et incensa, omnisq; hostia, et libatio. Præter altare autem etiam labrum æneum. Locus autem altaris erat iuxta portas tabernaculi (manifestū autem, quòd exterioris) Lauacri autē in medio tabernaculi. PAL. Quænam autem rursum intelligatur interrogatio? CYR. Verissima est, Palladi, scriptura sacra, nihilq; omnino in ea vanum reperias. Vide enim quo pacto nobis figura Legem ad Christum instruentem ostendat. Situm enim iuxta ipsum ad sancta sanctorum ingressum altare cultus legalis. Deducit enim nos Lex ferè ad initia mysteriorum Christi, et quodammodo ad primos absolutæ de ipso cognitionis ingressus. Nequaquā autem inducit in sancta sanctorum, hoc est, in interius tabernaculum, in quo multiplex est Christus, vt verbū Dei, vt lumen, vt panis viuēs, vt odor suauitatis Deo ac Patri. An nō enim censes, quòd præexercitatio cultus legalis sit veluti elementa, ac principiū eloquiorum Dei? PAL. Omnino. CYRIL. Quòd autem Lex nihil perfecerit, (impossibile enim est, sanguinem taurorum, et hircorum tollere peccata) statim, minimoq; negotio intellexeris, si labri vsum perspexeris. Positum enim est in medio primi tabernaculi splendidum, atq; mirandum, abluens prius aqua pedes eorum, qui sancta sanctorū ingressuri essent. Præscripta enim est sacerdotibus hac de re Lex. Quocirca ea etiā, quæ in Lege videtur, impletio imperfecta est, purificationē per sanctū Baptismū significans, quæ sacrum genus abluit, eos, inquam, qui fide iustificati sunt: quibus, et diuinus Petrus inclamauit, dicens: *Vos
Labrū in medio tabernaculi positū quid significet.

1.Pet.2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus, qui in lucrum acceſsit: vt virtutes prædicetis illius, qui è tenebris vos vocauit in admirabilem lucem ſuam.* Sciendum autem eſt, quòd etiam oſtio exterioris tabernaculi obductũ erat velum, ne nuda, apertaq; eſſent ijs, qui extra erant, ſancta, hoc eſt, primum tabernaculum, in quo altare Legis. Significante iterum, vt arbitror, typo, quòd ne ipſa quidem Lex cuilibet manifeſta ſit. Tegumentum enim habet litera, inuolutaq; eſt quodammodo, et obtecta vmbrarum obſcuritate. PAL. Ita eſt. CYR. In primo igitur tabernaculo labrum erat ſitum, et altare. In ſecũdo autem, atq; interiore, arca, et lucerna, et thuribulum aureum. Præterea incenſum tenue, mẽſaq;, et panes. Meminit autem etiam Paulus et ampullæ aureæ habẽtis mãna. Virgam quoq; Aaron nobis nominat: quam etiam in ſanctis ſanctorũ poſitam fuiſſe ait, vtpote multum in ſacris literis verſatus, optimeq; gnatus eorum, quæ oraculis edita, et beato Moyſi diuinitus præſcripta erant. Nouerat etiam mẽſam, et lucernam in primo tabernaculo poſita eſſe. Ita autem de vtroq; teſtamento ſcribit:

Heb.8. *Dicendo nouum, antiquauit vetus. Porrò quod antiquatur, ac ſeneſcit, in propinquo eſt, vt euaneſcat. Igitur

Heb.9. habebat quidem etiam prius illud iuſtificationes, cultus, ac ſanctum mundanum. Siquidem tabernaculum factum fuit primum, in quo erant lucernæ, et menſa, et propoſitio panum, quam vocant ſancta. Poſt ſecundum autẽ velum, erat tabernaculum, quod vocatur Sanctum ſanctorum, aureũ habens thuribulum, et arcã teſtamenti, vndiq; circuntectam auro, in quo vrna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ germinauerat. et tabulæ teſtamenti. Supra hanc autem Cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium, de quibus nunc non eſt dicendũ ſingulatim.* PAL. Porrò ſi quis velit diligentius inquirere, ac dicere cauſas totius ſtructuræ, quænam earum ratio fuerit? CYR. Quòd, Palladi, nonnulla quidem ante ſtructuram ſancti tabernaculi, nõnulla verò poſt, fieri præcepit. In Exodo enim, et priuſquam omnino ſacri tabernaculi typi viſi eſſent: et præcepta quæ in eo facta eſſent, de aurea ampulla oraculũ edidit, ſciens quod futurum erat. Poſt cõſtructionem verò vniuerſi tabernaculi, in Numeris inueniemus virgam Aaron in Sancta ſanctorum illatam. In Leuitico autem Deus præceptum de candelabro adiecit, et de menſa, quæ in primo tabernaculo erat. Sapiẽtiſsimus verò Paulus, vtpote peritus Legis, nihil omnino eorum, quæ in eo erant, prætermittit: meminit autẽ primorum, mediorum, et vltimorũ. PAL. Optimè ais. Perſequere igitur ſingula manifeſtè, et ſigillatim. Arduus enim vehementer de his eſt ſermo. CYR. Rectè ſentis. Ita enim profectò ſe res habet. Sed ab ampulla initium explicationis faciam. Inſtar pluuiæ enim demittebat Deus Iſraëlitis manna in deſerto. Cibus enim hic, et panis ipſis ſupernè, atq; è cœlo. Ceterum quòd ſenſibilis adhuc ea res fuerit (deducit enim nos quaſi per typos atq; vmbras ad cogitandum ſucceſſu temporis adfuturum nobis verbũ ſupernè, et ex Patre, tanquam panem de cœlo,) diuinus nobis Dauid indicat, dicens: *Panem cœli dedis eis. Pſal. 77.

Hoc apud Paulũ eſt ἐν ᾗ referendũ eſt ad σκηνὴν. nõ ad arcã: neq; enim in Arca qd quã erat præter tabulas Legis.

Cap.16.

Cap.17.

Cap.24.

Manna typus panis angelorum.

Panem angelorum comedit homo.* Neq; enim dicimus sensibile manna panem esse ex cœlo, et angelorum. Nutritur enim spiritus spiritualiter: corpus autem secundum propriam suam naturam, hoc est, corporaliter. Cibus autem, ac panis angelorum, et cœlestibus supernisq; spiritibus conueniens, est verbum ex Deo Patre. Manna itaq; significabat Christum. Tipus autem nihil vtilitatis in se habet, nisi ostẽsa veritate. Vmbra enim hoc illius nõ propter seipsum propriè factum, sed vt præstantius quid in se ipso depingat. Ideoq; Christus Iudaicum populum sapienter increpabat, quòd non potius ipsum, vtpote veritatem, sed Moysen admirarentur typorum ministrum. Ita enim ait: *Non Moyses dedit vobis manna. Panis enĩ Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ.* Imaginem itaq; manna ponẽs, supernè, atq; ex cœlo descendentis Verbi, Deus hæc de ampulla oraculo tradidit. Ita autem scriptum est: *Dixit autem Moyses: Hoc verbum, quod præcepit Dominus: Implete Gomor mãna ad repositionem in generationes vestras, vt videant panem, quem comedistis vos in deserto, quãdo eduxit vos Dominus de terra Aegypti. Et dixit Moyses Aaron: Accipe vas aureum vnum, et immitte in illud plenum gomor manna, et repones illud coram Deo in custodiã in generationes vestras, quemadmodum præcepit Dñs Moysi. Et reposuit illud Aaron coram testimonio in custodiam.* Vt enim diximus, quod arca diuinum sermonẽ continens, significabat Emanuelem, (Dei enim erat verbum, veluti in sancto templo, ex virgine inquam,) eâdem planè ratione, et ampulla aurea sensibile mãna parturiẽs, supernum viuificansq; verbum significat: ex Patre nimirum, veluti in sacro, et puro corpore. Plena autem est ampulla manna. *Inhabitat enim in illo omnis plenitudo Deitatis corporaliter,* iuxta B. Pauli vocem. *Neque verò ad mensuram dat spiritũ.* Perfectißimus enim est Christus. Reponebatur autem ampulla ad conseruandum in generationes filiorum Israel. Corruptionis enim expers, et semper manens, atq; omni tempore celeberrimus est Christus. Et est quidem coram Domino, hoc est, in conspectu Dei Patris. Cum enim secundum nos factus est Vnigenitus, *tunc etiam ingressus est in sancta sanctorum, per maius, perfectiusq; tabernaculum, hoc est, in cœlum, vt nunc appareret ante faciem Dei pro nobis,* sicut scriptũ est. Neq; enim seipsum in aspectu Patris constituit, sed nos veluti in seipso, cum alioqui auersi ab eius vultu essemus, ob transgreßionẽ in Adam, et peccatum in omnes imperium obtinens. In Christo igitur habuimus aditum, et libertatem ad ingressum sanctorum, vt et Paulus testatur, dicens: Quemadmodum enim simul suscitati sumus, et simul sedimus in cœlestibus in Christo: ita rursum in ipso etiam in conspectu Patris constituti sumus. Atque hæc quidem de ampulla sacra dicta sint. Quod autem ipsa etiam virga Aaron Christũ significet, age, si videtur, dicamus.

PAL. Rectè mones. CYR. Core igitur, et Abiron, ac Datan ex tribu et sanguine Leui orti erant. Sancti verò tabernaculi diuinitus institutam administrationem vsurpantes, Moysis et Aaron

Panis angelorum est Verbum ex Deo Patre.

Ioan. 6.

Exod. 16

Ampulla plena mannæ, quid significet.

Colos. 2.

Ioan. 3.

Heb. 9.

Christus nõ se sed nos in se ipso restituit in cõspectu Patris.

Virga Aaron typus Christi.

Core, Abiron, et Datã supplicium.

et Aaron gloriam ambiebant, ſibiq; ipſis vendicabant, cum ad hoc nequa quam à Deo vocati eſſent, et immani quadam confidentia elati, non ferendam iam, ſed intolerabilem in vtrumque ſeditionem pararunt, atque inſtar taurorum armentum fugientium ab alijs ſeſe ſeiunxerunt, abiectaq; ſeruitute ſub Deo, alijs etiam impijs hominibus deſciſcendi authores extiterunt. At hi quidem impudentis audaciæ ſuæ pœnas luerunt. Dehiſcuit enim ipſis terra, et cum conſanguinitate ipſorum, tentorijs, et facultatibus ſuperbum populum in infernum demiſit. Quòd autem diuino iuſſu, et non voluntate Moyſis, ſupremam ſacerdotij dignitatem Aaron nactus eſſet, declarare volens legiſlator, ad optimum Moyſen inquit: *Loquere filijs Iſraël, et accipe ab illis virgam per domos familiarum ipſorum duodecim virgas, et cuiuſlibet nomen inſcribe in virga eius, et nomen Aaron inſcribes in virga Leui. Eſt enim virga vna per tribum domus familiarum ipſorum dabunt. Et pones eas in tabernaculo teſtimonij, in quibus cognoſcar tibi ibi. Et erit homo quecunque eligam eum, virga eius germinabit, et auferam à te murmur filiorum Iſraël, quæcunque ipſi murmurant contra vos. Et loquutus eſt Moyſes filijs Iſraël: Et dederunt ei omnes principes eorum virgam, principi vni virgam, per principem, per domos familiarum ipſorum, duodecim virgas: et virga Aaron inter virgas ipſorum. Et impoſuit Moyſes virgam coram Domino in tabernaculo teſtimonij: et ecce germinauit virga Aaron inter virgas ipſorum. Et impoſuit Moyſes virgam coram Domino in tabernaculo teſtimonij in domum Leui, et protulit germen, et floruerunt flores, et germinauit nuces. Et detulit Moyſes omnes virgas à facie Domini ad omnes filios Iſraël: et viderunt, et accepit vnuſquiſque virgam ſuam. Et dixit Dominus ad Moyſen: Appone virgam Aaron coram teſtimonio in cuſtodiam in ſignum filijs inobedientium, et ceſſet murmur eorum à me, et non morientur.* Signum minimè obſcurum eſt ſelectim ad ſacrorum miniſterium electum fuiſſe Aaron, veluti ex ſanguine Leui, quod germinauerit virga. Conuerſis autem ad ſpiritualem contemplationem his veluti craſſioribus typis, Chriſti myſterium rurſus eluceſcet. PALLA. Quo pacto? CYRIL. Deſignatus enim eſt legiſlator ſimul et pontifex noſter à Deo Patre, Emanuel ſeipſum pro nobis ſacrificium offerens. Nam vt beatus Paulus ait: *Lex quidem per Moyſen conſtituit pontifices habentes infirmitatem. Porrò ſermo iuriſiurandi, qui ſupra Legem fuit, filium conſtituit in æternum conſummatum.* Deſcendit quidem igitur ex cœlo Verbum, et iuxta nos factum eſt, ſanctorum ſacerdos agens, et tabernaculi veri, quod conſtruxit Dominus, et non homo: at non eſt viſus recta ſentire ijs, qui ex ſanguine Iſraël erant, ſed ſuã ipſorũ voluntatem quodãmodo illi opponẽtes, inuidię telis multifariã eum petierunt, non linguę, nõ impudẽtię, nõ abſurdorũ facinorum modũ vllũ facientes: perdẽtes

Aarõ nõ Moyſis volũtate ſed Dei iuſſu ſacerdos factus.

Num. 17

Heb. 7

ſeſe ipſi miſeri, et extremum cruci affixerunt. Cœterum germinauit virga ex radice Ieſſe. *Reuixit enĩ Christus, ſolutis doloribus mortis,* vt ſcriptum eſt. Cum enim ſecundum naturam vita eſſet, vt Deus, quo pacto veriſimile erat à morte ſuperari, ac non potius interitum cõfringere? Quemadmodum autem reuiuiſcere ac germinare inopinatò ſiccum iam lignũ, manifeſto veteribus argumento erat, Aaron diuina voluntate in põtificem electum: ita dicimus, ſufficiẽtem admodum, atq; euidẽtem probationem eſſe, Emanuelem eſſe Deum ſecundũ naturam, quòd proculcata morte reuixerit. Atqui Christus ipſe: tametſi quiduis fide, aut ratione maius, nullo negotio, facillimeq; præſtare poſſet, ſignum petentibus dixit: *Generatio hæc praua eſt. Signum petit, et ſignũ non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, et tribus noctibus.* Inſigne igitur revera, eximiumq; ſignum eſt ad fidem faciendam ijs, qui verè pij ſunt, Filium ſecundum naturam eſſe Deum, et ex Deo Patre genitum, quòd mortem, atq; interitum diſſoluerit, et refloruerit ad vitam. Factus enim eſt ipſe primitiæ dormientium, et primogenitus mortuorum, datusq; eſt ſignum filijs inobedientium: vt ſciret, quòd voluntate Dei, ac Patris pontifex noſter factus ſit Christus, ſanctus, mali expers, ſeparatus à peccatoribus et ſublimior cœlis factus, iuxta id, quod ſcriptum eſt. PAL. Atqui effloruit quidem nobis virga Aaron. Hoc enim nobis modo ſacer ſermo oſtendit: germinauit autem nuces. Quid verò figura hæc ſignificet, non aſſequor. CYR. Nihil omnino abſurdi eſt, Palladi, cogitare virgam ex Corylo ſumptam. Erat enim moris apud veteres, baculis, ſiue ſcipionibus ex eiuſcemodi quibuſdã lignis vti. Si autem ad contemplationem ſermo nobis accommodandus eſt, illud rurſum dicam, quod peruulgatum eſt, et quibuſdam fidem mereri videtur, virgam ex Corylo capiti ſuppoſitam vigilantiam immittere, naturali ſua facultate hoc efficiens ex Dei voluntate. Cuius rei ipſemet nobis fidem facit, ad Ieremiam alibi dicens omnia ſciens, et vniuerſorũ creator. *Quid vides Ieremia?* Qui cum reſpondiſſet: Baculum nuceum: Dixit ei Deus: Benè vidiſti: quia vigilaui ego ſuper verba mea vt facerem ea.* Vigilantiæ igitur ſymbolum nõ abs re fuerit virga Coryli. Expergefactio autem quodammodo à ſomno fuit, Christi à mortuis ſuſcitatio. Idcirco etiam per Pſalmiſtæ lyram inquit: *Ego autem ſopitus ſum, et dormiui. Surrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* PAL. Verus eſt ſermo. CYR. De lucerna autem, et menſa, quæ in primo tabernaculo, ita rurſum ſcriptum habetur: *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Præcipe filijs Iſraël, et accipiant tibi oleum oliuarum purum, contuſum in lumen, vt incendat lucernam ſemper extra velum, in tabernaculo teſtimonij: et incendent ipſum Aaron, et filij eius à veſpere vſq; ad mane coram Domino aſsiduè, legitimum ſempiternum in generationes veſtras. In cãdelabro mundo incendent lucernas corã Domino vſq; ad manè. Et accipietis ſimilam, et facietis eam duodecim panes: duarum decimarum erit panis vnus. Et imponetis eos duas poſitiones, ſex panes

Act. 2.

Reſurrectio maxime argumẽto Deitatis in Christo.

Matt. 12

1. Cor. 15
Apoc. 1.
Heb. 7.

Ierem. 1.

Virgã Coryli, ſymbolũ vigilantiæ.

Pſal. 3.

Exod. 27

panes vnam poſitionem ſuper menſam puram coram Domino. Et impo netis ſuperpoſitionem thus purum, et ſalem: et erũt panes in memoriam propoſiti Domino. Diem ſabbatorũ ponetis coram Domino ſemper à filijs Iſraël, fędus ſempiternũ. Et erunt Aaron, et filij eius, et comedent ea in loco ſancto: Eſt enim ſancta ſanctorum. Hoc ipſi à ſacrificatis Domino legitimum ſempiternum.* Purũ igitur oleum, et quidem ex oliuis, nõ ex diuerſę ſpeciei, terreſtrioribusq; ſeminibus, ex quibus oleum quidem exprimebatur, ſed ſpurium quodammodo, et fictitium. Semper enim eſt purum, ac geminum in eccleſijs lumen, nimirum per Chriſtum in ſpiritu, tametſi per ſanctorum vocem adminiſtretur: ad quos Chriſtus inquit: * Vos eſtis lux mundi.* Neq; mirum eſt. Quos enim fratres vocauit, et participes ſui ipſius conſtituit, ijs etiã meritò propriarum ſuarũ dignitatum gloriã impertiatur. Ardet itaq; lucerna etiã in primo tabernaculo: et duplicẽ hæc res intellectum habet. Nam in interiori tabernaculo ſeptem lucernæ apparẽt incenſæ manè, copioſam ingredientibus lucem præbentes. Erat autem lucerna Chriſtus, in typum rurſus, quòd eos, qui in ſancta ſanctorũ ingredi velint, multo, multipliciq; lumine illuſtret. * Accedite enim, inquit, ad ipſum, et illuminamini.* Porrò manè accendi lucernas ſignificet, vt arbitror, tempus incarnationis. Effulſit enim veluti dies, et lumen quoddam ſpirituale illuxit, veteris noſtræ ignorantiæ tenebras diſcutiens, et inſtar noctis incumbẽtem cordibus noſtris nebulam diſsipans. Ita enim nobis tempus aduentus Saluatoris propheta prædixit, inquiẽs: * Manè exaudies vocem meam, manè aſtabo tibi, et aſpicies me.* Quo pacto enim acceptabiles factæ ſunt omnium orationes, quiq; olim errauimus, prope Deũ quodammodo conſtituti ſumus, per familiaritatem nimirum ſpiritualem et obedientiam, ac fidem, niſi lumen nobis ex cœlo illuxiſſet, hoc eſt, Chriſtus? Quocirca in interiori quidem tabernaculo diues, ac tenue ſeptem lucernarum lumen eſt. In primo autem tabernaculo lucerna erat ſplendens: indicans, vt arbitror, ne ipſos quidem qui in Lege inſtituti erant, diuina luce caruiſſe. Lex enim Moyſis ex pluralitate Deorum ad cognitionem vnius natura ac verè Dei vocauit, et à veteri errore, cultu nimirum creaturarum vltra creatorem, abduxit: ſoliq; omnium opifici adhærendũ eſſe docuit. Hæc autem non abſq; lumine ſpirituali, eorum, qui inſtituti ſunt, animis impreſſa ſunt. Quocirca, dicã enim rurſus, diues quidem, ac multa eſt ijs, qui in ſancta ſanctorũ à Chriſto illuminatio, minor autem ijs, quæ in Lege. Et verus eſt ſermo. Nequaquam enim æqualia ſpirituali ſplendore ſunt inter ſe oracula euangelica, et vmbra Legis. Illa enim vniuerſum orbem terrarum circunfulgent: hæc verò ſolis Iſraëlitis nota eſt. PAL. Rectè ais. CYRIL. Videtur autem, Palladi, etiam aliud quid ſignificare menſa, et lucerna, tanquam in primo tabernaculo. PAL. Quidnam obſecro? CYRIL. Lucerna quidem, Ioannem Baptiſtam: Panes autem duodecim ſanctorum apoſtolorum chorum nobis præfigurant. PAL. Quo pacto? CYRIL. An ignoras, quòd ijs, qui in Lege verſabantur, atq;

Oleũ purũ, quod ex oliuis fit, dicitur.

Oleũ ex oliuis verã eccleſię doctrinã ſignificat.

Matth. 5

Pſal. 33.

Lucernę mane accenſæ, tẽpus incarnationis ſignificant.

Pſal. 5.

Lucernę in anteriori tabernaculo ſignificant eos, qui ſub Lege erant, nõ caruiſſe diuina luce.

Lucernã anterioris tabernaculi, Ioannis Baptiſtæ typus.

Duodecim panes propoſitionis, typus apoſtolorũ.

atq; in Iudæa erant, veluti lucerna quædam Christum precedens erat diuinus Baptista? De quo Deus, ac Pater præclamauit: *Præparaui lucernam Christo meo.* Testatus est autē hoc ipsum etiam Saluator, Iudęorum præfectis de ipso dicens: *Ille erat lucerna ardens, et lucens: vos autem voluistis ad tēpus exultare in luce eius.* Vides autem quo pacto Legem doctus B. Paulus, tantum nō ad memoriam refert lucernæ, quæ in primo tabernaculo erat. Inextinctum enim vsque ad mane corā Domino assiduè, exiguumq; eius tempus scientes Iudæi ob concursum ad Baptismū, qui per ipsum exercebatur, magnamq; admirationem, quam de se concitabat, morte sopierunt, tantum nō perpetuò lucentem lucernam extinguētes, tametsi Herodis facinus fortasse dicatur, quāquam ex sanguine Israël existentis. Idcirco Christus turbis Iudæorū ferocitatem aduersus omnes sanctos exprobrans: *Fieri non potest, inquit, vt propheta pereat alibi, quàm Hierosolymis.* PAL. Lumen igitur, et lucerna secundum similitudinem, et secundum participationem Christi, etiam diuinus Ioannes Baptista ijs, qui in Lege per Iudæam erant. CYR. Ita censeo. Eâdem autem ratione panes intelligēdos esse dicimus sanctos apostolos. Vnus enim natura, ac verè panis ex cœlo, et viuificans. Ad imitationem autem eius, qui natura talis est, ac per participationem nutrientes ad pietatem panes, sunt diuinæ doctrinæ magistri, qui quidem nobis sermones vitæ immittūt, ignorantiæq; famem fidelium animis eximunt. Panes autem apostolis numero respondent. Duodecim enim, et in duas positiones, siue ordines distincti, ac tantum nō cingentes, ac in medio collocatum habētes vnum, et ex cœlo, hoc est, Christum: et vnusquisque ex duodecim, hoc est, ex duabus mensuris perfectis. Perfecti enim iuxta vtrumq; facti sunt diuini discipuli, ad quoduis bonum bene constituti, opereq; et sermone excellentes.

Psal. 131.

Ioan. 5.

Luc. 13.

Thus autem, et sal ipsis inspersa. Libano quidem bonum odorem sanctificationis, et fragrantiam Christi: Sale verò prudentiam subindicante. Neque enim insipiens est, aut fatuus sanctorum sermo, sed in gratia, et sale conditus, sicut scriptum est, et gratiam tribuens audientibus. Dictum est autem eis etiam à Christo: Vos estis sal terræ. Proponuntur autem etiam in die sabbatorum. Dies enim manifestationis apostolorum, spiritualis sabbati tempus fuit, hoc est, aduentus Christi: quem quandoquidem nō cognouerunt Israëlitæ, Paulus de ipsis ita ait: *Itaq; relinquitur sabbatismus populo Dei.* Neque enim ingressi sunt in requiem eius fide nō suscepta. Spiritualis igitur, ac verus sabbatismus, est tempus aduentus nostri Saluatoris. In conspectu autem Dei proponuntur panes, quinetiam in cōspectu Israël. Proponetis enim, inquit, die sabbatorū coram Domino in perpetuum à filijs Israël, intuente nimirum, perpetuoq; aspiciente sanctos. (Oculi enim Domini super iustos, inquit.) Israëlitis autem, tanquam attēdere ipsis debentibus, et quodammodo mentis oculum arrigētibus: in cuius etiā typum est corporalis. At erit, inquit, Aaron, et filij eius, et comedent ea. Proposita enim nobis sunt in cibum sanctorum apostolorū scripta, qui

Thus, et sal panibus propositionum inspersa, quid significēt.

Heb. 4.

Sabbatismus spiritualis, est aduētus Christi.

Apostolorū scripta, cibus sanctorum.

qui in fide iustificati sumus, sancto et sacro genere, populis, qui in lucrum accessimus, et electis, sanctiq; Spiritus gratia delibutis. PAL. Recte ais. Atque equidem id probauerim. Ceterũ quam ob causam nõ in sanctis sanctorum, sed in primo tabernaculo sancti

Ioannis Baptistæ et apostolorũ typi, cur in exteriori tabernaculo ponũtur.

Baptistæ, et sanctorum apostolorum typi collocantur? CYR. Primum quidem quod multum discriminis sit, neque iisdem terminis Christus, et ea, quæ sanctorũ sunt, circunscribantur: sed infra subsistũt, minoraq; sint. Eximia enĩ, separataq; sunt diuina, summoq; interstitio ab humanis diuisa, inæqualem ostendens naturarũ proprietatem, glorięq; differentiam. Prę terea quia sunt ex Iudæis, et cultu secundũ Legem, idcirco cõueniens quodãmodo locus, prius nimirum tabernaculum, illis tribuitur, in quo altare oblationum sub typis situm erat. An non enim ex sanguine Israël, et veluti è priore tabernaculo sanctorũ apostolorum vocatio facta est? PAL. Omnino. CYR. Cum itaq; de his abundè iam à nobis dictum sit, D. Paulum, si videtur, adferamus, pulchrè explanãtem de primo, et secundo tabernaculo

Heb. 9.

testimoniũ. Ita autem scribit: * His autem ad hunc ordinatis modum, in prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, qui sacrorũ ritus peragant: in secundũ autem semel quotannis solus pontifex, nõ sine sanguine, quẽ offert pro seipso, et pro populi ignorantiis, illud significante Spiritu sancto, nõdum manifestatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo consistente, quæ erat similitudo pro tempore tunc præsente, in quo dona, sacrificiaq; offeruntur, quę non possint iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat, et potionibus, et diuersis ablutionibus, et iustificationibus carnis, vsque ad tempus correctionis imposita. At Christus accedens pontifex futurorum bonorum, per maius, ac perfectius tabernaculum, non manufactũ, hoc est, non huius structuræ: neq; per sanguinem hircorum, ac vitulorum, sed per propriũ sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. * Intelligis igitur, quòd in primo quidem tabernaculo ritus suos sacerdotes peragebant, ingressum in Sancta sanctorum non habẽtes? Eiusmodi enim ferè est legalis cultus in vmbris situs. Vana autem hęc ad purgationem, ablutionemq; peccatorũ. Audisti enim modò clamantem Paulum, quòd nõ possint iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem: reseruata autem potius sunt in tempus instaurationis, incarnationis nimirũ Vnigeniti, quando typorum deformitas ad veritatem traducta est. Semel autem quotannis, et quidem solus põtifex in Sãcta sanctorum ingreditur, idq; non absq; sanguine, quem obtulit pro seipso, et erroribus populi.

Sũmus sacerdos semel in anno nõ sine sanguine Sãcta sãctorũ ingrediens qd significet.

Declarat autem nobis id ipsum rursus sapientissimus Paulus, ita dicẽs de Christo superius cum dixit: * Quia sacrificium, et oblationem, et holocaustomata et pro peccatis noluisti, neq; cõprobasti, quæ quidem ex præscripto Legis offeruntur, tunc dixit: Ecce adsum, vt faciam Deus voluntatem tuã. tollit prius, vt statuat posterius: in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Et omnis quidem sacerdos astitit quotidie sacra peragens, et easdem sæpius offerens hostias, quæ nun-

Heb. 10.

nunquam poſsint auferre peccata: Hic verò vnà pro peccatis oblata victima perpetuò ſedet ad dextrā Dei, id quod reliquū eſt expectans, donec reddantur inimici eius ſcabellum pedū ipſius. Vnica enim oblatione perfectos fecit in perpetuum eos, qui ſanctificātur. Rom. 6. *Qui enim ſemel mortuus eſt, non amplius moritur,* iuxta ſcripturam. Multorū autem ſublatis peccatis, ingreſſus eſt in ſancta ſanctorū, hoc eſt, in cœlum: vt nunc appareret ante conſpectū Dei pro nobis. PAL. Apertus eſt ſermo. Cœterum ſuperſedentes hac de re commentationi, qualisnam fuerit ſanguis, quē offerre ſolebat ſacrorū pręfectus pro ſeipſo, et populi erroribus, dic obſecro mihi percupido. CYR. Paulus Legem apprimè doctus, et in præceptis Moyſis accuratiſsimè verſatus, populis Hebreorum hæc, vtpote eorum non ignaris, quiq; Legem legerant, deq; adeò venerandis, atq; ineffabilibus rebus, nō larga enarratione, ſed curſim, ac per compendium huiuſmodi vt nota, Iudæis proponit. PAL. Adfer autem, ſi videtur, etiam hanc de hac re, Legē, rectè intelligere cupienti, et exactam, abſolutiſsimamq; harum contemplationum interpretationem magnopere ſcire deſideranti. CYR. Scriptum eſt igitur in Leuitico: Leuit. 4. *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere filijs Iſraël: Anima ſi peccauerit coram Domino nō ſponte in omnibus præceptis Domini, quæ non oportet facere, et faciet aliquid ex illis, ſi quidem pontifex vnctus peccauerit, vt populus peccet et offerret pro peccato ſuo, quod peccauit, vitulum ex bobus immaculatum Domino pro peccato: Et adducet vitulum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, et immolabit vitulum coram Domino. Et accipiens ſacerdos vnctus cōſecratus manus à ſanguine vituli, et inferet illud in tabernaculum teſtimonij, et intinget ſacerdos digitum in ſanguinē, et aſperget à ſanguine ſepties digito coram Domino, iuxta velum ſanctum: et imponet ſacerdos de ſanguine vituli ſuper cornua altaris thymiamatis compoſitionis coram Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij. Et omnem ſanguinem vituli effundet ad baſim altaris holocauſti, quod eſt apud hoſtia tabernaculi teſtimonij, et omnem adipem vituli, qui peccati: et auferet ab eo adipem cooperiens inteſtina: et omnem adipem, qui ſuper inteſtina, et duos renes, et adipem, qui in ipſis, qui ſuper illia: et reticulum, quod ſuper iecur, cum renibus auferet illud, quemadmodum aufertur à vitulo ſacrificij ſalutaris. Et offeret ſacerdos ſuper altare holocauſti, et pellem vituli, et omnem carnem eius cum capite, et extremitatibus, et ventre, et fimo, et efferet totū vitulum extra caſtra ad locum mundum, vbi effundunt cinerem, et comburent illum ſuper ligna in igne in effuſione cineris cremabitur.* Hæc quidem Lex fieri præcepit, ſi quis in ſacerdotio præfectus imprudēter peccauerit. Oportere autem ait, et pro ignorantijs populi ſacrificare ſacrificiū vituli oblati, atq; occiſi iuxta oſtia tabernaculi teſtimonij coram Domino et ſenioribus ſynagogæ, imponentibus ipſi manus, allato etiam ſanguine in ſancta ſanctorum: ac ſemel in vniuerſum, peractis in eo omnibus ad ſimilitudinem ſacrificij Aaron. Cœterum quod quidem et ſacerdotis, et populi

puli purificatio sit Christus, (Iustifica ti enim sumus in eo, labe, quã ex peccato cõtraxeramus, abolita,) per hæc omnino manifestum fuerit. At verò sigillatim de quaq; re dicamus. Ita enim fiet, vt recto ordine sermo procedat, et occulta, quoad eius fieri poterit, explicentur. PAL. Rectè ais. CY. Accipitur itaq; vitulus sine macula, et nondum stimulatus in typũ Christi, qui verè immaculatus est, et peccati vulnus nõ excepit. *Venit enim, inquit, princeps mũdi huius, et in me non inueniet quidquã.* Neq; enim fecit peccatũ, iuxta scripturas. Offertur autem ad ipsa sancti tabernaculi ostia coram Domino, pati quodam modo minimè detrectans pro sancto tabernaculo, hoc est, ecclesia: consecratusq; pro ipsa in odorem suauitatis Deo, et Patri. Idcirco etiam dixit: *Pro ipsis ego sanctifico me ipsum.* Sanctifico dicens, pro offero, et consecro oblationem irreprehensibilẽ Deo ac Patri. Sanctificari enim dicitur, quod consecratum est Deo, iuxta illud alibi scriptum: Laqueus homini celeriter aliquid ex proprijs sanctificare. Post votum enim pœnitere contingit. Quòd autem oblatio accepta, et grata sit, significat in cõspectu Domini fieri. Intelligimus enim iam id, quod scriptum est de pari illo fratrũ, Caim, inquam, et Abel. *Respexit enim, inquit, Deus super Abel, et super dona ipsius. Super Caim autem, et sacrificia eius nõ intendit.* Quòd enim respiciat ea, quæ ipsi placent, quodq; auertat oculos ab ijs, quæ secus se habent, minimè obscurum est. Impositis autẽ vitulo manibus eius, qui peccauit, mactatio perficitur, idq; in conspectu Domini. Ipse enim tollit peccata nostra, et pro nobis affligitur mactatus. Operis enim, atq; actionum typus est manus. Præterea coram Domino mactatur, descendente tantum non vnà et Patre, vt pro nobis moriatur Filius. Neq; enim auertitur mactatum videns, neq; rursum omnino quod patiatur laudans. Non ignorans autem quòd salutare esset mundo pati pro nobis Emanuelem. Quocirca ipse tollit peccata nostra, et pro nobis affligitur in veneranda cruce, mactationem propter nos sustinens. Deinde intingens sacerdos digitum in sanguine vituli, adspergit septies velum sanctum, quod erat super arcam. Nomen autem illi Propitiatorium. Inungit autem etiam cornua altaris thymiamatis. Factus enim est nobis propitiatio, et propitiatorium Christus. Cœterum in sanguine testamenti æterni perfectissimam nobis largitur expiationem. Hoc enim, arbitror, est, septies aspergi sanguine propitiatorium. (Porrò septenarius numerus signum est perfectionis.) Spirat enim suauiter ipsius mors, mũdi salutem, et vitam, conciliationẽq; per fidem. Vnus enim pro omnibus mortuus est, vt viuentes non amplius sibi ipsis viuant? sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit, iuxta scripturas. Quocirca fragantiam odoris mortis significat inungi sanguine septies thymiaterium. Effunditur autẽ sanguis, qui reliquus est, ad basim altaris oblationum in primo tabernaculo. Atqui sanguis, animæ typus est. Posuit autem animam suã Emanuel, non pro sola ex gentibus ecclesia, verũetiam pro ijs, qui in Lege, hoc est, Israël. Redempti enim sumus sanguine Christi summatim omnes Græci

Vitulus sine macula, et nondum stimulatus, Christus.

Ioan. 14.

Sanctificare, pro offerre.

Gen. 4.

Propitiatorij velũ aspergi sanguine septies, quid significet.

Christus mortuus est semel pro nobis, vt nos iam illi viuamus, nõ nobis.

Sanguis, symbolũ est animæ.

pariter et Iudæi: quod et Paulus testatur dicens: *An Iudæorum Deus tantum? An non et Gentium? Certè et Gentium. Siquidem vnus est Deus, qui iustificabit circuncisionem ex fide, et præputium per fidem.* Exemptis autem ab ipsis interaneis vituli, et delatis in altare extra castra deinceps comburitur corpus. Est enim ipse victima sacra fragrans suaui virtutum odore: quarum typi sunt, interanea, et occultæ quodammodo in nobis virtutes, atq; intus in mente recōditæ. Ipse etiam est, qui patitur extra portam, propriæq; carnis morte inquinatos expurgans. Vituli enim cinere aspergens eos, qui communicarint: sanctificat, inquit, ad carnis puritatem. Vnus igitur, atq; idem existēs Emanuel, etiam in sanctis tabernaculis suauem odorem emittit, in ecclesijs, inquam. *Passus autem est etiam extra portam, quo etiam nos exire debere opprobrium eius ferentes,* diuinus Paulus inquit. Offertur autem vitulus etiā pro populi ignorātijs, æqualiter, atq; indifferenter: eademq; planè ratio sacrificij est in omnibus ipse. Pari enim modo obtulit seipsum pro paruis, et magnis: proq; populo, et sacerdotibus Emanuel. An non ita vt dico, esse censes? PAL. Omnino. CYRIL. Visne igitur, vt ad id, quod initio agebamus, sermonem retrahētes, ad eorum quæ in tabernaculo sunt, explicationem redeamus? PAL. Velim certè. CYR. Absolutis itaq; omnibus operibus, sacrisq; vasis suo loco rite dispositis, Deus ea, et tabernaculum sanctificari iussit, ita diuino Moysi dicēs. *Et accipies oleum Chrismatis, et vnges tabernaculum, omniaq; quæ in ea, et sanctificabis eā, omniaq; vasa eius, et erūt sancta: et vnges altare oblationum, et sanctificabis altare, eritq; altare sanctum sanctorū.* Oleo igitur sancto perunctam vides arcā, et mēsam, ac candelabrū in ea, aureū quoq; thuribulū. Atqui per hæc omnia, largo nobis sermone declaratum est, Christū ostēsum esse. PAL. Verè. CYR. Audi verò quid per vocem Dauid, veluti ad ipsum, cantatū sit. *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatē. Idcirco vnxit te Deus, Deus tuus oleo iustitiæ præter participes tuos.* Scribit autem etiam Paulus. *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex vno omnes.* Sciendū porrò est, iuxta irreprehensibilem sermonem, quòd qui alijs omnibus sanctificationis largitor est, atq; vt Deus vnà cū Patre, ac Deo eā impertitur, nobiscum sanctificatur iuxta humanitatē: atq; hoc est id, quod vocatur exinanitio. Cū enim sanctus sit ex sua natura, vt Deus, indiguisse dicitur sanctificante Deo. Atq; hoc inquit B. Petrus: *Iesum à Nazareth, quòd vnxit eū Deus Spiritu sancto.* Vnctio igitur ad humanitatem pertinet, et carnis sanctificatio est, quæ nō secundū suam naturā sancta est, sed tāquam in participatione à Deo. Externè enim creaturis sanctificatio accedit, et aduētitiè à Deo gratiam consequuntur. Vngitur autem simul cum alijs etiā altare cultus legalis. Sancta enim etiā Lex, vocās ad cognitionem secundū naturā Dei, et notitiam iustitiæ auditoribus immittēs, atq; instructos ad principia bonitatis deducens: Principiū enim, inquit, viæ bonæ, facere iusta. Scribit autē alibi etiam D. Paulus, quòd Lex quidē sancta, et præceptū sanctū, et iustum, et bonum. Sācta autē sanctorum Lex, non secundū

Rom.3.

Interanea vituli, typus virtutū animæ.

Heb.13.

Exod.30

Psal.44.

Heb.2.

Christus nobiscū sanctificatur secundum humanitatem.

Exinanitio quid sit.

Act.10.

Lex sancta est, quia vocat ad cognitionē Dei.

Lex sancta sanctorū est ob sensū spiritualem de Christo.

vmbrā:

vmbram: ſed quia ſi ad ſpiritualē contemplationem transferatur, typi nobis Chriſtum ipſum proclamāt, reuera Sanctum ſanctorum. Sanctificat enim vt Deus proprio Spiritu inungens eos, qui ipſius per fidem participes ſunt effecti. Erecto autē iam ſancto tabernaculo, oleoq; delibuto, quæ deinceps requiruntur, ſi videtur, dicamus. PAL. Omnino. CYR. Scriptū eſt igitur hoc pacto. *Et perfecit Moyſes omnia opera. Et operuit nubes tabernaculum teſtimonij, et gloria Domini repletum eſt tabernaculum. Et non potuit Moyſes ingredi in tabernaculum teſtimonij, quoniam obumbrauit ſuper illud nubes: et gloria Domini repletum eſt tabernaculū. Quādo autem aſcendit nubes à tabernaculo, ſoluerunt filij Iſraël cum ſuppellectile ſua: ſi autem non aſcendit nubes, non ſoluerunt vſque ad diem, qua aſcendit nubes. Nubes enim erat ſuper tabernaculo die: et ignis ſuper illud nocte, coram omni Iſraël in omnibus expeditionibus eorum.* Manifeſtata enim in mundo ſancto, ac veriore tabernaculo, hoc eſt, Eccleſia ex Gentibus, lumen Chriſti circunfulſit, et veluti nubes quædam ſpiritualis cœleſti rore largiter irrigans, diuinū templum replet. Præterea non potuit, inquit, ingredi Moyſes. Neq; enim ingreſſus eſt Iſraël, diuini ſplendoris impetum ferre non valens. Siquidem non intellexit Chriſti myſterium, neque illuminationem in Spiritu ſuſcepit, neque mentis oculis gloriam Domini contemplatus eſt: quo tanquam in typo diſcedente quidē ab hoc mundo, et cœleſtia petente, vnà diſcedimus, veſtigijs herilibus inſiſtentes. Inſtaurauit enim nobis recentem, ac viuentem viam, ad ſuperna, inquam, et in cœlo. Quieſcente verò quodammodo, ac diuertente illo, vnà quieſcimus, et diuertimus. Proficiſcente autem nube, proficiſcebatur et populus: quieſcente, caſtrametabatur. Nubes enim erat, inquit, ſuper tabernaculū die: et ignis nocte. Chriſtus enim ſpiritualibus ſuis donis impinguat eos, qui veluti in die: et qui in lumine verſati ſunt: propterea quòd intelligentiam de ipſo acutè, exacteq; acceperint, et mente illuſtrati ſint. Illuminat autem rudiores adhuc. Tenebræ autem in vniuerſum mundani erroris, non ſunt in eccleſijs, circunfulgente ipſas Chriſto, et ſpirituali lumine vniuerſa illuſtrante. *Neq; enim ſumus noctis, aut tenebrarum: ſed filij lucis, ac diei.* ſicut ſcriptum eſt. PAL. Rectè ais. CYR. Sed his relictis, ea, quæ ad leges de tabernaculo datas, quæq; ad oblationes populorum, necnō profectiones, caſtrorūq; metationes pertinent, breuiter explicemus. Ita enim fiet, vt ſermo recto tenore procedat. PAL. Bene habet. CYR. Præcepit itaq; legiſlator, et iudex, vt in ſolo tabernaculo ſancto ſacrificia peragerentur: ea nimirum, vt arbitror, ratione à varia Aegyptiorū idololatria auertens: apud quos multa erant idolorū ludicra, et deorū falſi nominis fœdiſſima caterua, ne ipſis quidem adoratoribus cognita. Vetatur etiam ſacrificare, prout quiſq; voluerit, iuxta illud à Græcorum ſapiētibus indoctè dictū: Alius alteri cuipiam deorum ſacrificabat. Deterrens igitur à friuolo illo, profanoq; vſu, abſurdiſsimaq; conſuetudine in Leuitico rurſum ait: *Loquere Aaron, et filijs eius, et dices eis: Hoc verbū, quod præcepit Dominus, dicens:

Exod. 40

Eccleſia ex gentibus lumine Chriſti lucet.

Nubes diurna, et ignis nocturnus ſup tabernaculū, q̄d ſignificent.

1. Teſſ. 5.

Leuit. 17

dicens: Homo filiorum Israël, et qui additus in vobis; qui immolauerit vitulum, vel ouem, vel caprā in castris, et qui occiderit extra castra, et ad ostium tabernaculi testimonij non ferat, vt offerat donum Domino coram tabernaculo testimonij, imputabitur homini illi, sanguinem effudit, peribit anima illa de populo suo.* Sanguinis igitur fusi, et cædis reus est, qui extra tabernaculū sacrificarit. Seipsum enim quodāmodo interficit propriāque animam interimit, qui à Deo quidem secundum naturā existente eam separans: lapidibus autem, et saxis tribuens, dæmonum imposturis eam cōsecrat. Quòd verò non omnem simpliciter victimam ad ostiū tabernaculi adferri iusserit, sed quod quis velit in sacrificium Deo consecrare, manifestè declarat statim subijciens:* Et non sacrificabunt vltra sacrificia ipsorum vanis, in quibus ipsi fornicabuntur post eos.* Vetat igitur in vniuersum sacrificare indifferenter, cui quis voluerit. Soli autem secundum naturam Deo cultum exhibendū, apertè ait. PAL. Quā pulchrè nobis sermo procedit. CYR. Profuerit autē nobis non mediocriter, si alia etiam ratione intellexerimus vtile, ac necessariū esse in solo sancto tabernaculo sacrificia peragere, sacrasq; victimas offerre. PAL. Quo pacto ais? CYR. An non imaginem, ac typum Emanuelis esse diximus, vitulū in sancto tabernaculo pro sacerdote, et ignorātijs populi mactatum? PAL. Diximus. CYRIL. Oportere igitur dicimus, veluti in tabernaculis sanctis, ecclesijs, inquam, Dei, Christi mysteriū peragi. Hoc enī nobis etiam alibi præceptū est. Initio enim, cum modū, atq; rationem mactandi agni in typū Christi Aegypto egredientibus Israëlitis pręscripsisset, in vna domo comedetur, inquit, neq; efferetis de carnibus eius foras. Infringunt itaq; Dei præceptum sectarij hęretici, præter verè existens sanctū tabernaculum, aliud extruētes, extraq; sacrificantes agnum, et quàm longissimè ab vna domo ablati, diuidentes indiuisibilem. Vnus enim, et perfectus in omnibus Christus. Atqui sapiēs ille sacrorū oraculorū interpres Moyses in Deuteronomio præcepit, dicens: *Caue tibi ipsi, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in locū, quem elegerit Dn̄s Deus tuus in vna vrbium tuarum, illic offeres holocausta tua, et illic facies omnia, quęcūque ego præcipio tibi hodie. Sed in omni desiderio tuo sacrificabis, et comedes carnes secundū benedictionē Domini Dei tui, quā dedit tibi in omni vrbe. Immundus in te, et mūdus simper idem comedēt idem, sicut capreā, vel ceruum. Veruntamen sanguinem non comedetis: super terrā effundetis illū quasi aquam.* Impurissimæ igitur mētis error, et peccatū est, in quouis loco sacrificare audere, et nō in domo Dei Christi mysterium implere. PAL. Rectè ais. Cęterū illud mihi dicas. Sanguinis esum prohibuit Lex: et quidē meritò. Quisnam autem huius rei sensus fuerit? CYR. Ea igitur, quę etiā in Leuitico hac de re edicta sunt, si placet, dicamus. Ita enim se habēt: *Et homo filiorum Israël, vel aduenarum additorum in vobis, qui comederit omnē sanguinem, obfirmabo faciē meam cōtra animam comedentē sanguinē, et perdā eā de populo suo. Etenim anima omnis carnis, sanguis eius est. Et ego dedi vobis illū super altare ad pro-

Agnus in vna domo comedi iussus.

Hæretici significātur per eos, qui extra tabernaculū sacrificant.

Deut. 12.

Sāguinis esus prohibitus, quid significet.

Leuit. 17.

ad propitiandum pro animabus veſtris. Etenim ſanguis eius pro anima propitiabit. Propter hoc dixi filijs Iſraël. Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem: et aduena, qui additus in vobis, non comedet ſanguinem. Et homo filiorum Iſraël, vel ad uenarum additorum, qui venabitur venationem feram, vel auem, quę comeditur, effundet ſanguinem ſuum, et cooperiet illum terra. Etenim anima omnis carnis, ſanguis eius eſt. Omnis comedens illum, peribit.* Vides igitur apertè, quòd ſanguis in typum animæ accipiatur. PAL. Intelligo. CYR. Alienat enim Lex, atque eximit mactatorum corporibus ſanguinem, verum dogma docens, et à nobis ipſis in fide ſuſceptum, atq; eccleſiarum autoritate probatũ: immortalem, inquam, eſſe rationalem hominis animam, quam vnà cum terrenis corporibus mors nequaquam interimit: diſſoluit autẽ potius, et dimittit creator, mortiq; obnoxiam eſſe non ſinit, vitæ participem declarans. *Factus enim eſt homo ab initio in animam viuentem, immittente ipſi Deo ſpiraculum vitæ.* Ita enim ſcriptum eſt. Vitam enim, quæ omnibus vitam largitur, impotentiæ incuſemus: ſi quod ab ipſa creatum eſt ad vitã, vnà cum tẽporarijs corporibus perire dicamus: quin potius ſana approbatione immortalem eſſe credemus, atque ita omnium creatori viſum eſſe, in quo viuimus, mouemur, et ſumus. Atq; hæc quidem eſt, vt arbitror, Legis hac de re ratio. Ad alia verò etiã tabernaculi pręcepta nos cõferamus. Inquit itaq; Deus in Exodo: *Non ſacrificabis ſuper fermento ſanguinẽ victimæ meæ. Infermentatus ſit, inquit, fuſus ſanguinis: et ſuper eo, quod oblatum eſt in ſacrificium Deo fermẽtum, ſiue ſiligo fermentata, non inferatur.* Oportet enim nos expurgatos, et infermentatos quodammodo exiſtentes, hoc eſt, nullam prauitatis, atq; nequitiæ miſturam mente gerentes, noſtras ipſorum animas Deo conſecrare, quarum typus eſt ſanguis. Nouam autem conſperſionem, et infermentatos vocauit etiam diuinus Paulus, qui ſynceram, ac puram, omniſq; prauitatis expertem mentem conſeruarent: per fidem nimirum in Chriſtum, omnibuſq; numeris abſolutam charitatem. *Sed neque dormiet, inquit, adeps feſtiuitatis meæ vſque ad manè, hoc eſt, externum adipem non adferes in odorem ſuauitatis.* In Leuitico autem manifeſtius Legẽ explicat, clariuſq; rem ob oculos ponit, dicens de offerente ſacrificium: *Et ſi votum fuerit, vel voluntarium ſacrificauerit donum ſuũ, quà die obtulerit ſacrificium ſuum, comedetur et cras, et reliquum à carnibus ſacrificij vſque ad diem tertium in igne comburetur. Si autem comederit de carnibus die tertio, non accipietur offerenti illud, non connumerabitur ei, pollutio eſt. At anima, quæ comederit ab eo, inquinabitur.* Triduanũ itaq; ſacrificium reijcit. Quòd verò etiam heſternum reijciat, declarat, dicens: *Si autem ſacrificaueris ſacrificium lætitię Domino, acceptabile vobis ſacrificate illud. Ea ipſa die comedetur: non relinquetur de carnibus vſque ad manè. Ego ſum Dominus, peccatum accipiet.* PAL. Quiſnam verò etiam horum ſenſus fuerit? CYR. Lex nobis in ſuperioribus ſæpenumero præmonſtrauit, quod ſacrę ſcripturæ

Sanguis, typus animæ.

Animã hominis rationalem immortalẽ eſſe fide ſuſceptũ eſt.

Gen. 2.

Exod. 23

1. Cor. 5.

Nouã cõſperſionẽ vocat Paulus animã purã per fidẽ et charitatem.

Exod. 23

Leuit. 19

Scriptura sacra quo pacto tempus vniuersum partiatur

ræ familiare sit, tempus vniuersum partiri, aliquando quidem in duo, nimirum in quo viguit Lex, et in quo illuxit Christus. Aliquãdo verò in tria. Primum, quo iudicia, et leges præscriptæ sunt. Secundum, quo sanctorum prophetarũ chorus effulsit, nisi quòd et sanctorum prophetarum temporibus eadem erat culturæ ratio, veluti in vmbris adhuc secundum Legem. Mane autem facto, siue tertio demũ tempore manifestato, et spirituali lumine, hoc est, Christo, orbem terrarum circunfulgente, discussaq; deinceps veteri caligine, non amplius admittendus est illorum temporum cultus. At si hesterna, aut triduana fuerit pinguedo, siue sacrificiũ, nõ amplius acceptabile est, quin potius execrabile, et reiectitium apud Deum, et piaculi loco censetur huiusmodi intẽpestiua oblatio. An non verũ esse censes quòd vbi semel Christus euangelica doctrina sanctorũ animas illustrarit, atq; ad spiritualen cultũ instruxerit, superuacanea, inutiliaq; sint, quæ in Lege? PAL. Censeo. Memini enim diuini Pauli stercora et damnum vocãtis gloriationem ex Lege, propter prçeminentiam cognitionis Christi. Audio etiã illum quibusdam scribentẽ.

Hesterna, aut triduana sacrificia reijci, q d significet.

Philip. 3

Dico autem vobis, quòd si circũcidamini, Christus nihil vobis proderit. CYR. Rectè ais. Quocirca peccatũ, et inquinamentum est, manifestato Christo, et elapso tempore, quo Lex, et prophetæ vigebant, vmbratili cultui adhærescere, Deoq; offerre velle ouem, aut adipem, aut incẽsum, cum alioqui Filius ipse Deo, ac Patri apertè dicat: *Sacrificium, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata et pro peccato non comprobasti. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptũ est de me, vt faciam Deus volũtatem tuam.* Immaculatam enim victimam seipsum pro nobis consecrans Filius, ea, quæ in Lege sunt antiquauit, quippe quæ peccata tollere non valeant. Finis enim Legis, et prophetarum, Christus. PAL. Optimè dicis. CYR. Per legalem igitur cultũ Pater adiri non potest post perfectionẽ in Christo. Aditur autẽ per solũ Filium. Idcirco etiã inquit: Nemo vadit ad Patrem, nisi per me. Quòd autẽ profanum, atq; imperfectũ sit omne, nisi in Christo, acceptabile verò, et sacratissimum quod per ipsum, et in ipso, manifestum fuerit etiã per ea, quæ Lex in Exodo inquit:

Psal. 39.

Exod. 23. Leuit. 22

Non coques agnũ in lacte matris suæ, quid significet.

Non coques agnum in lacte matris suæ. In Leuitico autem. *Et loquutus est Dominus ad Moysen dicens: Vitulum, vel ouem, vel capram vt genita fuerit, et erit septem dies sub matre sua: at die octaua, et vltra accipietur ad oblationem sacrificium Domino. Et vitulum, vel ouem ipsam, et filium eius non iugulabitis die vna.* Oues igitur recens natas, et lactantes adhuc mactare non sinit. Ostendens, quòd imperfecti adhuc, et veluti exigua, infirmaq; prudentia præditi, nõdum quidem sacri sunt, atq; ideo nondum accepti sint Deo: cuiusmodi quidam erant insipiẽtes, ac negligentes, quibus Paulus ita scribit: *Etenim cũ debeatis pro tẽporis ratione magistri esse, rursum indigetis, vt doceamus vos, quæ sint elementa initij eloquiorũ Dei: factiq; estis ij, quibus lacte sit opus, et nõ solido cibo. Perfectorũ autem est solidus cibus.* Imperfectũ igitur adhuc est, quod in lacte est, et subrumum, secundũ prudẽtiam, inquã, et ro

Heb. 5.

et robur spirituale. Trãsferamus autẽ rursus sermonem veluti ex typo rerũ manifestarum, quæq; sub sensus cadunt, ad ea, quę à sensibus remota, spiritualiaq; sunt. Et quidẽ quod omnia in Christo integra, perfectaq; factu sint, optimè intelliges. Animalia enĩ, quæ Deo offeruntur, et consecrantur, per septem dies subruma esse debere inquit. Octauo autem die, atq; vltra, oblationibus, sacrificijsq; diuinis apta fore. PAL. Non admodũ manifestus est sermo. CYR. An non octauam, resurrectionis Saluatoris diẽ esse dicis; et veluti principium noui seculi, eo; qui secundum Legem fuit, tanquam in septem primis diebus significato? PAL. Dico. CYR. Profanum itaque, et oblationi aptũ non est, quod adhuc veluti in tempore Legis, nimirum in cultu carnali cõsistit. Accepta autem Deo est oblatio, quæcunq; in Christo est octauo die, et vltra. Indesinens enim est vocatio in Christo à resurrectione initium sumens. Quod ipsum cum sciret Filius, alibi quidem inquit: *Cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me.* Alibi verò. *Amen dico vobis: Nisi granũ, quod ceciderit in terram, mortuum fuerit, ipsum solũ manet. Si autem mortuũ fuerit, vberiorem fructum feret.* PAL. Rectè ais. Illud autẽ nõ debere occidi matrẽ simul cũ filijs eâdẽ die, quidnam rursum significet? CYRIL. Constitutis optimè de Christo legibus, perfectioneq; per ipsum elegãter prædicta, non ignorauit Deus Iudæorum incredulitatem, et ciuitatis Ierusalem duritiem: quòdq; hac de causa perituri essent, vt Domini sui interfectores, contumeliosi aduersus Filium Israëlitæ. Cœterum nõ in vniuersum radicitus peribit Ierusalem: manebit autem veluti orbata filijs, extremum, atq; in vltimis tempus expectans, in quo etiam ipsa saluabitur, à tergo Gẽtium constituta, retro ad tergum, hoc est, post gentes, iuxta Psalmistæ vocẽ: *Quia pones eos deorsum.* Omnis enim Israël saluabitur, Gentium grege diuinis stabulis prius immisso. Nõ sinit igitur Lex, interitum cum extrema pernicie coniunctum fieri, iram nimirum aduersus incredulos benignitate mistam esse ostendens. In hoc ipso autem, arbitror, typum quodam modo quendam ponens cognitionis necessarię. Nequaquam enim ea, quę existunt, ad nihil redigentur, immodico interitu oppressa: permanebunt autem veluti successionibus quibusdam hoc in illo, illo verò in hoc fortasse saluata: abhorrente nimirum ex ingenita ipsi natura à creaturarum suarũ vniuersali interitu. Creauit enim omnia, vt essent: et salutares sunt generationes mundi, vt scriptum est. Conueniebat autem etiam huiusmodi rerum prædictio, atq; etiam declaratio, sermonibus de Christo, per quẽ, et in quo corrupta saluantur: et quod morte oppressum est, refloruit ad vitam. Interijt enim veluti in Adam radix humani generis, tanquam mater quædam. Cœterum qui ex ipsa, hoc est, nos refloruimus in Christo, et sumus, atque saluamur, vitam habentes ipsum, ac veluti secundam generis radicem. PAL. Quàm bene, eleganterq; sermo hic se habet. CYRIL. Dignum verò est, quod ijs, quæ dicta sunt adijciatur. *Non plantabis tibi ipsi lucum. Omne lignum apud altare Domini Dei tui non facies tibi.* Vide enim quo pacto verita-

Oues sub brumas a primo vsque ad octauũ diẽ et vltra sacrificandas nõ esse, quid significet.

Octaua dies, tempus resurrectionis Christi.

Vocatio Christi, a resurrectione initium sumit.

Ioan. 12.

Ibidem.

Iudęi post ad dorsum Gẽtium, quid significet.

Psal. 20.

Deus creauit omnia, vt essent, et a creaturarũ interitu abhorret.

Radix humani generis in Adam perijt noua radix in Christo producta est.

Deut. 16.

veritatis cultorē ab idololatrico errore invniuersum abducat, minimè quidem permittens Græcorum ritibus vti, sed quàm longissimè ab eorū moribus discedere precipiens, tametsi nihil mali fortasse in se contineant, etiā si fiant. PAL. Quidnam ais? CYR. Græci apud frondosissimas arbores, maximeq; opacos lucos delubra dæmonibus erigebant: eisq; sacrificabāt. Oportebat enim, vt mens citius abduceretur, delubris dæmonum, mundana etiam oblectamenta adijci. Mendacium enim ex sē imbecillum est, ornatur autem sæpenumero externo quodam fuco adhibito, quemadmodum ferè mulieres parum honestæ. Diuinum autem altare veritatis pulchritudine prefulgens, quibusnam externis auxilijs indigeat, siue vanis ornatibus? Neq; enim per mundanas oblectationes aditur Deus, neq; remissa quodammodo mente, et ad carnalia vergente, sed veluti vigilanti intellectu, multumq; ad superna respicieēte. Et in cœlis siquidem omnino fuerit, et sub ramis fortasse, veluti casu factū diuinum tabernaculum, nihil planè hoc firmo, ac syncero Saluatoris cultori nocuerit. Quoniam verò Græcanicus planè ritus est, fugienda est eius imitatio, consuetudinisq; similitudo: quemadmodum enim fideli menti, quæq; ad veritatis cognitionem processerit, idolum quidem nullum in mundo, sed neq; idolothytum, siue sacratum idolis aliquid est. Porrò comedere non permittit, etiam alio præcipiente, ob infirmorum consciētiam.

Mendaciū ex se imbecillū est, nisi externo fuco ornetur.

Ethnicorū rituū imitatio etiā si nihil noceat, vitanda est.

1 Cor. 10 *Cur enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Quod si ego cum gratia participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago?* Probatur itaq; hæc res à Deo: abhorrere, inquam, à Græcorum imitatione, nimirum in altarium situ, ritibusq;, ac modis in eorū religione receptis. PAL. Assentior. CYR. Quòd verò oporteat offerre in gloriam Dei, neque vacuis manibus ad tabernaculum eundū esse, sacra scriptura nobis rursum in Numeris declarat, dicens: *Et factum est die, qua consummauit Moyses, vt erigeret tabernaculum, et vnxit illud, et sanctificauit illud, et omnia vasa eius: et altare, et omnia vasa eius: et vnxit ea, et sanctificauit ea. Et obtulerunt principes Israël, principes domorum familiarum suarū. Hi principes tribuum, hi præfecti super gubernatione. Et obtulerunt dona sua coram Domino, sex plaustra tecta, et duodecim boues: plaustrum à duobus principibus, et vitulum ab vnoquoq;, et obtulerūt coram tabernaculo. Et dixit Dominus ad Moysen, dicens: Accipe ab eis, et erunt ad opera ministratoria tabernaculi testimonij, et dabis ea Leuitis, vnicuiq; iuxta ministerium eius. Et accipiens Moyses plaustra, et boues, dedit ea Leuitis.* Num. 7.

Neq; verò hæc tantùm dona obtulerunt principes tribuum: oblata enim sunt etiam alia. Scriptum est enim: Et obtulerunt principes ad dedicationem altaris in die, in qua vnxit illud, et obtulerunt principes dona sua coram altari. Et dixit Dominus ad Moysen: Princeps vnus per diē, princeps vnus per diem offerēt dona sua ad dedicationem altaris. Et fuit offerens die primo donū suum Naason, filius Aminadab, princeps tribus Iuda. Et obtulit donum eius, discum argenteum vnum, triginta et centum pondus eius: phialam autem argenteam

Oblatio principū ad encænia.

team

team ſeptuaginta ſiclorum, ſecũdum ſiclum ſanctum, vtraq; ſimilæ plena confectæ ad ſacrificium: mortariolũ vnum decem aureorum, plenũ incenſi: vitulum vnum è bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocauſtũ: et hircum ex capris vnũ pro peccato, et in ſacrificium ſalutaris vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnas anniculas quinq;. Hoc donũ Naaſon filij Aminadab. Obtulerunt autem etiã ita deinceps ad duodecim vſque eâdem planè ratione, ſimili per omnia liberalitate, ſiue magnificentia, deſignato cuiq; particulatim ſtato die. Ita enim Deus prę ceperat. PAL. Quænam verò fuerit adeò variæ oblationis ratio? CYR. Oblatio quidem res ipſa eſt, Palladi, myſtica autem, vt arbitror, ratio in ea latet, in Emanuelem, et in nos ipſos figuram transferens. Dicam autẽ, quoad potero, rurſum. Manifeſtato enim in hoc mundo ſancto, veroq; tabernaculo, hoc eſt, eccleſia, multifariam in ipſa lucens Chriſtus, et tantum non à nobis, ac pro nobis, veluti ſanctum ſacrificium offertur Deo, ac Patri piaculare omnium noſtrum vitæ precium, vnus omnes ęſtimatione æquãs. Quum enim homo factus eſt, tãquam vnus noſtrum ſeipſum obtulit Deo et Patri, veluti primitiæ quædam humanæ naturæ ſuauiter fragrãtis in ſanctificatione, naturaliter quidem, et ſubſtãtialiter in exiſtenti, quatenus intelligitur, et eſt Deus, diſtincto autem rurſum quoad humanitatem. Vnus autem exiſtens, etiam ipſe varijs modis deſcribitur, vt in principum oblatione. Sacrificatur autẽ quodammodo etiam nunc Chriſtus, multifariam pro temporum ratione per præfectos cõſideratus, varijsq; nominibus inſignitus. Et quotidie fit oblatio, indeſinentiam quodammodo, ac perpetuitatem ſacrificij Chriſti in omni die, oblationisq; eorũ, qui in fide iuſtificati ſunt, re nobis ſignificãte. Neque enim defuturi ſunt adoratores, neq; oblationis inopia eſt futura. Offeretur autẽ à nobis, et pro nobis Chriſtus myſticè ſacrificatus in ſanctis tabernaculis. Ipſe verò prima, ac præcipua noſtra oblatio eſt. Obtulit enim ſeipſum in ſacrificiũ Patri: neq; pro ſe ipſo potius, iuxta verum ſermonẽ, ſed pro nobis, qui ſub iugo, et nota peccati eramus. Porrò iuxta ſimilitudinẽ cum ipſo, nos etiam ſumus ſacrificia, morientes quidem mundo, emortuo quodãmodo in nobis peccato, viuẽtes autem Deo vitam in ſanctimonia, et pietate. Hoc enim nobis ſubindicare videtur principũ oblatio, quam etiã ſingulatim inueſtigantes rectæ rationis adminiculis, quo pacto rectè habeat, visne iterũ, quoad eius fieri poterit, dicamus? PAL. Omnino. CYR. Oblatus quidẽ eſt à ſingulis vitulus. Oblati autẽ ſunt in ſacroſancti tabernaculi operũ vſus ſex numero currus. Deinde à ſingulis diſcus argenteus vnus, et phiala vna, et vtraq;, inquit, plena ſimilæ confectæ in oleo, mortariolum vnum plenum incenſi, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocauſtum: hircus ex capris pro peccato. Et hæc quidem holocauſtomata. Obtulerunt autem etiam in ſacrificium ſalutaris, inquit, vitulas duas, arietes quinq;, hircos quinque, agnas anniculas quinque. PALLA. Dic igitur, et ante alia hoc interim, quidnam intereſſe dicat quis inter ſacrificium ſalutaris, et holocauſtoma? CYRIL. Audi

Oblatione quoti die fieri, quid ſignificet.

Nos quo pacto ſimus ſacrificia.

Holocauſtoma, et ſacrificiũ ſalutaris, quomodo differant.

Audi itaque. Holocaustomata enim animalium tota per tota sacro perpetuoq; igne comburuntur, nemine quidquam eximente, sed quodammodo omnibus membris, ac particulis in odorem suauitatis ascendētibus ad Deum. Quæ verò pro salutari sacrificio mactantur, particularem consecrationem suscipiebant: vt in humero dextero, capite, et pedibus, renibus et hepate, atq; alijs quibusdam interaneis. Conuenit itaq; Christo, totum sacrificari. Est enim reuera totus sanctus fragrans odore totus, et sanctus. Nobis autem propriū est, non in vniuersum sanctos esse, neq; omni ex parte sacros, quibus aliquid etiam inquinamenti inest, propter peccatū, quod in nobis. *Nemo enim mundus est à

Psal.18. sordibus.* Et, Delicta quis intelligit?*iuxta id quod scriptum est. Idcirco sacrificium pro salutari nō totum comburi, sed ex parte tantum consecrari debere Lex optimè præcepit. Manifestus itaq; tibi hic sermo, Palladi, ac sufficiens ad rectam horum intelligentiam fuerit. PAL. Omnino. CYR. Age igitur, illud aggrediamur de singulis, inquam, quæ oblata fuerunt, aliquid dicendum, atq; intelligēdum, quod vtile nobis sit. PAL. Age itaque. CYR. Oblata sunt à singulis principum discus argenteus vnus, et phiala vna, vtraq; plena simila, confecta ex oleo. Discus quidem esculentis seruit, et obsonijs continendis accommodus est, sicut ipse etiam Saluator docuit, rogante Ioanne discipulo suo,

Matt.26 quisnā ipsum esset traditurus: *Qui intinxit, inquit, mecum manum in discum.* Phialæ autem vsum dicere, quid attinet, cum res ipsa hoc dicat? Panis verò signum est, simila: quia ex ipsa fit panis. Panis autem vitæ, Christus. Quocirca veluti in disco, et phiala, ac tanquam in pane in vtrisq; contento, (plena enim erant similæ,) veluti in esu, ac potu vita, et viuificans Christus significatur. *Amen enim dico vobis, inquit, nisi comederitis carnem filij hominis, et bibatis sanguinem ipsius, non habetis vitam in vobis ipsis.* Similam autem oleo conspersam inquit: hoc ipsum in psalmis decantante quodammodo typo. *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatē: propter hoc vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præter participes tuos.* Mortariolum autem figura est, ac species thuribuli, instar mortarioli facti. Plenum autem etiam hoc incenso. Bonus enim odor: et thuribulū, Christus: non exterius autem suauitatem odoris habens, quemadmodum ferè et nos ipsi iuxta participationem virtutis, et sanctimoniæ secundum pietatem id consecuti sumus: sed ex se, vt Deus: atq; in propria natura possidēs ea, per quæ admirabilis existit, et vniuersum terrarum orbem implet supermundano, creaturamq; omnem excedente odore. Deus enim naturā, ac verè existens, et odorem scientiæ Patris in propria natura cōtinens optimè cognoscitur. Plenum itaque est mortariolum incēso. Idcirco offertur vitulus, et aries, necnon agnus, et hircus ex capris, et per omnia ipse describitur. In vitulo quidem, ob ingens robur, quodq; vitulus reliqua animantia mansuetudine, munditieq; antecellat, ac veluti magnitudine corporis excedat. In excellentia autem spirituali omnia sunt Christi, ipseq; omnibus incomparabili differentia superior, præstantiorq; est. In ariete autē, ob per-

Discus, et phiala quid significēt.

Ioan.7.

Simila oleo conspersa.

Num.7.

Psal.44.

Mortariolū plenū incēso, quid significet.

Christus varijs nominibus significatur in vitulo, ariete, agno, et hirco.

ob perfectionem. In agno ob innocentiam. *Ego enim, inquit, sicut agnus innocens ductus ad sacrificiũ, non cognoui.* In hirco autem, quod pro peccatis mactetur. Hircus enim sacrificium est pro peccatis, secundum Legem. Adijt enim pro nobis mortem Emanuel, et à veteribus peccatis redempti sumus, per eam, quam pro nobis sustinuit, immolationem. An non hoc ita esse censes? PAL. Omnino. CYR. Animaduerte autẽ, quòd oblati quidem sunt vituli, datiq; in opera tabernaculi, vt dum castra mouerẽt, ipsi illud in curribus gestantes, sacerdotes eo onere, atq; labore leuarent. Requiescit enim in Christo ecclesia, ipseq; nos gestat, neq; laboribus vires humanas excedentibus premi sinit sanctum, ac venerandum genus, populumq; sanctorum operum peritũ. Hoc igitur pacto ad Christum referenda sunt, quæ diximus. Quæ verò in sacrificium salutaris obtulerũt rursum veluti pro seipsis principes, consecrantes se quodammodo sancto tabernaculo, et in odorem suauitatis Deo offerentes. Vitulæ autem erant duæ: arietes quinque, hirci quinque, agniculæ quinque, et vitulus quidem vnus Christus. Vituli autem rursus, et sermo nobis de vtrisque non inutilis, verus autẽ potius, ac manifestus. Masculum enim semper principem locum obtinet, et in honore, ac gloria est apud Deum; testisq; est natura rem ipsam confirmans. Inferius autem, ac debilius est fœmininum genus, et à masculorum robore, ac gloria longè abest. Est igitur tanquã in masculo vitulo dux quidem noster Christus. Subditi autem sumus nos, longeq; inferiore præ ipso robore, et gloria, incomparabili interstitio ab eo distincti. Tametsi enim factus est vt vnus nostrum, (vnius enim speciei sunt vitulus, et iuuenca,) sed multo præstantiora sunt, quæ ipsius sunt. Quis enim comparabitur Deo in filijs Dei? Iuxta nos etenim simul, et supra nos Christus in deitatis sublimitate, tametsi caro factus est. Porrò duo iuuencæ duorũ, arbitror, populorum typum præ se ferunt, ex duobus in vnum concurrentium, cõferentes in vnitatem spiritualem per fidem, qui propter nos nobiscum factus est. Arietes autem rursus, et agni æquales numero, hirci etiã nihilominus credentium multitudinem significantes, quæ veluti in quinto tempore congregata est, in quo aduentus eius, qui dicit: Quando exaltatus fuero à terra omnes traham ad me ipsum. Significatur autem per arietes quidem, credentium in prudentia perfectio, et spiritualis ætatis, in Christo nimirũ, firma cõstitutio. Per agnos verò, simplicitas, atq; innocentia. *Ne enim inquit, fratres sitis pueri sensibus, sed malitia pueri sitis, sensibus verò perfecti sitis.* Per hircos autem pro peccatis significatur, nos semper egere purgatione, et remissione peccatorũ. Ideoq; docti sumus in orationibus dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Nullum enim tempus est, quo nõ clamare necesse sit eos, qui verè cordati sint, et humanæ naturæ imbecillitatem exploratam habeant: *Delicta quis intelligit? Et, Ab occultis meis libera me.* Hoc est sacrificium spirituale, et pro salute nostrarum animarum suauitatis odorẽ Deo fragrans. PAL. Ita est. CYR. Christum igitur dixi, veluti in vitulo, et arietibus, agnisq;

Ierem. 11

Vituli oblati in ministeria tabernaculi, quid significẽt.

Duæ iuuencæ Nume. 7. oblatæ a principibus, duos populos significant.

Aries, prudẽtię perfectione agnus innocentiã significat.

1. Co. 14

Hircum pro peccatis offerri, qd significet.

Matth. 6

Psal. 18.

agnisq;, et hircis, alijsq; significari, neq; hunc sermonem quidquam à recto aberrare censeo. Si autem quis velit etiam ad nos ipsos sententiæ vim transferre, nihil obest, quin huiusmodi quandam contemplationem propositæ rei accómodemus. PAL. Qualemnam ais? CYR. Oblata sunt ex Legis præscripto ab omni Israël sacra sacrificia. Affundebatur autem diuino altari mactatorum sanguis, describête tantum non veluti in vmbra hac re, quòd Deo sancto nostras ipsorum animas consecrare oporteat. PAL. Rectè ais. CYR. A nobis ergo, et pro nobis sacrificia, et nos sumus in ipsis secundum typum sacrificati? PAL. Verum est. CYR. Cœterum age inuestigantes accuratè, quæ ab omnibus oblata sunt per principũ manus, spiritualis cõtemplationis pulchritudinem intueamur. Erant itaq;, quæ in vasis argenteis, disco, inquam, et phiala oblata fuerunt, simila oleo conspersa. Signum autem splendoris est argentum. Vitæ verò simila: vtpote ex qua panis fiat conseruans ad vitã. Porrò lætitiæ signum est oleum. Offeratur itaq; etiam à nobis ipsis supremo Deo, veluti in splendore, vitæ lætitia cum spe in Christo. *Spe enim gaudentes,* inquit. Quo pacto verò non sint supernæ lætitiæ pleni, Saluatoris nostri præceptorum custodes, qui præclaram vitam optimè administrarunt, quibus larga gloriæ ipsius participatio à Deo reposita est? *Mortui enim estis, inquit, et vita vestra abscõdita est cum Christo in Deo. Quãdo Christus manifestatus fuerit vita nostra, tunc et vos manifestabimini cum illo in gloria.* Simila itaq; oleo conspersa. Inest enim sanctorum vitę etiã veluti in spe gloriæ lætitia, cum splendore nimirum, qui in sanctitate et iustitia est. Aureum verò mortariolum plenum incenso, sanctorum pulchritudinem significat: ac tanquam in vasculis electis fragrantiam in sanctitate. Deinde donum veluti quoddam odoratissimum revera. An non, Palladi, splendida vasa et electa sanctos esse censeamus? PAL. Omnino. CYR. Vitulus autem à singulis oblatus est: et duodecim quidem in vniuersum vituli. Gestant verò sanctum tabernaculum duo ad vnum currum applicati, et sub vnum iugum missi. Typus autem res hæc fuerit duorum populorum, qui non amplius dissimilitudine dogmatũ, ac vitæ disiuncti, sed patienter, fortiterq; sub vnum Saluatoris iugum adducti sint. *Viriliter enim age, inquit, et cõfortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Patiens autem, robustissimumq; animal est vitulus. Huiusmodi verò omnino fũt pietatis cultores, iugum quodammodo ipsis impositum gerentes, Christũ veluti in sancto tabernaculo præsignificatum. Corpus autem ipsius, ecclesiam diuinus etiam Paulus vocauit. Dictum verò etiam est ab ipso, Paulo inquam, ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electum est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus.* Aries autem præter hæc, et agnus offeruntur, vetere, et nouo populo offerente, accessum ad Deum, ac veluti consecrationem, spiritualem nimirũ, subindicantes. Quemadmodũ enim tolerantia, et fortitudo in vitulis significata est, eâdem, arbitror, ratione in ouibus, oblatio in mansuetudine eorum, qui per fidem in Christo iustificati sunt, manifestè declaratur. Mite enim,

Simila oleo conspersa in disco, et phiala argẽteis oblata, qd significent.

Argentũ signum splendoris.

Simila, signum vitæ.

Oleum, signum lætitiæ.

Rom. 12

Coloss. 3

Mortariolum aureũ plenũ incenso, quid significet.

Duo vituli sub vno iugo tabernaculum gestãtes, quid significent.

Psal. 26

Ecclesia, Christi corpus.

Act. 9

Vitulus, typus roboris, et patiẽtis.

Ouis, vtilitatis, et mansuetudinis.

enim, ac fructuosum animal est, ouis. Huiusmodi autem omnino sunt, qui vitam euangelicam accuratè obseruant: quibus Christus ipse inclamauit: *Omni petenti te, da: et à tollente tua, ne repete: et percutienti te in dexteram maxillam, præbe ipsi etiã alteram.* Scribit autem etiã Paulus. *Seruum autem Domini nõ oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, in mansuetudine docentem eos, qui obsistunt.* Prædictis autem capræ oblationem adijci debere, nihil aliud, opinor, significarit, præterquã quod modò dixi, omnes indigere (etiã si quidam bono sint habitu præditi,) purgatione per pœnitentiam, et peccatorum obliteratione. Cuius rei probè conscius Dauid, inquit: *Si iniquitates obseruaberis Domine, Domine quis sustinebit?* Hircus igitur pro remissione, sacrificium iuxta veterem legem. Pœnitẽtia autem nunc, et obliuionis deprecatio, victima est, quam in spiritu, et veritate Deum accedẽtes offerimus. *Dic enim, inquit, peccata tua primus, vt iustificeris.* Quin et Dauid alibi ita canit. *Edisseram contra me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti iniquitatem cordis mei.* Manifestus itaq; tibi deinceps fuerit, de principũ oblatione sermo. PAL. Est. CYR. Atqui illud etiam dicendum censeo. Oblato iam à singulis, ac veluti supra omnia sacrificio, Deus in sancto tabernaculo ad Moysen loqui cœpit. Ita enim rursum in Numeris scriptum est:* Hæc dedicatio altaris, postquã impletæ sunt manus eius, et postquam vnxit illud, cũ ingrederetur Moyses in tabernaculũ testimonij ad loquendum illi. Et audiuit vocem Domini loquentis ad eum desuper propitiatorio, quod est super arcam testimonij in medio duorum Cherubin, et loquebatur ad ipsum.* Perfecto enim sancto tabernaculo, et manifestata mundo vera sanctificatione, quę est ecclesia, tunc demum vox Dei ad nos edita est Dei ac Patris. Loquutus est enim nobis in Filio, quem et Propitiatorium esse dicimus pro peccatis nostris, iuxta scripturas. Supra Cherubin autem loquitur. Superior enim omni creatura est Deus: essentialem, atq; in existẽtem vltra omnia, quæ creata sunt dignitatem, præeminentiamq; obtinens. Transmittẽs autem in nos supernas, et à Patre voces, dixit Filius vera propitiatio.* Verba, quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius, qui misit me.* Quocirca supra propitiatorium facta est vox. Mireris autem non parum, si principum accessum consideres. Statuto enim vnicuiq; particulatim die, quo mandata exequi oporteret, et donum offerre, accesserunt quidem ordinatè ex legislatoris præscripto. Cœterum non iuxta generationis ordinem, siue ætatẽ: sed neq; promiscuè, atq; cõfusè, at potius veluti mystica quadam serie constituti. PAL. Quidnam sit, quod velis, non satis assequor. CYR. Visne dicamus seriem descendentium ex Iacob? Ita enim manifesta fiet accesus eorum varietas. PAL. Velim equidẽ. CYR. Est igitur primogenitus quidẽ Ruben: ab hoc autem Simeon, Leui, et Iudas ex matre Lia. Bala autem seruula peperit Dan, et Nephtalim. Et Zelpha quidem ancilla Liæ, Gad, et Asser. Lia quidem præter alios quatuor, Isachar, et Zabulon peperit. Nati autem sunt etiam à Rachel Ioseph, et Beniamin. Primi igitur ex Lia: qui

Matth. 6 | 2. Tim. 2 | Psal. 129 | Esai. | Psal. 31 | Taberna culo absoluto, Deum Moysi loqui cœpisse, qd significet. | Num. 7. | Deus supra Cherubin loqui, qd significet. | Ioan. 6. | Series descendentiũ ex Iacob.

ex libera nati sunt, quatuor fuerunt, Ruben, Simeō, Leui, et Iudas. Ex duabus autem seruis Bala, et Zelpha, quatuor, Dan, Nepthalim, Gad, et Aser. Alij autē rursus præter hos quatuor, duo quiden ex Lia, Isachar, et Zabulon. Ex Rachel autem Ioseph, et Beniamin. Porrò memoria repetendum est sortem Ioseph in duas tribus diuisam fuisse, in Ephraim, et Manassen ex ipso natos. PAL. Intelligo quidem nominum ordinem: quorsum verò pertineat, aut quid significet, tuum iam est declarare. CYR. Procedentes, Palladi, vnà cum donis suis, hoc fecerunt, non secundum ætatem, sed primus quidem Iudas, tametsi quartus temporis ratione esset, nonus autem post ipsum Isacar, et decimus Zabulon. Secunda verò post hos classis, Ruben primogenitus. Secundus autem ab hoc Symeon, quibus adiūctus est Dan ex serua. Post hos tertius ordo ex tribus liberis, Ephrain, Manasse, et Beniamin. Quarta verò atq; vltima classis eorum, qui ex seruis nati erāt, qui rursum tres sunt, Dan, Aser, et Nephthalim: tametsi ortus tempore superiores essent eis, qui in ordine præcedebant: Ephraim, inquam, Manasse, et Beniamin. An non accuratā de his inuestigationem necessariam censes? PAL. Maximè. Quænam igitur horum ratio sit, explicare tenta. CYR. Equidem iudicarim rem hanc figuratè significare, quòd priorem locum apud Deum obtineant, quæ per Christum sunt, quàm quæ per Legem: quodq; facti sint primi nouissimi, et nouissimi primi. Qui enim veluti in tempore antiquiores sunt, atq; ob id primogeniti, hoc est, Israël, post gentes incedunt: quiq; spiritum serui

Ordo principū in oblatione, spiritualiter declaratus.

Marc. 10

tutis habebant, et Ierusalem seruiētis filij præcedere in gloria concedent ijs, qui ex libera sunt, quæ est mater nostra, qui in Christo iustificati sumus, et in liberam dignitatem vocati per spiritum liberū. Vide enim, si placet, contemplationum acumen. Prima enim offert munus suum tribus Iuda, ex qua ortus est secuudum carnem Christus: ac post illam statim tribus Isachar, et Zabulon. Ambo autē erant liberi, et ex liberis. Deinde Ruben primogenitus, et Symeō, et Gad, qui est ex serua. Significatur autē per hos Israël. Atqui age de singulis dicamus ex prophetia de ipsis per Iacob facta ea colligentes. Inquit igitur diuinus Iacob: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium filiorum meorum, durus ad ferendum, et asper, contumax. Et rursum: Symeon, et Leui fratres consummauerunt iniquitatem propositi sui. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non contendant iecora mea, quia in furore suo interfecerunt homines, et in cōcupiscentia sua subneruauerunt taurum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: et ira eorum, quia indurata est. De Gad autem rursus ita inquit: Tentatio tentabit eum: ipse autem tentabit eum iuxta pedes.* In Ruben igitur significetur verisimiliter Israël: primogenitus quidem ratione temporis: durus autem, et contumax, et iniuriosus. In Symeon autem, cui etiam coniungitur Leui, quòd promptus ad fundendum sanguinem, quique sanctos interfecerit. Quem enim, inquit, prophetarum non occiderunt patres vestri? Subneruauit autem quodammodo

Per Christum primi facti sunt nouissimi, et nouissimi primi.

Gen. 49.

Rubē, typus Israelitarum, quia durus, et in cōtumeliam pronus.

modo

modo etiam taurũ, qui eſt Chriſtus. Neq; enim ſolus hic ex Iudæis deprehenditur grauia aduerſus ſanctos, et Chriſtum facinora comiſiſſe. Adiungitur autem his etiam Leui, hoc eſt, genus ſacrum, altari aſsidentes, ſcribæ, et phariſæi. Idcirco primi patres Iacob prophetijs cõiungitur Simeoni etiam Leui. In Gad autem, qui eſt ex ſerua, et tentatio, quòd ignobili mente, et tentans Ieſum, et laqueos tetenderit ex eorum verſutijs. Acceſſerunt enim dicentes: Licet dare tributum Cæſari, necne? Referam igitur ſermonem ad caput, qui temporis ratione primogenitus eſt Iſraël, qui durus, cõtumax, et iniurioſus, qui procliuis ad fundendum ſanguinem, qui execrabili ira laborat, qui homines interficit, qui ſubneruat taurum: qui degenere animo, et inſidioſo, ac fraudulento eſt præditus, qui tendit laqueos, et tentat, poſtponuntur ijs, qui in Chriſto ſunt, et liberis: etſi liber poſt nos, ęgrè tandem in conſpectu Dei cõſtituitur. PAL. Rectè ais. CYR. Intellexeris autem, quod dico, ſi ea, quæ deinceps dicuntur, diligẽtius animaduerteris. Tres enim vnius inter ſe claſsis deinceps obtulerunt, ex libera Rachel nati, Ephraim, Manaſſes, et Beniamin, qui etiam generati ſunt ex Ioſeph, Ephraim, et Manaſſe. Deinde tres alterius ordinis eos ſubſecuti, qui ex ſeruis nati ſunt: Dan, inquam, Aſer, et Nephthalim. Intelligis igitur, quòd primi accedant, et præferantur, qui ex libera. Sequũtur autem, qui ex ſeruis. Nonne hoc manifeſtè eſt, quod ipſe diuinus Paulus nobis ſcribit? *Quãdo enim, inquit, plenitudo gentiũ aduenerit, tũc omnis Iſraël ſaluus erit.* PAL. Rectè ais. Subtilis enim obſeruatio eſt admodum. CYR. Quòd autem res minimè ficta ſit, facilè admodum intellexeris. Deducat enim nos etiam alijs rationibus ſermo. Decenti enim ornatu fieri oportere Deus prçcepit caſtrorum motiones, et metationes filiorum Iſraël. Circumire etiã tabernaculum ritè mandauit, iuxta illud, arbitror, à beato Dauid elegãter cantatum: *Circundabo altare tuum Domine, vt audiam ego vocem laudationis tuæ.* Aut illud. *Circundederunt, et ſacrificauerũt in altari tuo ſacrificium iubilationis.* Subindicat autem aliud quid, hoc quod veluti in typo fieri iuſſum eſt. Oportet enim nos, nequaquam à Deo ſeparari, ſed iuxta quodammodo, et in circuitu conſtitutos cerni, non interponente ſe peccato, neq; mundanis voluptatibus nos ab eo ſeiungẽtibus, ſed in vnitatem ſpiritualem colligente nos rectæ mentis præſtantia, promptitudineq; ad quoduis opus laude, admirationeq; dignus. Decet enim in primis eos, qui hoc pacto illuſtres eſſe velint, dona offerre. Scriptum eſt enim, quòd omnes in circuitu ipſius dona offerẽt. Quocirca vnà cũ tabernaculo ipſos proficiſci iuſsit, et in circuitu eius ire, ac veluti in ordine rurſum, non ætatibus conueniente, et impromiſcuè eunte ad vltimos à primis, cõiunctos autem ita, et ſingulatim ſicut in donorum oblatione. Scriptum autem eſt ita rurſum in Numeris: *Et loquutus eſt Dominus ad Moyſen, et Aaron dicens: Homo coniunctus ſecundum ordinem ſuum, ſecundum ſigna, ſecundũ domos familiarũ ſuarum, caſtrametẽtur filij Iſraël è regione Domini, in circuitu tabernaculi teſtimonij, caſtrametabũtur filij Iſraël.

Leui, typus ſcribarũ, et phariſęorum.

Rom. 11.

Iſraelitæ in circui tu tabernaculi, quid ſignificẽt.

Pſal. 25.

Num. 2.

Deinde locum vnicuiq; designatum ostendit: et vbi, ac quando, et quinam castrametarētur. Ita enim subijcit: Et castrametantes primi versus Orientem, ordo castrorum Iuda cum exercitu suo: et castrametantes cōtigui ex tribu Isacar. Et castrametantes contigui eius ex tribu Zabulon. Deinde recenset ordinem secundum, et inquit: Ordo castrorum filiorum Ruben ad Africū cum exercitu suo: et princeps filiorum Ruben Elisur filius Sedeur: exercitus eius, qui numerati sunt, sex et quadraginta millia, et quingenti. Et castrametantes contigui eius filij Gad. Et tertium statim adiunxit, dicens: Ordo castrorum Ephraim iuxta mare cum exercitu suo. Et castrametantes contigui ex tribu Beniamin. Statim autem quarti ordinis meminit, dicens: Et ordo castrorum Dan ad Aquilonem cum exercitu suo. Et castrametantes contigui eius tribus Aser. Et castrametantes cōtigui eius tribus Nephtalim: omnes qui numerati sunt, inquit, castrorum Gad centum quinquaginta septem millia, et sexcenti. Vltimi proficiscentur secundum ordinem suum.* Vides, quòd prælatus sit Iudas, et qui cum illo, et selectim ad Orientem, ac Meridiem locantur. In luce enim versantur, qui in Christo, et spiritu feruentes. Secūdus Ruben: et qui cū illo. Tertij rursum, qui ex libera. Deinde post hos alij tres, qui ex seruis: de quibus dictū est, quòd vltimi proficiscentur. An non itaq; manifestum, minimeq; dubiū est, quòd prælati sint primogenitis secundi, hoc est, qui in Christo? et ijs, qui ex seruis, liberi in fide? Hi enī ducuntur per Christum ex Iuda ortum: illi verò retro ægrè sequuntur: et veluti in secunda classe collocantur. PAL. Rectissimè ais: atque equidem de tanti acuminis, sagacitatisq; nomine meritò laudauerim.

Secūdi, hoc est, qui in Christo, præferūtur primogenitis, hoc est, primis.

Explicit liber decimus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPI ſcopi Alexandrini de Adoratio ne in ſpiritu, et veritate.

Liber vndecimus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

De ſacerdotio: quodq; ſacerdotium ſecundum Legem, ſit typus ſacerdotij in Chriſto.

DE tabernaculo quidē, atq; ijs, quæ de eo diuinitus edicta ſunt, abundè ſatis, accurateq;, quãtum ad ſpiritualem ſenſum attinet, à nobis dictum eſt. Conueniens autem nunc fuerit, mea quidem ſententia, neque tu, ſat ſcio, eam improbaueris, ſacerdotij munia dicẽdo perſequi, qua nimirũ ratione per legale, quodq; in typis verſatur, verũ ſacerdotium ſignificetur, hoc eſt, in Chriſto, et per Chriſtum, ſacrum ſanctificans genus, eos, inquam, qui in fide illuſtrati, familiaritatemq; cum Chriſto conſecuti ſunt, eò quòd Spiritus ſancti participes ſint effecti. PAL. Cõueniens certè, et quidem meritò. CYR. Abſoluto itaq;, eo, quo decebat ornatu, ſancto tabernaculo, atque in eam, quæ Moyſi præſcripta fuerat, formam perducto, Deus ſacerdotes inſtituit, ita inquiens. *Et tu applica ad te Aaron fratrem tuum, et filios eius de filijs Iſraël, vt ſacerdotio fungantur mihi, Aaron, et Nadad, et Abiud, et Eleazar, et Ithamar filios Aaron.* Nominatim itaq; delecti, vocati ſunt ad ſacerdotium. Neq; enim ſibi ipſi quis eum honorem ſumit, ſed qui vocatus eſt à Deo,* quemadmodum ſcriptum eſt. Nemo igitur temere ſacerdotij Deo functionẽ vſurpet. Expectet autem vocationem, aut alio qui ſi id rapere tentarit, quod diuino ſuffragio ipſi minimè conceſſum eſt, Dathan, et Abirõ ſuppliciũ incurret. Neq; verò mireris, ſi inconſulta noſtra temeritas, atq; vſurpatio abſurda, ac deformis res ſit, cum de ipſo etiam Chriſto Paulus ſcribat. *Non ſemetipſum glorificauit, vt fieret pontifex, ſed is, qui dixerat ei: Filius meus es tu, ego hodie genui te: ſicut et alibi dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech.* Vocationis igitur ad Chriſtum dictæ, typus eſt, id quod ad Moyſen ſapienter dictum eſt: *Et tu adduc ad te Aarõ fratrem tuum, et filios eius,* Adduc

Exod. 28

Sacerdotes a Deo instituti.

Heb. 5.

Ad ſacerdociũ nõ oportet ire niſi vocatos.

Heb. 5.

enim, quid aliud significat, quàm adiunge te, et accerse? Vocatus autem est quodammodo in pontificem Christus per voluntatem Patris. Vna autē cum ipso vocati sunt aliquomodo, et cooperatores ad sacerdotium constituti, etiam diuini apostoli. Idcirco palàm profitebātur se esse cooperatores Dei. Peregrinati sunt per vniuersum orbem terrarum, administrantes in gentibus euangelium Christi. Vocati enim sunt in apostolatum per Christum: et verus est sermo. Cœterum id Patris etiam voluntate fiebat. Vna enim est de omnibus, quæ fiunt, volūtas, et consensus: quia consilium, et sapiētia, ac volūtas Patris, Filius. Aarō itaq; typus est Christi, et sacerdotij in spiritu, ac veritate, veluti simulachrū in obscurioribus adhuc vmbris latēs. Animaduerte autem, quod iubetur Moyses adiungere sibi Aaron. Imbecilla enim, atq; imperfecta est Lex, si à Christo seiungatur. *Fieri enim nō potest, vt sanguis taurorum, et hircorum tollat peccata. Christus autem vna pro peccatoribus hostia oblata, perfecit in æternum sanctificatos.* Sciant itaq;, qui adhuc vmbram, ac literam amant, et Mosaicorum præceptorum obseruatores sunt, nisi adiunxerint sibi pontificem, et apostolum confessionis nostrę Iesum Christum, nihil omnino cultū in typo ipsis profuturum. Qualis enim sit apud Deum legalis vitæ gloriatio? Idcirco etiam sapientissimus Paulus, *propter excellentiā cognitionis Christi, ea, quæ in mundo sunt, se pro reiectamentis habuisse dicit:* Spiritualia autem appetisse. Atq; hoc est spiritualiter sibi adiungere Aaron. PAL. Intelligo, quid velis. Manifestus enim est sermo. CYR. Adiunge igitur, inquit, tibi Aaron fratrem tuum. Cœterum alia etiam, vt arbitror, ratione nō inutilis fuerit hæc res ad spiritualis sensus fructum percipiendum. Intellige autē quod dico. Missus enim est Moyses populum Israëliticum ex ærumnis Aegyptiacis educturus. Deinde supra vires, quæ in hominem cadunt, euectus, consciusq; rem sibi mandari viribus, eloquentiaq; sua superiorem, obsecrauit dicens: *Ecce nō eloquens sum ante heri, neque ante tertiam diem, neque ex quo cœpisti loqui seruo tuo. Gracili voce, et tardiloquus sum. Deo autem ad hoc dicēte, Quis dedit os homini, et quis fecit mutum et surdum: videntem, et cæcum? Nonne ego Dominus Deus? Et nunc vade, et ego aperiam os tuum.* Ille verò rursum rei gerendæ magnitudine deterritus, inquit: *Obsecro Domine, elige potentem alium, quem missurus es.* Designauit igitur tunc è vestigio Deus Aaronem in typum eius, cui omnia facilia factu sunt, Christi. Neque verò aliter liberatus fuisset Israël, nisi datus fuisset cooperator Moysis tardiloquentiæ, atque imbecillitatis, veluti in figura Aaron, Christus. Ita etiam illic intelliges. Nam imbecillitatem Legis perficiens in Christo, adduxit in sacerdotiū Aaronem: vtiliterq; beato Moysi coniunxit. Neque enim ad redemptionem suffecerit Lex, vt neque perficiendi in sanctificationem eos, qui redempti sunt, potestatem habet. Redemptio autem, et sanctificatio, Christus, cooperatoribus sanctis, queādmodū ferè Moyses quidē Aarō in Aegypto tunc: ipsi verò Aaroni, filij. Porrò omnium pontifici, ac præfecto Christo cooperentur

Apostoli cooperatores Christi.

Filius est cōsilium et sapientia, ac volūtas Patris.

Aaron Moysi adiūctus imbecillitatem Legis significat, si seiungatur a Christo.

Heb. 10.

Phil. 6.

Exod. 4.

Dñe, mitte potentem, quē missurus es, de Christo explicatur.

Christus redēptio et sāctificatio cooperantibus sanctis.

tur spiritualiter etiam diuini discipuli, omnia quidem facere volenti, non autem imbecillo opem ferentes, sed tanquam vocati ad ministerium, et ex optimis electi, roboreq; ad quæuis præstanda ab ipso locupletati: quod et Paulus testatur, dicens: *Omnia possum in corroboráte me Christo.* PAL. Delecti igitur, et nominatim ad sacerdotium vocati sunt Aaron et reliqui. CYR. Præter hæc autem vestimenta etiam sacerdotibus conuenientia fieri debere præcipit, dicens: *Et facies vestem sanctam ad sacra administranda Aaron fratri tuo in honorem, et gloriam. Et tu loquere omnibus sapientibus mente, quos impleui spiritu sapientiæ, et sensu. Et facies vestem sanctam Aaron ad sanctuarium, in qua sacerdotio fungetur mihi.* Paulus quidem eos, qui in fide iustificati sunt, vt sanctam revera, ac cœlestem vestem induant, suadet. *Induite Dominum nostrũ Iesum Christum.* Hoc etiam propheta Esaias proclamauit, dicens tanquam in persona ecclesiæ: *Exultet anima mea in Domino: induit me vestimento salutis, et tunica lætitiæ.* Vestimentũ itaque in honorem, et gloriam, sacrosanctoq; genere, verè est Christus, splendidumq;, ac supermundanum ornamentũ sanctorũ animis. *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis,* inquit. Et verus est sermo. Lex autẽ veluti in vmbris ornat Aaron, ad Christum deferens varij ornatus gloriam. Tantum non enim etiam artificiorum structura contextus mysticus, et accuratus sermo reperitur, figuratè Saluatoris gloriam significans. Vide enim quo pacto sapientia repletos à Deo esse dicat vestimentorum opifices, ad iucundam operis varietatem transferentes, Christiq; gloriam vestimentis inscribente. Pectorale autem, et superhumerale, et tunica talaris, et tunica stricta, et cidaris, et balteus, sunt vestes, quæ confici iubentur, aliaq; præterea de quibus sigillatim à nobis dicetur. Inquit igitur ad eos, qui ad opera assumpti sunt. Et ipsi accipient aurum, et hyacinthũ, et purpurã, et byssum. Atqui rursum mentem ad quæ proposita nobis sunt intendens, ante alia hoc animaduerte. PAL. Quidnam? CYR. Nõne ex auro, et bysso, et purpura, et coccino retorto, atq; hyacintho omnia, quæ in tabernaculo sunt facta, diximus: et Christi typum esse? PAL. Ita est. CYR. Vide autem ex ijsdem planè rebus summi sacerdotis vestem confectam, Christi gloriam veluti in figura rursum, ac typis parturientem. Verba enim planè eadem sunt. Sensus autem minimè diuersus, Christi pulchritudinem significans. Intelligitur enim veluti in auro Deus: vt in purpura, regia dignitate præditus: et vt in bysso tenui, verbum subtile, et incorporeum: vt in coccino, propter carnem: in hyacintho aëreo, (huiusmodi enim coloris est hyacinthus,) eò quòd supernè, atque ex cœlo descenderit. An non enim Deus simul est et rex, Verbũ ex Deo Patre? PAL. Omnino. CYR. Nonne autem verbum existens Patris, tenuis, et incorporeus factus est in carne, et est in cœlo? PALLA. Ita est. CYRIL. Eædem itaq; omnino sunt, planeque indifferentes materiæ, atque eadem contemplatio vestimentorum, et eorum, ex quibus ea, quæ in sancto tabernaculo sunt, confecta fue-

Marginal notes: Phil. 4. — Exod. 28 — Rom. 3. — Esai. 61. — Christus vestimẽtũ est in honorẽ, et gloriã — Gal. 3. — Sapiẽtes repleri Spiritu sancto, vestes Aaron faciunt. — Vestis Aarõ ex eadẽ materia fit, ex qua tabernaculum.

fuerunt. Atq; hæc quidem ita se habeant. De ijs iam, quæ in honorem, et gloriam Aaron variè contexta sunt, tempus fuerit dicere. *Facient igitur, inquit, superhumerale ex bysso retorta, opus cōtextum variegatoris. Duo superhumeralia erunt illi continentia alterum alterum in duabus partibus suspensa. Et contextus superhumeralium, quod est in ipso secūdum factionem, ex ipso erit ex auro, et hyacintho, et purpura, et coccino filato, et bysso retorta. *Materia autem contextuum designata, subijcit rursum. *Et accipies Smaragdi, et sculpes in ipsis nomina filiorum Israël. Sex nomina super lapidem vnum, et sex nomina reliqua super lapidem secūdū, iuxta generationes eorum, opus lapidariæ artis. Sculptura sigilli sculpes duos lapides super humeros superhumeralis: lapides memoriale sunt filijs Israël.* PAL. Profunda, vt videtur, harum contemplationum ratio est. Illud autem primū dicere tenta, quidnam est id, quod vocatur Epomis, siue Superhumerale, aut quonam pacto confectum sit. CYR. Texturam quandam instar tunicæ ad mediū pectus vsque peruenientem confici iussit, quæ interioribus vestimentis ad talos vsque demissis, superinduceretur, quæq; multo auro, et purpura micās, admirationem, venerationemq; cernētium oculis inijceret: atq; hanc vocauit Epomidem, hoc est, superhumerale, ob eius breuitatem: quodq; vix in vtrunq; humerum extenderetur. In hoc itaq; superhumerali duos lapides smaragdinos optime intextos infigi iubet, artificioseq; in ijs sculpi nominatim tribus filiorum Israël: ita vt vni lapidi sex inscribantur, alteri totidem. Et quę sit huius rei ratio, ipse nobis declarat, dicēs: *Et portabit Aarō nomina filiorum Israël coram Domino super duos humeros eius memoriale de ipsis.* PAL. Quid autem per lapides, eorumq; inscriptiones significari censebimus? CYR. Audi itaque. Smaragdus, pallidus quidem est lapis: at vero in eius ima parte splendidum quid innatat, et quodammodo tenebris immistum est lumen, vtroq; alterum superare cōtendente. Atqui, Palladi, corporeus oculus sublimia, atque superna suspiciens, et in altum ad aërem, ac cœlum enitens, an non huiusmodi contemplationi accomodari possit? Pallidus enim ferè, et tāquam in profundo nigricans, et exiguo lumine commistus supremus æther videtur. PAL. Ita est. CYR. Sacra itaq; scriptura Smaragdum cœlo comparat. Neq; mireris si rursum Saphiro illud simile faciat. Pallidus enim etiā lapis est Saphirus, neq; multo Smaragdo aspectu dissimilis. Ita autē in Exodo scriptum est: *Et ascendit Moyses et Aaron, et Nadab, et Abdiud, et septuaginta seniorum Israël, et viderūt locum, vbi stetit Deus Israël, et quæ sub pedes eius, quasi opus lapidis Saphiri, et sicut species firmamenti cœli puritate.* Cum enim Israëlitæ in Aegypto creaturarum cultui dediti fuissent, et cœlum Deum vocassent, vtiliter admodum Dominus vniuersi in ipsum firmamētum descendisse visus est, vt scirent omnia sub pedibus eius esse, quodq; ipsorum etiam cœlorum sit Dominus, vt creator. Intelligis itaq; quo pacto typum quendam, et similitudinē cœli statuat sacra scriptura lapidem veluti in exiguo lumine nigricantem. Splendorem enim obscuri-

Exod. 28

Epomis, siue superhumerale, quod vestis genus sit.

Hebræi Scolan, alias Onychinos.

Smaragdi natura.

Smaragdus, typus cœli.

Exod. 24

obſcuritati miſtũ naturaliter habet. PAL. Optimè dicis. CYR. Cęli itaq; ſignum eſt Smaragdus, tribus Iſraëlitarum inſcriptas habens, et in ſuperhumerali ſitum habens. Ex quo intelligere eſt, quòd qui deſcriptionem in cœlo conſecuti ſunt, hi omnino in Chriſto conquieſcent, qui eos tãtum non in humeris gerat, et bonos filiorum loco habeat. Tale autẽ quid etiã diuinus Moyſes inquit, à diuina protectione Iſraëlem cõmendans: *Sicut aquila cooperiat nidum ſuum, et ſuper pullos ſuos volauit, expandens alas ſuas ſuſcepit eos, et aſſumpſit eos in ſcapulis ſuis.* Dauid etiam alibi omni ſancto, quiq; in protectione altiſsimi habitat, accinit: *In ſcapulis ſuis obumbrabit tibi.* μετάφρενα, hoc eſt, ſcapulas, equidem arbitror, appellans partes, quæ ſub ceruicem ſunt, veluti in humeris ſignificans: nõ autem omnino tergum. In humeris itaq; portabuntur, iuxta prophetę vocem, et in brachijs geſtabuntur, iuxta veterem Ephraim, qui in cœleſti albo deſcripti ſunt: quod quidẽ omnium diuinorum beneficiorum ſupremum, maximeq; admirandum eſſe, ipſe etiam Saluator ſanctis diſcipulis ſuis teſtatur, ita alibi dicens: *Nolite gaudere, quòd dæmonia vobis ſubijciuntur: ſed gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* At verò illam in lapidibus deſcriptionem monimentum fore ait filijs Iſraël coram Domino tantum non intente reſpiciente, tanquam in Aaron. Suſcipit enim nos Deus ac Pater in memoriã in Chriſto, factiq; ſumus in ipſo cogniti Deo et digni, qui ab eo aſpiciamur, atq; in eius libro deſcribamur. PAL. Rectè ais. CYR. Præter hunc

Nomina filiorũ Iſrael ſcripta in lapidibus ſuperhumeralis, quid ſignificarent. Deut. 32.

Pſal. 90.

Deſcribi in libro Dei omniũ beneficiorũ diuinorũ maximũ eſt. Luc. 10.

autem, alium etiam ornatum ſuperinduci iubet, dicens: *Et facies vncinos ex auro puro commiſtos. Et facies duas catenulas ex auro puro commiſtas in floribus, opus contexturæ: et impones catenulas cohærentes ſuper vncinos, ſecundum ſuperhumeralia eorum ex anterioribus. Et facies Rationale iudiciorũ opus variegatoris, ſecũdum numerum ſuperhumeralis facies illud ex auro, et hyacintho, et purpura, et coccino filato, et byſſo retorta facies illud: quadrangulũ facies illud: erit duplum palmi lõgitudo, et palmi latitudo: et texes in eo texturã ſecundum lapidem quatriordinem.* Deinde lapidum nominibus explicatis, ſubijcit rurſum: *Et lapides ſint ex nominibus filiorũ Iſraël duodecim ſecundum nomina eorum, ſculpturæ ſigillorum cuiuſlibet ſecũdũ nomen ſint in duodecim tribus.* Et paulo poſt: *Et portabit Aaron nomina filiorum Iſraël in Rationali iudicij ſuper pectus, ingrediens in ſanctuariũ memoriale coram Deo.* PAL. Quã obſcura eſt rei huius ratio. Quin et ipſe cõfectionis modus mihi perdifficilis eſſe videtur. CYR. Eundũ itaq; eſt ad ſingula, conandũq;, vt quamproximè ad veritatem accedamus, etiam ſi eam non in vniuerſum cõſequi rei difficultas permittit. Nam quæ vehemẽter per ſe obſcura ſunt, velim ſpeculo tantũ videre, præſtabilius eſſe cenſeo, quã nulla planè ratione intelligere. Dicam igitur, quoad potero id, quod mente conſequor. Vncinos duos fieri iubet ex auro puro, latiores quidem quàm ſecũdum numiſma in orbem: eâdem autem forma. Rotundũ enim eſt numiſma. Deinde duo fimbriata miſta in floribus ex auro puro.

Exod. 28.

Vncini, quid.

Catenu-

Per flores colores significātur.

Catenulas autē esse dicimus hæc fimbriata, variegatum habētes veluti in coloribus aspectum: flores enim colores vocauit. Byssus autem erant hi, et purpura, et filum aureum, necnō hyacinthus, et filum coccineum. Præter hæc autem fieri debere ait texturam quadrāgularem, et ad formam taxilli duplum palmi, vndicunq; æquilatere. Intexi autem oportere ei duodecim lapides, inquit: et in singulis lateribus tres poni, vt in quatuor integris ordinibus nominatim tribus insculperentur. Ex superhumerali igitur vncinis aureis, et variegatis catenulis suspēsis aliquantum infra ponebantur, vt in alto, et super ipsos humeros esse viderentur. Pertingebant autem ad pectus, ipsisq; mamillis impendebant. Ab vncinis verò, alijs catenulis Rationale iudiciorum propendebat, ad pectus vsq; demissum, fimbriatis simul appensis. Porrò admiranda res cernētibus erat tantus lapillorum, et auri splendor, aliarumq; materiarum pulcherrimi coloris mira arte elaborati. Futurum autem rursum hoc in monimentum filijs Israël, ait, coram Domino, ingrediente Aaron in sancta. Manifesta itaq; iam tibi fuerit operis huius, artificijq; figura. PAL. Omnino.

Rationale iudiciorū vnde dictū.

CYR. Cœterum cur Rationale iudiciorum hæc res vocata est? CYR. Nonne superhumerale vocatum esse id, quod superius est, ideo quòd in vtrunq; humerum extenderetur, ex etymologia nominis diximus? PAL. Diximus. Quid autē hoc? CYR. Quia rursum aptè, ac similiter, id, quod in corde, ac visceribus reconditum est, Rationale iudiciorum appellari dicimus. Domicilium enim rationis, quæ in nobis est, cor et viscera sunt. Insitum verò est,

Cor, et viscera, domicilium rationis.

atq; inhæret naturaliter rationis, quę in nobis est, rectum, atq; irreprehensibile de quaq; re agēda iudicium, hoc est, rectum iudicium, et quod cuique conuenit. An non enim ratio in nobis rerum agendarum naturas expendit, secernitq; à bonis id, quod ingratum, inutileq; est? PAL. Omnino. CYR. Porrò sacræ scripturæ consuetudo est, vocare iudicium, rectitudinem, rectumq; iudicium. Atq; ita Dauid etiam canit: *Beati, qui custodiūt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore.* Alibi autem rursus ait: *Et honor regis iudicium diligit.* Præclarus enim regis honor, et gloria est, amare iustitiam. Rationale igitur iudicij est, quod ad cor, et pectus pendet, ideo quod veluti in loco rationis situm sit, in qua etiam consistit, rectitudo in iustitia. In hoc autem ipso duodecim lapides in auro sculpti tribus inscriptas habentes: qui quidem typus sunt virorum sanctorum, qui illustres, venerationeq; digni sunt, et tāquam delecti quidem lapides, tātum non in mente, ac corde Christi positi. Sunt enim revera memoria digni, eò quod virtute conspicui, ac veluti in sanctimonia venerandi sint. Dependent autem ex Rationali iudiciorum etiam fimbriæ aureæ, significantes, vt arbitror, quòd à sanctorum cœtu multa, innumerabiliaque bona facta quodammodo depēdeant. Atqui beatus Dauid etiam ecclesiæ ornatum in fimbrijs esse ait. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. A Rationali autem iudiciorum prodit variegata, pulchriq; coloris catena aureis anulis comprehensa, vt diximus, quę vtrisq; vncinis transmissis, ad summum superhumeralis pertingit: in quo sunt lapides descriptio-

Iudiciū, rectitudo, rectū que iudicium vocatur.

Psal. 105.

Psal. 98.

Rationale iudicij quare super pectus pendebat.

Duodecim tribus lapidibus superhumeralis inscripti typus est virorum sanctorum.

Fimbriæ aureę dependētes ex rationali iudiciorum, quid significēt.

Psal. 44.

ſcriptionis. Quidnam autem hoc ſibi velit, quo pacto non dignum ſit videre? Videtur itaq; mihi figura huiuſmodi quippiam ſignificare. Quemadmodum lapides enim digni, et in cognitione, ac memoria Christi ad cœleſtẽ deſcriptionem contendunt, quã conſequuntur *per arma iuſtitiæ, dextra ac ſiniſtra.* Ita enim Paulus apertè ſcribit. Quin et alibi inquit: *Induite omnem armaturam Dei.* Aurea verò ſunt regis arma, aurei ſimiliter et vncini; Deiq; armaturam figuratè ſignificantes. Non igitur aliter in memoria, et deſcriptione Dei futuri ſumus, niſi armis iuſtitię inſtructi, et per ea gradiẽtes operemur. Rationale autem ſuperhumerali adaptatum ſignificat, vt arbitror, cœleſtibus adaptari terreſtria mediante Christo. Ipſe enĩ eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, iuxta ſcripturas: quiq; ſanctorum angelorũ cœtui charitatis vinculo humana colligauit. Sciendũ autem eſt, quòd beatus propheta Ezechiel, principem Tyri omni lapide pretioſo indutum fuiſſe ſcribit. Recenſet autẽ hos, quos in Rationali iudiciorũ poſitos fuiſſe Moyſes inquit. Erant autem hi: Sardius, Topacius, Smaragdus, Carbunculus, Sapphirus, Iaſpis, Ligyrius, Acathes, Amethyſtus, Chryſolitus, Beryllus, Onychius. Poſiti autem ſunt tres in ſingulis quatuor ordinibus, firmitatẽ in fide eorũ, qui in corde, et memoria Christi ſunt nobis adũbrante huiuſmodi diſpoſitione. Fidei enim ternarius numerus, ſymbolum eſt: firmitatis autẽ, quadágula, et ęqualium inter ſe laterum figura. Ita enim Rationale confectum erat, in quo etiã lapides duodecim. PAL. Aſſentior. CYR. Præter hæc autem aliud quid piam duodecim lapidibus adiungi iubet, dicens: *Et impones in Rationali iudicij manifeſtationem, et veritatem. Et erit ſuper pectus Aaron, quãdo ingreſſus fuerit in ſanctuarium coram Domino. Et geſtabit Aaron iudicia filiorũ Iſrael ſuper pectus coram Domino ſemper.* Manifeſtationem itaq; vocat, et veritatem. Porrò nõ ſatis cõſtat, vtrũ in lapidibus, an veluti in paruula tabella hoc inſcribi iuſſerit. Memini autẽ prophetæ dicentis, quod *dies multos ſedebũt filij Iſraël non exiſtente rege, neq; principe, neque exiſtente ſacrificio, neq; exiſtẽte altari, neq; ſacerdotio, neq; declarationibus.* Siue igitur in lapidibus, ſiue in tabella aurea fuerit inſcriptio nominum, non eſt, quòd longiori ſermone inquiramus. Sciemus autẽ ea, in typum Christi poſita eſſe, qui adeſt ſanctis. *Ecce enim, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus, et vſq; ad conſummationem ſeculi.* Veritas autẽ, et declaratio Christus. Cognouimus enim in ipſo Patrem, declarauitq; nobis bonam ipſius voluntatem, perfectam, ac beneplacentem, ſecundum ſcripturas. Christus enim alibi inquit: *Nõ amplius dicam vos ſeruos. Vos amici mei eſtis: quia omnia, quæ audiui à Patre meo, annunciaui vobis.* Veritas autem etiam alia ratione eſt Emanuel: quia ſolus ipſe ſecundum naturam Filius: atq; vt ex Deo Deus ſolus ſanctus, ſolus Dominus. Creatura verò per participationẽ, atq; imitationẽ, quæcunq; ipſe, eſſe intelligitur. Adeſt itaq; ſanctis, veluti in declaratione, et veritate intellectus Christus: qui etiã in conſpectũ Patris noſtra adducit, ſemper viuẽs ad interpellandũ pro nobis. Hoc enĩ exiſtimo ſignificare illud:

2 Cor. 6

Epheſ. 6

Ezec. 28.

Exod. 28

Declaratio et veritas Hebræis Vrim Thũmim. in rationali inſcripta quid ſignificẽt.

Oſee. 3.

Matt. 28

Christus veritas, et declaratio.

Ioan. 15.

Aarō ferēs iudicia filiorū Israel in pectore suo sēper, qd significet.
Exod.28

re illud: Et inferet Aaron iudicia filiorum Israel coram Dño in pectore suo semper. PAL. Rectè. CYR. Sacrū autem quoddam, atq; admirandum vestimentum fieri debere præcipit, dicens: *Et facies tunicam talarem, totam hyacinthinam, et erit capitium ex illa medium limbum habens circū capitium, opus textoris, copulationē contextam ex ipso, vt non rumpatur. Et facies supra marginem tunicæ ab infra quasi florentis, mala punica, corimbos ex hyacintho, et purpura, et coccino filato, et bysso retorta in margine tunicę in circuitu. At eâdem specie mala punica aurea, et tintinnabula in medio horum in circuitu: inter malum punicum aureum tintinnabulum, et floridum in margine tunicæ in circuitu. Et erit Aaron in ministrādo audibilis vox eius ingredienti in sanctuarium, et egredienti, vt nō moriatur.* Interulam itaq; et talarem, vestem oblongam aptamq; ad cooperiēdum, à collo ad summos pedes pertingētem, manifestè appellat. Ex hyacintho autem, quia cœlestis incorruptionis symbolum est, hoc est, Christi. Tale enim quid etiam diuinus Dauid præclamauit, dicens tanquam in persona Dei, de ijs, qui in ecclesijs res sacras administrant: *Sacerdotes eius induam salutari.* Quin et Paulus: *Induite Dominū nostrū Iesum Christum,* nobis præcipit. Atq; hoc est, vt arbitror, domiciliū ex cœlo, quod desideramus indui. Tunica lętitiæ, vestimentum salutis, iuxta prophetę vocem. Cœli autem typū esse colorem hyacinthinum, dictum est. Et verus quidem est sermo, vt in nobis ipsis. Induti enim sumus incorruptionem cęlestem. Si verò etiam ipse intelligatur

Interulæ forma,
Exod.28

Psal.131.

Rom.3.

Christus, vt in Aaron, talarem indutus, nihilosecius verus erit sermo. Deus enim existens secundum naturam Vnigenitus proprium suum corpus corruptionis expers efficit, cœlestiq; vita illud amiciens, mortis tyrannide superius constituit. Quod enim naturaliter simul, et participatiuè in Christo, et incorruptio, et vita consistat, etiam hinc intellexeris. Siquidē ipse secundū naturam Deus existens, ita inquit: *Ego sum resurrectio, et vita. Viuificatus autem iuxta humanitatem. Sicut enim Pater, inquit, habet vitam in seipso: ita et Filio dedit habere vitam in seipso.* Quocirca tametsi ipse intelligatur Christus, qui cœlesti incorruptione indutus dicitur, nequaquam à veritate aberrauerit sermo. Porrò ad inferiores partes mala punica, et tintinnabula alternatim posita. Et mala punica quidē veluti contexta: aurea verò tintinnabula, vt nimirum sonora revera sint. Ingrediente autem Aaron in Sācta sanctorum, celeberrimum ipsius ingressum facit. Atqui hoc symbolum est salutaris, sapientisq; œconomiæ, diuinæ, inquam, euangelicæq; prædicationis, totam quodammodo vrbē personantis, quādo propter nos ingressus est in Sancta sanctorum æterna redēptione inuenta magnus noster pontifex, irreprehensibile sacrificium vnà cum oblatione perfecit in perpetuum sanctificatos. Neq; verò obscura figura est salutaris præconij tintinnabula ex auro facta. Vrbium verò, mala punica. PAL. Quo pacto? CYR. Quemadmodum enim vrbs vno exterius muro cingitur, quàmplurimas autē in seipsa domos continet: eâdem planè ratione malum punicum, vno quidem

Christus secundū naturam Deus corpus suū incorruptibile efficit.

Incorruptio: et vita in Christo naturaliter, et participatione consistit.
Ioan.11.

Tintinnabulū, et mala punica in veste Aarō, typus prædicationis per vrbes faciendæ.

Malū punicū, typus vrbis.

dem exterius putamine munitũ eſt, intus verò grana gracilibus tunicis inter ſe, veluti vallis, diſtinguntur, ac tãtùm per domos colliguntur. Nonne ita ſe res habet? PAL. Maximè. CY. Tintinnabulum verò ſingulis malis punicis interpoſitum, ſymbolum eſt eius, qui in quaq; vrbe magiſtrũ agit, qui diuinorum dogmatum clara prædicatione Saluatoris noſtri in Sancta ſanctorum ingreſſum omnibus manifeſtum facit. Porrò mortis etiam metus imminet ijs, qui ad ſacrorum adminiſtrationem conſtituti ſunt, ſiue Aaroni ſanctum tabernaculũ ingredienti, niſi inſignes tintinnabulorum ſonitus edat. Periculoſa enim res eſt magiſtris ſilentium: atq; hoc eſt manifeſtè, quod Paulus inquit: *Vę enim mihi eſt, ſi nõ euãgelizauero.* PAL. Ita videtur. Significatur enim hoc, et quidẽ rectè admodũ. CYR. Præter hæc autem, *Et facies, inquit, laminam auream puram, et ſculpes in ea ſculpturam ſigilli, ſanctificationem Domini. Et impones illud in hyacintho retorto, et erit ſuper mitram, ante faciem mitræ erit, et erit ſuper frõte Aaron: et portabit Aaron peccata ſanctorum, quæ ſanctificauerunt filij Iſraël omnis muneris ſanctorum eorum. Et erit in fronte Aaron ſemper acceptabile eis coram Domino.* Ex hyacintho itaq; mitra. Aurea verò lamina. Sculptum autem in ipſo, atque inſcriptũ myſterium Chriſti, miſsioniſq; in hunc mundum aperta prædictio. Sanctificatio enim, inquit, Domino. An non enim ſanctificatum ſeipſum à Deo ac Patre Emanuel dixit? PAL. Maximè. Memini enim eum ita alibi Iudæis dicentem: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, et non poteſt ſolui ſcriptura de eo quem Pater ſanctificauit, et miſit in mundum, vos dicitis me blaſphemare, quia dixerim, Filius Dei ſum?* CYR. Quum verò Filius ſeipſum à Deo, et Patre ſanctificatum dicit, delectum quodammodo, et miſſum ſignificat. Sanctificatio igitur Domini, inquit, hoc eſt in mundum hunc manifeſtatio, et miſsio: cœterum in regnum, et gloriã. Conſecrat enim hoc pacto Aaron, auream in fronte armillam ponens. Dominus verò vniuerſorum, et rex, Chriſtus, naturaliter ſimul, et participatiuè. Deus enim exiſtens natura, exinaniuit ſemetipſum demittens ſe in forma ſerui. Et accipit regnum iuxta id, quod humanæ formæ conuenit; cum alioqui aſſeſſor ſit ſupernè, et ab initio Deo, ac Patri, vnaq; omnia moderetur, et pariter Dominus ſit. Intelligis autẽ, quo pacto ex hyacintho mitra cõfecta ſit, ſplendidum regni ſignum præ ſe ferens, laminam, inquam, auream. Hyacinthus autem, cœli typus eſt. Porrò Chriſtum dicentem audi: *Regnum meum non eſt ex hoc mundo.* Neq; enim terrenus rex, ſed cœleſtis eſt Chriſtus, vniuerſam ſub pedibus habens creaturam. Adijciẽs verò, quòd et portabit Aaron peccata ſanctorũ, quæ ſanctificauerint omnis nominis ſanctorum ipſorum, apertè ſignificat omnem oblationem, et perfectionem eſſe in Chriſto: quodq; omnis iuſtificatio in ipſo, et per ipſum, ac veterum peccatorum depoſitio. Ipſe enim tollit peccata noſtra, et per ipſum facti ſumus accepti, ſpiritualia dona offerẽtes Deo, ac Patri. PAL. Rectè ais. CYR. Atqui perpetuum, et in infinita ſecula duraturum Saluatoris noſtri

Y regnum

Aarõ Sãcta ſãctorũ nõ ingrediens abſq; tintinnabulis, ſignificat, nõ decere paſtores ſilentiũ.

1.Cor.9.

Exod.28

Lamina aurea Aaronis qd ſignificet.

Ioan.10.

Sanctificatio Cħri ſti, eſt eius manifeſtatio, et miſsio in mundum.

Ioan.18.

Lamina et mitra in fronte Aaron semper, ꝑpetuū Christi regnū, significat.

Christi regnum ꝑpetuū.

regnum optimè declarans, de mitra et lamina ita inquit: Et erit in fronte Aaron semper. Quonam igitur nobis temerarius, absurdusq; impiorū hæreticorum sermo ablegabitur, blaterantium Christi imperium aliquādo desiturum: ipsumq; regnū suum Deo ac Patri traditurum? Et Emanuelem à Deitatis sede deturbantiū. Gloriantur enim huiusmodi absurdis, vanisq; dogmatibus, quibus par est dicere: Erratis, nescientes scripturas. Ecce enim, ecce manifestè, aperteq; perpetua Dei ac Patris gloria, atque honore, et regni insignijs Aaronem redimitum, ipsi corona sua priuant, sacramq; mitram fronti abripiunt. PAL. Verè. CYR. Porrò cidarim, et zonam ex bysso facies, inquit. Militaris autem Aaronis habitus, balteusq;, et galea. Horum enim figurā cidaris præ se fert. Debellabit enim pro nobis Christus in manu occulta, sicut scriptum est: *Et arcum suum intendit, et parauit illum, iacula sua ardentibus similia effecit,* et occidit principatus, triumphauit de potestatibus, et dominationes deturbauit, hominesq; captiuos existentes in libertatem asseruit. Quòd verò non visibile, aut crassum bellum, neq; quale aduersus sanguinem et carnem gesserit, figuratè subindicare videtur, ex bysso solūm admodum tenui, bellicū apparatum confectum, cidarim nimirum, et zonā. Sacro itaq; ornatu splēdidum atq; admirandū Aaronem statuit. Amplius autem præcipit, dicēs: *Et filijs Aaron facies tunicas, et zonas, et cidares facies eis in honorē, et gloriam. Et indues Aaron fratrē tuū, et filios eius cum eo, et vnges eos, et implebis eorum manus, et sanctificabis eos, vt sacerdotio fungātur mihi.

Exod. 28

Aaronis cidaris, et zona, quid significēt.

Psal. 7.

Exod. 28

Et facies eis fœminalia linea ad vēlandum turpitudinem corporis eorum, à lumbis vsq; ad femora erit. Et portabit Aarō ea, et filij eius, vt ingrediātur tabernaculū testimonij, aut quando ingrediuntur ad ministrādum ad altare sanctuarij. Et non adducent ad seipsos peccatum, vt non moriantur. Legitimum sempiternum erit illi, et semini eius post eum.* Vides, quo pacto etiam eos, qui ex Aaron sunt militari habitu instructos cerni cōueniat? Bellicosum enim est omne sacrū genus, et nō aduersus sanguinem, et carnem pugnare, atq; in aciem prodire peritum, sed impurum peccatū arcere, et rationis adminiculis veritatis dogmata propugnare, captiuareq; omnem intellectum in obedientiam Christi, sicut scriptū est. Fœminalia itaque ipsis linea deformitatem, turpitudinemq; circa femora, velantia. Honesta enim im primis sunt omnia quæ sanctorū sunt, nihilq; in ipsis turpe. Subindicat autem lineā partibus femoribus vicinis circūponi iussum, quod sanctos maximè deceat voluptatum carnis refrigeratio. Siquidem linum frigida natura est præditū. Feruor autē turpium desideriorū ab omni sancto alienus esse debet. Cęterum alia etiam de causa sacerdotibus linea vestimenta, et fœminalia præscribuntur. Necesse enim est, eos ab operibus mortuis discedere. Symbolum vtiq; mortis est, quod à mortuis sumitur, ab ouibus, inquā. Mortuorum igitur operum depositio, veluti in typo rursum per vestimenta ex lino, non autē potius ex lana significatur. Atqui hæc quidem lex, sanctaperpetuaq; est. Mortem verò ijs imminere, qui decori, modestiæq; ipsis conuenientis leges despexerit, declarat inquiēs, quòd

Aaronis filij militari habitu induti quid significēt.

Fœminalia sacerdotū qd significēt.

Linea fęminalia quid significēt.

Sacerdotes, cur lineis vestibus indui iubeantur.

quòd geſtantes ea, ipſos ſacra adminiſtrare oporteat. Et non adducent, inquit, ad ſeipſos peccata, ne moriātur. PAL. Firma certè Lex, quæ quid cuique expediat, oſtendit: et per quę quis bene conſtitutus eſſe poſsit, apertè ob oculos ponit. CYR. Ita eſt. Et ſtola quidem huiuſmodi ſacrum, et electū genus ornat. Sanctificat autem etiam aliter, veluti in vmbra quidē adhuc, cæterum in Chriſto. Ita autem ſcriptum habetur: *Et hæc ſunt, quæ facies eis: Sanctificabis ipſos, vt ſacerdotio fungātur mihi. Accipies vitulum ex bobus vnum, et arietes duos immaculatos, et panes azymos conſperſos oleo, et lagana azyma vncta in oleo, ſimilam ex tritico facies ea, et impones ea in caniſtro vno, et offeres ea in caniſtro, et vitulum, et duos arietes. Et Aaron, et filios eius applicabis ad ianuam tabernaculi teſtimonij, et lauabis eos in aqua. Et acceptis veſtibus indues Aaron fratrem tuum, et veſtem talarem, et Superhumerale, et Rationale. Et connectes ipſi Rationale ad Superhumerale. Et impones mitrā ſuper caput eius, et vnges ipſum, et filios eius adduces, et indues eos veſtes, et cinges eos zonis, et circumpones eis cidaris, et erit eis ſacerdotium mihi in ſeculum. Et conſecrabis manus Aaron, et manus filiorū eius.* Offerri itaque iuſsit in ſacrificium vitulum, et duos arietes, laganaq́;, et panes in caniſtro. Conſecrat autem etiā aliter: rem nimirum hanc, vt arbitror, veræ ſanctificationis typum conſtituens. Poſtquam enim aqua abluit Aaronem, ſancta veſte eum induit. Abluti autem etiam nos per ſanctum baptiſmum, omniq́; ſpecie immunditiæ abſterſa, tunc demum ſuperna, ac

Exod. 29

Sacerdotum conſecratio quomodo fieri ſit ſolita.

Sacerdotum conſecratio ſpiritualiter declarata.

cœleſti gratia locupletamur, ſuſcipiētes veſtem lætitiæ, iuxta illud: *Induimini dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Antea enim ſermo nobis demonſtrauit, Chriſtum multifariam in ornatu Aaron ſignificari. Porrò oleo ſancto caput inungit. Pſallit autem etiam alibi Dauid: *Impinguaſti in oleo caput meum.* Significante nimirum oleo lætitiam ſpei ſanctorum vocis, ſiue cœleſtem viſitationem gaudio perfundentem. Miſericordiam enim conſecuti ſumus credentes: ſumusq́; benedicti Domino, larga ſpiritus ſuppeditatione mētem delibuti. Porrò mentis typus eſt caput. Eâdem autem omnino ratione ſacerdotes ſanctificabantur, aqua abluti, et oleo peruncti: ita etiam ſacram veſtem induti, manibus quoq; conſecratis, vt deinceps apti viderentur ad puras immaculataſq́; hoſtias offerendas. Sanctificati autem ſumus etiam nos ipſi, et cœleſti gratia illuſtrati, vnctiq́; ad perfectionem ſpiritualem, vt in libertate deinceps puris quodammodo, et ſanctis manibus offeramus Deo dona, ſpiritualia nimirum. Atq; hoc exiſtimo ſignificare id, quod à beato Dauid cantatum eſt de omni aſcendente in montem Domini: *Innocens manibus, et mundo corde.* PAL. Ita videtur. CYR. Quoniam autem modo ſacrificia peragi pro ſacerdotibus debeant, præſcripſit, dicens: *Et adduces vitulum ad ianuas tabernaculi teſtimonij. Et imponent Aaron, et filij eius manus ſuas ſuper caput vituli coram Domino apud oſtium tabernaculi teſtimonij. Et iugulabis vitulum coram Domino apud oſtium tabernaculi teſtimonij. Et accipies de ſanguine

Rom. 3.

Pſal. 27.

Pſal. 25.

Ritus offerendi pro ſacerdotibus.

Exod. 29

guine vituli, et pones ſuper cornua altaris digito tuo. At reliquum totũ ſanguinem effundes iuxta baſim altaris. Et accipies omnem adipem, qui eſt ſupra ventrem, et ſupra reticulum iecoris, et duos renes, et adipem, qui ſuper ipſos, et impones ſuper altare. At carnes vituli, et pellem, et fimum combures in igne extra caſtra, peccatum enim eſt. Et accipies arietem vnum, et imponent Aaron, et filij eius manus ſuper caput arietis, et iugulabis arietem, et accipiens ſanguinem, effundes ſuper altare in circuitu, et arietem ſecabis per membra, et lauabis inteſtina, et pedes aqua, et impones ſuper fruſta cum capite, et offeres totum arietem ſuper altare holocauſtum Domino in odorem ſuauitatis. Sacrificium Domino eſt. Et accipies arietem ſecundum, et imponet Aaron, et filij eius manus ſuas ſuper caput arietis, et iugulabis eum, et accipies de ſanguine eius, et impones ſuper extremum auris Aaron dextræ, et ſuper ſummitatem pedis dextri, et ſuper extremitates aurium filiorum eius dextrarum, et ſuper ſummitates pedum eorum dextrorum, et accipies de ſanguine ab altari, et ab oleo vnctionis, et aſperges ſuper Aaron, et ſuper veſtem eius, et ſuper filios eius, et ſuper veſtes filiorum ipſius cum eo, et ſanctificabitur ipſe, et veſtis eius, et filij eius, et veſtes filiorum eius cum eo. At ſanguinem arietis effundes ad altare in circuitu. Et accipies ab ariete adipem eius, et adipem cooperientem ventrem, et reticulum iecoris, et duos renes, et adipem, qui ſupra illos, et brachium dextrum. Eſt enim conſecratio hæc. Et panem vnum ex oleo. Et laganum vnum ex

Cyrillus habet, ἁμαρτίας, hoc eſt, ſacrificiũ pro peccato.

caniſtro azymorum oblatorum coram Domino. Et impones omnia ſuper manus Aaron, et ſuper manus filiorum eius, et ſegregabis ea ſegregationem coram Domino, et accipies ea de manibus eorum, et offeres ſuper altare holocauſti in odorem ſuauitatis corã Domino. Oblatio eſt Domino. Et accipies pectuſculum ab ariete cõſecrationis, quod eſt Aaron, et ſegregabis illud ſegregationem coram Domino, et erit tibi in parte, et ſanctificabis pectuſculum ſegregationem, et brachium ſeparationis, qui ſegregatus eſt ab ariete conſecrationis ab Aaron, et à filijs eius legitimum ſempiternum à filijs Iſraël. Eſt enim ſegregatio hæc. Et ſegregatio erit à filijs Iſraël à ſacrificijs ſalutaribus ſegregatio Domino. Et paulo poſt: Et arietẽ conſecrationis accipies, et coques carnes in loco ſancto, et comedẽt Aaron et filij eius carnes arietis: et panes, qui in caniſtro, ad fores tabernaculi teſtimonij comedent ea, in quibus ſanctificati ſunt in ipſis ad conſecrandum manus eorum. Alienigena non comedet ab eis. Sunt enim ſancta. Si autem remanſerit de carnibus ſacrificij conſecrationis, et panibus vſq; ad mane, combures reliquias igne, non comedentur. Sancta enim ſunt.* PAL. Quam profunda res legalium præceptorum. CYR. Profunda quidem vehementer. Rectè enim dicis. Cœterum non in vniuerſum obſcura, ſpiritu ſancto nos diuino ſuo lumine illuſtrante. Age itaq; rurſum, quoad eius fieri poteſt, de ſingulis dicamus. Dominus noſter Ieſus Chriſtus quàmplurimis modis nos ſanctificat, et ſacros, acceptabileſq; efficit. Per ipſum enim et in ipſo oblationem habuimus, ſumusq;

Chriſtus quàmpluri mis modis nos ſanctificat.

musq; grati Deo ac Patri. Vtiliſsima autem, atq; neceſſaria ad ſalutem noſtram ijs: qui ſub cuſtodia, et peccato, mors ipſius, et vita etiam, ac præter hæc, per corpus, et ſanguinē eius perfectio. In Chriſto ſiquidem, non autē in Lege, perfectio conſiſtit. PAL. Rectè dicis. CYR. Vide itaq; veluti in typis adhuc ea, per quæ ſaluati, et ſanctificati ſumus, factiq; ſacri, ac ſancti in Chriſto. Vitulus erat ex bobus id, quod in ſacrificium adducebatur: et mactatur quidem ad ipſas ianuas ſancti tabernaculi, impoſitis ipſi manibus. Affunditur autem ſanguis altari, inunctis etiam eo cornibus: et fumigantur quidem inſtar odoratiſsimorū thymiamatum inteſtina. Reliquum verò corpus comburitur extra caſtra delatum. Porrò vitulus, eſt Chriſtus, vt extra iugū, et ſub iugo. Deus enim naturaliter exiſtens, factus eſt ſublex propter humanitatem. An non enim paruulus vitulus, iugo quidem inſuetus adhuc naturæ nimirum ſubiugatæ? PAL. Ita eſt. CYR. Vitulus itaq; rurſum œconomicè vocatus eſt Chriſtus, vt in hoc ipſo intelligatur à nobis inſuetudo diuinitatis Verbi ad ſeruitutē, quodq; veluti in natura, quæ ſub iugo eſt, factus ſit ſecundum humanitatem. Occiditur autem tanquā pro ſancto tabernaculo, ijsq;, qui ipſi manus imponunt. Leuitæ autem hi et ſacerdotes. Mortuus eſt enim pro eccleſia, atq; ijs, qui cōſecrati ſunt per fidem. Quòd autem ſacroſancta ſit, et veluti in modum ſacrificij accepta Deo ac Patri Emanuelis mors, ex hoc facilè intelligas, quòd ſanguis ad ſanctum altare affundatur, eoq; inungatur, thymiamate verò etiam ex inteſtinis facto, quæ quidem typus ſunt

Chriſtus cur dicatur vitulus.

Chriſtus mortuus eſt pro eccleſia.

interiorum, et in mente conſiſtētium virtutum, quibus ineſt fragrātia odoris ſpiritualiter. Neque verò vno, ac ſimplici modo, quandoquidem multa ſunt inteſtina: adeps, et renes, ac reticulum hepatis. Reliquum verò corpus extra caſtra comburitur. *Chriſtus enim extra portam paſſus eſt.* Ita autem Paulus ſcribit. Porrò quod corpus igne abſumatur, ſubtilem in ſe ſignificationem habet, quòd nimirum paſsio ipſius, ac mors non in opprobrium futura ſit, ſed in ſplendidā, illuſtriſsimamq; gloriā euaſura. Per ignem enim diuinitas intelligitur. Atque ita ignis forma in montem Sina deſcendit. Diſſoluturus autem imperium mortis Chriſtus, mortem œconomicè ſubijt, vt tanquam Deus à nobis glorificetur. Deſinit itaq; in diuinam gloriam mors, clariſsimum finē conſecuta, reſurrectionem. Et quod in paſsione eſt humile, ac demiſſum, gloriæ celebritate, magnitudineq; victum, aboletur. Atq; hoc figuratè, vt arbitror, ſignificat, vitulum occiſum igne abſumi. Quod verò ſubdit (Peccatum enim eſt,) Chriſti paſsionem ad purgationem peccati factam ſignificat. Neque obſcura res eſt. PAL. Nequaquam. CYR. Poſt hæc aries primus accipitur, et occiditur quidem perinde ac vitulus. Affunditurq; rurſus ſanguis altari, et membratim diſſectus aufertur, inteſtinis aqua ablutis, capiteq; ſimul, et pedibus, quia thymiama eſt. Deſcribitur autē nobis rurſus per hæc Chriſtus in ariete perfecto perfectus, ſanctā habens vitā. Hoc enim, reor, ſignificat ſanguis altari affuſus. Vitæ enim typus eſt, ſanguis: et in odorem ſuauitatis cōſecratus Deo ac Patri pro omnibus ſimul, et pro ſingulis.

Heb. 13.

Chriſtus extra portam paſſus.

Corpus vituli in oblatione pro ſacerdotibus comburi, q̄d ſignificet.

Ignis, typus diuinitatis.

Mortis Chriſti finis, reſurrectio fuit.

Arietis primi oblatio, Chriſti typus.

gulis. Cuius rei rursum typus est aries altari impositus integer, et in membra sectus. Membra autem nos particulatim Christi, et vnum omnes intelligimur corpus. Quòd verò sacer, ac sanctus totus, et immunditiæ labem non habens, intestinorum ablutio optimè declarat. Adferuntur autē simul caput, et pedes, bonum Saluatoris vitæ odorem in sanctitate ab initio, et perpetuò significantes. Vniuscuiusq; enim animalis caput, principium est. Extremitas autem, ac finis totius corporis, pedes: aut alioqui melius fuerit, caput quidem mentis typum interpretari: incessus autem secūdum operationem actiui, pedes: fragrantia autem omnia in Christo, summaq; puritate prædita sunt, cogitationes simul et actiones. Neq; enim fecit peccatum. Idcirco etiam holocaustomata, et sacrificium vocat, arietis consecrationem. Non enim ex parte sanctus, ac sacer (siquidem hoc illi non conuenit: at nobis potius, imbecilles esse nōnunquam, et peccatis inuolui. Nemo enim mundus est à peccatis, et multa delinquimus omnes, iuxta id, quod scriptū habetur. PAL. Cæterum quo pacto existimet quis vitam etiā ipsam Christi pro nobis factam? CYR. Intelliges vtiq;, et quidē admodum faciliter, sciens nos transgressionis in Adam participes factos esse, ac tantum non peccati ab ipso cōmisso pęnas luisse, perueniēte in omnes execratione, et in vniuersum ipsius genus ita propagata. Carnē itaq; assumpsit, et habitauit in nobis Vnigenitus, subiecitq; seipsum Deo ac Patri. *Factus enim est obediens vsq; ad mortem,* disiunctione ex Adam abolita, obediētiæq; fragrantiā pro omnibus simul,

Caput, et pedes arietis, quid significet.

vita Christi, quomodo pro nobis facta sit.

Phil. 2.

et pro singulis obtulit Deo, ac Patri. Testis est Paulus ita scribens: *Itaq; si per vnius delictum propagatū est malum in omnes homines ad cōdemnationem: ita per vnius iustificationem propagatur bonū in omnes homines ad iustificationem vitæ. Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores cōstituti fuimus multi: ita per obedientiam vnius iusti constituentur multi.* Intelligis igitur, quòd saluati quidem sumus tanquā in vitulo, mortuo pro nobis Christo. Fragramus autem bonū odorem Deo ac Patri per obedientiam ipsius, vitamq; in sanctitate. Affundebatur enī sanguis arietis ad altare. PAL. Intelligo quid velis. CYR. Multifariam autē ipsum nobis effingēs veluti in vmbris. Et accipies, inquit, arietem secundum. Et occiditur quidem eâdem planè ratione, qua primus. Inungitur autem Aaron: et sacerdotum, qui sub ipso sunt, cœtus sanctificatur, intinctis in sanguine manus, atq; auris, et pedis dextrorū summitatibus. Sanctificatur autem etiam sacerdotū vestis aspersa sanguine. Reliquus autem sanguis ad basim altaris ex Dei præscripto affunditur. Intestina autem, et panis azimus et laganum vnum. Vtraq; autē erant oleo aspersa. Atqui offerūt quidē proprijs manibus gerētes, qui circa Aaron sunt. Excipit autem sacrificium, et defert Moyses. Præterea armum, et pectusculum sacerdoti reseruari debere inquit: et seponi inter segregationes. Nomen autem sacrificio est, Aries consecrationis. Absoluto autem thymiamate intestinorum, quod reliquum est corporis, cum panibus comeditur, ijs, quæ vsq; ad manè relicta erant, ignè exustis. Ita enim sacra scri-

Rom. 5.

Arietis secundi oblatio, quo pacto fieri solita sit.

Aries cōsecrationis.

scriptura habet. PAL. Quam profundus sermo. CYR. Rectè dicis. Est enī profundus admodum. Christi siquidem mysteriū parturit. Factus enim nobis est aries cōsecrationis, omnibus bonis absolutè instructos cōstituens, et virtutibus illustres per sanctimoniam in spiritu: ac ante alia auditum quidem imponens benedictionis plenum, hoc est, obedientem, et tractatu facilem, beneq; temperatum, atq; affectum ad dogmata de ipso excipienda, minimeq; acquiescentem dicacitati, execrabiliq; blasphemiæ, qua quidam vtuntur, veritati repugnantes, rectisq; dogmatibus contraeuntes. Hic enim sancti auditus est fructus. Atque ita beatus Ioannes nobis alibi ait: *Fratres, probate spiritus an ex Deo sint. Omnis spiritus, qui non cōfitetur Iesum Christum, ex Deo non est: et omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum, ex Deo est.* Atqui verborum iudicium, atq; experimentum, non aliunde quis petat, quàm ex auribus. Sancta igitur erit auris ijs, qui exactæ scientiæ, dogmaticæq; rectitudinis studiosi sunt. Atqui hoc Christi donum est, et cœleste xeniū, atq; opus sanguinis sancti. Omnium enim, quæ eximia sunt, creatio nobis in ipso, et per ipsum est. Idcircò etiam manus sanctificabatur, actiuæ operationis signum, quin et pes rectitudinis minimè exorbitantis symbolum. Sanctis enī operibus nos ornari oportet, et ad omnia, quæ Deo placent, fortiter eniti, iuxta illud in psalmis cantatum: *Conuerti pedes meos in testimonia tua.* Aut illud in libro Prouerbiorum: *Rectas fac semitas pedibus tuis, et vias tuas dirige.* Habeat itaq; sanctum, et electū genus, sanctū quidem auditum, manumq; similiter et pedem ijs, quos modo diximus, modis. Præterea omnia, quæ vnguntur, dextra sunt: et veluti in parte significātur, hoc est, in summitatibus. Summitas enim, inquit, auris, et pedis, ac manus. Omnis enim bona actio generosa est, et dextera, nihil in prauitate sinistrū habēs, et vsq; ad summa, hoc est, vsq; ad totū, siue finem. Oportet enim dextros esse in sanctimonia eos, qui Deo cōsecrati sunt vsq; ad finē in tolerātia. *Qui enim incepit, inquit, opus bonū in vobis, perficiat.* Absurdum autē vehementer est retrocedere quodāmodo, et à bono ad finē perducēdo præ vecordia absistere. Cū verò in typū Dei sit Moyses, offerūt quidem sacrificiū, qui circa Aaron sunt. Excipit autē ipse, significante quodāmodo per hoc Deo, quod eorum, qui ita sanctificati sunt ad Christū sacrificia tantum non à manu in manum suscipiet, neq; dedignabitur, Christi enim fragrantiam habēt. Atq; hoc, vt arbitror, sibi vult intestinorū ipsi succensorum oblatio. Seponitur autē sacerdoti pectusculum, et armus ab ariete consecrationis. Et armus quidē, roboris symbolum est. Pectusculum verò cordis, et renum datum est sancto et sacro generi, Christus, virtus, et sapientia à Deo et Patre. Nōne in ipso sapientes, robustiq; admodū sumus? PAL. Quis hoc neget? Scriptum est enim, quòd Christus sit virtus, et sapientia Dei, factaq; sunt nobis hæc à Deo. CYRIL. Sanctus autem cibus ijs, qui ad ministerium sacrum delecti sūnt, carnes. Dantur autem vnà cum panibus azymis nomine alienigenarum participe facto: aut si quis id faciat, morte mulctatur: sanctis enim

 ana-

Christus aries cōsecrationis.

Auris cōsecratiō, quid significet.

1.Ioan.4

Manus, ac pedis consecratio, quid significēt.

Psal. 118.

Prou. 4.

Dextra omnia vngi, q d significet.

Phil. 1.

Armus, et pectusculū arietis cōsecrationis sacerdoti separata, typus Christi.

1.Cor. 1.

animis cōuenit, sancto cibo vesci, hoc est, corpore Christi. Alienigenis verò inaccessibilis est benedictio. Alienigenæ autem censendi sunt, genus infidele, quodq; baptismum non suscepit: quin etiam ij, qui peruersi sunt, et à sanctorum cœtu sententijs dissidet, et in prauitate dogmatū diuulsi sunt. Absumuntur autem igne omnes sacrificij reliquiæ, non permittente Lege comedere etiam in crastinum. Sanctificationis enim aliud nobis futurus est modus in futuro seculo, spiritualiter effectus, neq; amplius corporaliter, eaq; ratione, quæ Deo omnia præparanti, et quocunq; voluerit transferenti, cognita est. Atqui ex his sensus etiam grauior elici potest. Dissoluto enim in nobis interitu, post resurrectionem à mortuis, necessaria nō sunt ea, per quæ eum effugere possimus. Alius itaq; sanctificationis modus, tēporis conditioni conueniens, intelligetur: existente nobiscum Christo. Porrò id, quod nobis in mentem venit dicentes, meliora cogitantibus, cōcedemus. Atqui tale quid subindicare videtur diuinus Paulus, dicens: *Quando autem venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.* Ac si dicas, finem sortietur, et sistetur. PAL. Ita videtur. CYR. Hæc igitur peragi debere inquit, ad sacerdotum consecrationem. Constitutis autem, et collectis in ecclesiam sacerdotibus Israeliticis publicam eorum manifestationem fieri præcepit, dicens: *Accipe Aaron, et filios eius, et oleum Chrismatis, et vitulum pro peccato, et duos arietes, et canistrum azymorum, et omnem congregationem conuoca ad ostium tabernaculi testimonij. Et dixit Moyses ad synagogam: et fecit, sicut præcepit ei Dominus, et conuocauit ad ostium tabernaculi testimonij: et dixit Dominus: Hoc est verbum, quòd præcepit Dominus, vt facerē. Asperge oleo Chrismatis altare septies, et omnia vasa eius, et labrum, inquit, et tabernaculum: et omnia, quæ in eo: et sanctifica uit omnia. Sanctum enim tabernaculum.* Consequitur autem perfectè altare sanctificationem per spiritum, non instar eorum, quæ ratione prædita sunt, (neq; enim ita sanctum vt angeli, aut hominis anima,) sed quodāmodo ex contactu sacrificij ipsi impositi. Sanctus enim est etiam locus, in quo fuerit Christus. Vncto itaq; altari septies, hoc est, largiter, sanctificat Aaronem. Perfundit enim eum oleo Chrismatis, deinde obtulit sacrificia pro ipso, et eius filijs, ijs, quos supra recensuimus, modis. His autem absolutis, præcipit insuper dicens: *Et ab ostio tabernaculi testimonij nō egrediemini septem diebus, vsq; ad diem plenitudinis dierum cōsecrationis vestræ. Septem enim dies consecrabit manus vestras, sicut fecit in die hac, qua præcepit Dominus facere ad propitiandum pro vobis. Et ad ostium tabernaculi testimonij sedebitis septem dies, die et nocte: et custodietis custodias Domini, et non moriemini. Sic enim pręcepit mihi Dominus.* Quęnam igitur in singulis sacrificijs peragendis ratio adhibita fuerit, abundè satis à nobis dictum est. Omissa itaq; nimia horum inuestigatione, hoc aggrediamur. Non permittit Lex eos, qui sacram, atq; eximiam sortem adepti sunt, et iam consecrati ad sacerdotij functionem, sanctum tabernaculū egredi, sed in septimum vsque diem

Alienigenæ, infideles.

Reliquiæ arietis consecrationis igne absumendæ, quid significet.

Sanctificatio futuri seculi nobis ignota.

1. Cor. 13

Leuit. 8.

Altare, quomodo sanctum dicatur.

Leuit. 8.

intus

Sacerdotes poſtea quã cõſecrati erãt, per ſeptem dies, ac noctes tabernaculum non egredientes, quid ſignificent.

intus ſedere, et tantum non ianuis affigit, non tranſgredientes limen. Conſeſſum nimirum in locis ſanctis, ſymbolum, puto, conſtituens conſtantiæ, ac firmitatis in ſanctitate. Firma enĩ, et inconcuſſa virtute nos præditos eſſe oportet, qui ad aſsidendum Deo cõſtituti ſumus, non decentem modum excedentes, neq; eam animi affectionem. quæ ſanctos deceat, tranſgredientes, ſed iuxta quodammodo, et apud Deum habitantes, ſecundũ id, quod per prophetæ vocem dictũ eſt: *Quærens, quære: et apud me habita.* Porrò per ſeptem dies id facere præcepit Moyſes, perpetuò Deo aſsidendum, atq; acquieſcendum eſſe, ſeptenario numero ſignificãte, quaſi dicat, aſsiduè, et in perpetuum. Poſtquam verò tabernaculum ingreſſus eſt, vt præcepta Domini obſeruent, iubet. Obediẽtiam nimirum, aſſeſſus apud Deum fructum eſſe oſtendens, eaq; facere, quæ legiſlator mandauerit. Aſsidendum itaq; hoc pacto eſt omnium Domino. Extremaq; mala impendent ijs, qui circa id, quod bonum eſt, neglıgentiores fuerint. Idcirco enim adiecit, vt arbitror, Moyſes: Ne moriamini. PAL. Rectè dicis. CYR. Conſecrato itaq; ad ſacrorum adminiſtrationem Aarone, ea, quæ præcepta ſunt, exequi incipit. Quanam autem ratione, age dicamus. Scriptum eſt enim Leuitico, *Et factum eſt die octaua, vocauit Moyſes Aaron, et filios eius, et ſeniores Iſraël. Et dixit Moyſes ad Aaron: Accipe tibi vitulum de bobus pro peccato, et arietem in holocauſtum immaculatum, et offer ea coram Domino. Et ſenioribus Iſraël loquere, dicens: Accipite hœdũ ex capris vnum pro peccato, et vitulum, et agnum anniculum ad holocauſtum immaculata: et vitulum, et arietem in ſacrificium ſalutaris corã Domino, et ſimilam conſperſam in oleo, quoniam hodie Dominus apparebit in vobis. Et acceperũt, ſicut præcepit Moyſes contra tabernaculum teſtimonij: et acceſsit omnis congregatio, et ſteterunt coram Domino, et dixit Moyſes: Hoc verbum, quòd pręcepit Dominus facite: et apparebit in vobis gloria Domini. Et dixit Moyſes ad Aaron: Accede ad altare, et fac quod pro peccato tuo, et holocauſtũ tuum, et propitiare pro te, et pro domo tua, et fac dona populi, et propitiare pro eis, ſicut præcepit Dominus.* Si itaq; mentis acie, Palladi, ſacram ſcripturam perluſtremus, manifeſtum etiam in hoc Chriſti myſteriũ reperies. PAL. Quonã pacto. CYR. Octaua enim die deſinit quodammodo Moyſes conſecrare. Incipit enim Aaron. Cœterum non tacuit Moyſes, procedente iam ad ſacerdotij opera Aarone. Tempus enim ſacerdotij Chriſti, meritò intelligatur, quod poſt Legem eſt, hoc eſt, octauum: in quo reſurrectio, et principium quoddam veluti noui ſeculi. Noua enim creatura in Chriſto, iuxta ſcripturam. Manifeſtato autem iam Chriſto octauo die, deſinit Moyſes. Neq; enim in typis amplius, et vmbris colimus. Legalis itaq; diſciplina non tacuit: ſpiritualis enim eſt Lex, ſpiritualibus, ſemperq; Chriſti myſteriũ loquitur. Edixit itaq; Moyſes octaua die gloriã Domini apparituram. Prędixit enim Lex Saluatoris noſtri aduentus tẽpus. Adijcit autẽ rurſus, Aaronem prius pro ſeipſo ſacrificaturum, poſtea verò pro omni populo: rem hanc, arbitror, nobis

Eſai. 21.

Septẽnarius numerus pperpetuitatẽ ſignificat.

Leuit. 9.

Aaron octauo die ſacrificare incipiẽs, qd ſignificet.

nobis typum proponens, aperteq; significans, quòd eos, qui electi sunt in sacerdotium, quiq; sanctificationem in fide susceperunt, deceat sacros, ac sanctos esse. Quisnam autem fuerit oblationis modus, pro virili declarabimus. Vitulus igitur pro peccato, atque expiatione eorum, qui sacra administrabant, occidebatur. Affuso autem ad altare sanguine, et thymiamate intestinorũ peracto, reliquum corpus igne comburebatur. Porrò aries holocaustum erat, iuxta consuetam holocausti legem. Hircus verò sacrificium ad expiandum peccata populi. Vitulus autem paruus, et agnus in holocaustoma. Aries, et vitulus in sacrificium salutaris, imposita etiam altari simila, si non tota fortasse, manipulo saltem, et ex parte. Deinde inquit:

Leuit. 9. *quòd eleuans Aaron manus suas ad populum, benedixit eis: et descendit, cum fecisset quod pro peccato, et holocausta, et quę salutaris. Et ingressus est Moyses et Aaron in tabernaculũ testimonij, et egresi benedixerũt populo, et apparuit gloria Domini omni populo. Et egressus est ignis à Domino, et deuorauit, quæ in altari, et holocausta, et adipes: et vidit omnis populus, et obstupuit, et ceciderunt in faciem suam.* PAL. Quid verò de his etiam dices? CYR. Visa est reuera gloria Domini octaua die, siue manifestatus est Filius, gloria Dei ac Patris. Ita enim seipsum vocauit, dicens

Num. 14 ad sacratißimũ Moysen: *Viuo ego, dicit Dominus. Vel, Implebitur gloria Domini vniuersa terra.* Sanctos autem etiã nos declarat, ipse pro nobis, veluti in vitulo occisus, et à peccatis liberans, omnemq; accusationem à nobis remouens: atque vniuersam, quam contraxeramus labem abstergens. Ipse etiam similiter in odorem suauitatis spiritualis, veluti aries consecratus, ipse etiam sacrificium salutaris factus, sanctificans nos proprio sanguine. Ipse etiam simila oleo aspersa in lætitiam vitæ sanctæ, offerens seipsum pro nobis Deo ac Patri. PAL. Intelligo, quid velis. CYR. Ego verò existimo sacrificium pro Aarõ, et pro populo eleganter significare sanctorũ in Deum consecrationem. Manifestato autem deinceps Emanuele, per quẽ vocati sumus ad sanctificationem, acceptabiles, et sacri, atq; in odorem suauitatis consecrati sumus Patri. Atqui animaduerte, quòd per eos, qui iuxta positi dicti sunt, peracta sit legaliter sacerdotum cõsecratio: per ipsum autem rursus multifariam nobis sanctificatis. Exustus enim vt vitulus extra castra pro peccato. Thymiama etiam vt aries in holocaustum factus: membratim autem totus, vt pro singulis, et pro omnibus sanctificauit sanguine suo ipsos inungens, tanquam aries salutaris. At verò octauo die ostenso, hoc est, in quo celebrior facta est Christi gloria, soluta morte, et interitu proculcato, sacerdotes ac populi deinceps Deo offerunt, non extraneis quibusdam rebus ipsum colentes, neque externis oblectantes vniuersorũ Dominum: sed seipsos odoratißimum sacrificiũ exhibentes. In imagine enim quodammodo, oblationibus nostras ipsorum sacrificamus animas, Deoq; offerimus, morientes quidem mũdo, et carnalibus cogitationibus, et affectuum mortificationem sustinentes: ac tantum non vnà cum Christo crucifixi: vt ad sanctam, atq; irreprehensibilem vitam translati, iuxta ipsius volunta-

Post Christi resurrectionẽ sacerdotes, ac populi Christo offerunt.

Crucifigi cum Christo, quid sit.

voluntatem viuamus. Tale quid diuinus etiam Paulus scribit: *Semper mortificationem Iesu in corpore circunferentes, vt et vita Iesu in corpore nostro manifestetur.* Et rursum: *Si sustinemus, et conregnabimus. Si cõformemur morti, et passionibus eius, iuxta id, quod scriptum est, participes etiã resurrectionis, et gloriȩ erimus.* Idcirco extra portam quidem passus est pro nobis Christus, iuxta beati Pauli vocem. Eximus autem etiam nos, opprobrium ipsius ferẽtes, extra portam perinde vt vituli occisi, atq; vt aries sacrificati, vitam in Christo Deo fragramus. Atque hæc quidem pro Aaron, et filijs eius, ac socijs sacrificia. Pro populo verò hircus pro peccatis. Et quænam ratio, cum vitulus paruus offeratur ad expiationem sacerdotum? Præstantiora autem omnia sacerdotũ, et sacrificij oblationes, quæque ad expiationem, purificationemq; pertinent. Maior autẽ quoad magnitudinem corporis est vitulus hirco, spiritualis in rebus præstantiæ manifestum signum. Vitulus autem paruus, et agnus in sacrificium simplicitatem in Christo eorum, qui in fide cõsecrati sunt, subindicat. Vitulus verò, et aries tolerantiam, et robur, atq; in mansuetudine vtilitatem optimè significant: ac prioris quidem typus est vitulus, secundi autem aries. Simila autem oleo aspersa splendidam vitæ in Christo spem notat. Neq; enim mœrentes ac flentes, sed alacres et hilares vitam in Christo amplecti oportet. Hoc enim: vt arbitror, est illud: *Venite exultemus Domino.* Ita enim purè, atq; manifestè gloria Dei illucescet, libentissimè excipiens sanctorum oblationes, quemadmodum ferè Deus in specie ignis manifestè descendit, ac depastus est sacrificia. Tantum non enim pro cibo, ac delitijs ducit Deus, eorum, qui in fide iustificati sunt, affectum. Subindicat autem mysticum aliquid sermo. Tunc enim Deus in frusta ignis vigorem immisit, quodammodo proposita capessens. (Deus enim semper ignis figuram præ se fert.) Nunc autem spirituali sacrificio ipsi proposito, non in specie ignis, sed in Spiritu sancto, proposita spiritualiter capessens viuificantem eum exhibet ijs, qui participes esse desiderant, et verè hoc in fide suscepimus. PAL. Rectè ais. CYR. Sublatis Aaron manibus benedixit populo. Ac vide rursum, veluti in prima manuũ impositione super populum per Aaron factam, Christi mysteriũ. Benedicit enim omnibus verus Aaron sacerdotibus ac, populis, paruulis simul, et magnis, vt scriptum est, tantum nõ manus imponens. Atqui manus impositio, manifestum signũ est sanctispiritus in nos descensus. Porrò ante sacrificium Aaron, manus impositio non erat. *Neq; enim erat spiritus, (iuxta beati Ioannis vocem,) quia Iesus nondum glorificatus erat.* PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Modum etiam orationis sacerdotum recenset, prædictiones quasdam passionum per Christum constituens, verba, quibus ea constat. Ait enim: *Loquere Aaron, et filijs eius dicens: Ita benedicetis filijs Israël, dicentes eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te: illuminet Dominus vultum suum super te, et det tibi pacem. Et imponent nomen meũ super filios Israël: et ego benedicam eis.* Precipit itaque, vt sacerdotes populo

2.Cor.4

2.Tim.2

Psal.94.

Ignis cõsumẽs sacrificia, quid significet.

Manus impositio signũ est Spiritus sãcti in nos descensus.

Manuũ impositio ante Aaronis sacrificiũ nõ fuit.

Ioan.7.

Num.6.

Benedicendi populi modus.

populo benedicat. Auocat autem vtiliter à vanitate cogitationum non hominis manũ benedicentem esse ostendens, sed ipsummet, vt Dominum. *Omnis enim donatio bona, et omne donum bonum, et omnis benedictio è supernis est descendens à Patre luminum,* sicut scriptum est. Christus autem est benedictionis via, ipseq; est nobis cœlestium donorum dispensator: in ipso, et per ipsum omnia à Patre. Idcirco diuinus etiã Paulus: *Gratia vobis et pax, inquit, à Deo Patre nostro, et Domino nostro Iesu Christo.* Benedicimur itaq; in nomine Dei. Quo pacto autem hoc fieri debeat, pulchrè significans, sacerdotem orantem dicere debere ait: *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Illustret Dominus faciem suam super te, et misereatur tui.* Conseruat itaque benedictio, dissoluens maledictionẽ, et reformans id, quod peccarat, vt laudabiles simus in Christo: quod et Paulus testatur, ita scribens: *Benedictus Deus, et Pater dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti, et irreprehensibiles coram ipso per charitatẽ, qua prædestinauit nos, vt adoptaret in filios per Christũ in ipsum.* Vides, quòd abiectio propter peccatum fuit, et homo acceptus in adoptionem benedictus in Christo per participationẽ spiritus, quem affatim in nos effudit is, qui non ex parte cũ sanctis largitur, sed tanquam ex propria plenitudine immittit. Illuminationẽ verò vultus Domini statim nobis conciliet misericordiæ cõsecutio, si modò verum est, quod in cognoscẽdo Deum adeptio vitæ æternæ consistat. Ita enim Saluator ad Patrem ac Deum cœlestem dixit: *Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant te solũ verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Quòd autem facies Dei ac Patris sit Filius, qui etiam illuxit nobis, nemo planè dubitarit, vt ego quidem arbitror. Character enim est, et similitudo, atq; imago ipsius. Cognoscimus autem per ipsum, et in ipso Patrem: concurrente verò necessariò cum huiusmodi cognitione, misericordiæ cõsecutione. Iustificati enim sumus in fide, et non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secũdum multam eius misericordiam demolitus est à nobis interitus: et ad nouitatem vitæ in Christo trãslati sumus, cõ miserante nos Deo. Et iuxta alium etiam modum, si ad Iudæos sermonis vim transferamus, reuera misericordiam consecuti sunt, illucescente ipsis vnigenito. Impositum enim erat eis tanquam intolerabile, atq; vile pondus, Lex condemnans, atq; absq; misericordia puniens delinquentes. Misericordiam autem consecuti sunt, iustificantem gratiam tardè, ac vix per Christum adepti: cuius etiam aduentum videre desiderantes, ad vniuersorum Deum clamarunt: *Deus exercituum conuerte nos, et illustra conspectum tuum, et saluabimur.* Misertum itaq; est omnium nostrum in aduentu Christi. Atqui et exaltatio salutarem Dei pacem conciliat, cuius largitor, ac dispensator est Christus, tanquam proprium bonum credentibus in ipsum proponens ac tribuens. *Pacem enim, inquit, meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Quando enim exaltauit Filium Pater,

Marginalia: Hominis manus non benedicit, sed Deus. — Iac. 1. — Rom. 1. — Benedicimur in nomine Dñi. — Benedictio soluit maledictionẽ in qua nascimur. — Ephes. 1. — Ioan. 17. — Cognitionem Dei necessario cõsequitur misericordiæ consecutio. — Psal. 79. — Christus pacis largitor. — Ioan. 14.

ter, tribuens ei nomen, quod est super omne nomen: sede etiam à dextris meis, dicens: tūc demum extincta ea, quæ nos dirimebat inimicitia, pax cō posita est, eò quòd cogitemus, quæ ipsius sunt, et in spiritu ambulemus, in quo, et per quem diuinæ naturæ participes declarati sumus, coniungente nos in vnitatem Christo. Alibi enim ad Patrem inquit: *Volo, vt sicut ego et tu vnum sumus: ita et ipsi in nobis vnum sint.* Vnum siquidem corpus omnes sumus in Christo. Et copulatus Christo, vnus spiritus est, iuxta scripturam. Quòd autem Deo ac Patre propriam quodāmodo faciē exaltante, hoc est, glorificante Filium, pacem cum ipso consecuti simus, ipse declarat, dicens: *Quando exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me.* PAL. Rectè disseris. Ipse enim est pax nostra, et per ipsum accessum habuimus in Spiritu ad Patrem. CYR. De sacerdotibus itaq;, eorumq; institutione Lex hæc præscribit. Sanctificari autem oportere genus Leuiticum ait, et conuenienti modo purificatum, ministerijs, ad quæ designati sunt, vacare. Ita autē in Numeris ait: *Accipe Leuitas ex medio filiorum Israël, et purificabis illos. Et sic facies eis purificationem eorū. Asperges eos aqua purificationis, et introiuit nouacula in omne corpus eorū, et lauabunt vestimenta sua, et mundi erunt. Et accipient vitulum vnum è bobus, et huius sacrificium, similam confectā in oleo, et vitulum anniculū ex bobus accipies pro peccato, et adduces Leuitas ante tabernaculū testimonij, et cōgregabis omnem cōgregationem filiorū Israël. Et adduces Leuitas corā Domino, et imponēt filij Israël manus suas super Leuitas, et segregabit Aarō Leuitas, munus coram Domino à filijs Israël. Et erunt, vt operentur opera Domini. At Leuitæ imponent manus suas super capita vitulorum, et facies vnum pro peccato, et vnum in holocaustum Domino, ad propitiandum pro illis. Et statues Leuitas coram Domino, et corā filijs eius, et reddes illos munus coram Domino. Et segregabis Leuitas de medio filiorum Israël, et erunt mihi. Et post hæc intrabunt Leuitæ ad operandum opera tabernaculi testimonij.* PAL. Atqui declara, quisnam sit intelligendus sanctificationis modus Leuitis adhibitus. CY. Mysticus certè, Palladi, et in Christo rursus. Ipse enim nostra purificatio est, omniumq; sordium ablutio, et sanctificationis largitor. Asperges enim eos aqua sanctificationis, inquit, quod et Paulus ipse significauit, ita scribens: *Nam si sanguis taurorū, et hircorū, et cinis iuuencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi?* Ac verus quidem est sermo. Si enim typis inest vtilitas, et vmbra ipsa salutaris est, quomodo nō potius id, quod verum est, hoc est, sanguis Christi? Aqua igitur purificationis cineri iuuēcę, quę dicitur mortificationis, mista, manifestum Christi symbolum est, vt in sancto baptismo etiam nos ipsi implere gloriamur per fidē. Nam, sicut ipse rursum alibi diuinus Paulus ait, *Sepulti sumus vnà cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodū excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in nouitate vitæ ambulemus.* Alibi etiā inquit: *Semper mortificationē Christi in corpore circunferentes, vt et vita

Ioan. 17.

Patre Filiū glorificante, Patrē cū secuti sumus.

Ioan. 12.

Purgatio, et oblatio Leuitarū.

Num. 8.

Heb. 9.

Rom. 6.

2. Cor. 4

Iesu in mortali nostra carne manifestetur.* PAL. Quænam verò hic intelligenda est mortificatio Christi? CYR. E mortuũ esse mundo, et peccatis: et sacrosanctam, acceptissimãq; Deo vitam ducere. Qua de re rursum Paulus vehementer gloriatur, dicens: *Ego enim per Legem, Legi mortuus fui, vt Christo viuerem, vnà cũ Christo crucifixus sum. Viuo tamen, non tam ego, sed viuit in me Christus. Vitam autem, quam nũc viuo in carne, per fidem Filij Dei viuo: qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Hoc, vt arbitror, est, mori quidẽ mundo, et Christi mortificationem sustinere, viuereq; vitam in ipso. Cinis itaq; vitulæ mistus aqua, Iesu mortificationem, veluti in sancto baptismo peractam subindicat: cuius participes esse debere ait etiam eos, qui in ordine Leuitico sunt cõstituti, omni carnalis immunditiæ specie, tanquam in vmbra rursus abiecta. Hoc enim apertè significare censeo, pilos corporis nouacula radi. Viuus est enim sermo Dei, atque efficax, et penetrans, innatam nobis carnalium desideriorum immunditiem, veluti pilos ex mẽte præscindẽs: quam etiam legem peccati inhabitantem in membris carnis, et repugnantem legi mentis, ac in ea, quæ non decet, rapientẽ Sacra scriptura alibi appellat. Cæterum Spiritus sancti virtute, atq; efficacia tanquã nouacula præcisa imbecillior fit. Et si renascatur fortasse in nobis, acrius abraditur. *Spiritu enim ambulate, inquit, et concupiscentiam carnis non facietis.* Quẽadmodum verò nouacula pilos corporis nõ in vniuersum radicitus euellit, sed vbi creuerint, abradit: ita etiã in nobis Dei verbum, innatos quodammodo concupiscentiæ motus, siue affectus, non stirpitus (perfectio enim sanctitatis in futurum seculum reseruatur,) mortificat autem potius renascentem, repullulantemq; in nobis, et ferocientem in membris carnis legem domat. Pilorum itaq; ablatio mentis purificationem innuit, quam in nobis diuinũ, ac penetrans Dei verbum efficit. Vestium autem ablutio, eximiam incorruptamq; exteriorem vitam cõseruandam significat. *Procurantes enim honesta, inquit, non tantùm coram Domino, sed etiam coram hominibus:* vt scriptũ est. Ipse autem etiã alibi inquit: *Luceat lux vestra corã hominibus, vt cũ viderint bona opera vestra, glorificent Patrem vestrũ, qui in cœlis est.* Oportet itaq; eos, qui verè sancti, ac sacri sunt, internè pariter et externè puros esse, Iesu mortẽ in proprio corpore circunferentes, eiq; quodammodo copulatos per sanctum baptismum. PAL. Rectè ais. CYR. Offerri autẽ debere pro ijs, ait, sacrificiũ in duobus vitulis, perfecto et anniculo, hoc est, tenero, ac nouello. At perfectus quidem est, qui in holocaustum, adiuncto illi thymiamate similæ oleo conspersę. Alter vero pro peccato extra castra comburitur. Ita enim sacrificia pro peccato peraguntur. Porrò in vtrisq; rursum est Christus. In vitulo quidem in holocaustũ, totus sanctus, et in odorem suauitatis pro nobis Deo ac Patri: lætitiam et gaudium in spe vitæ sanctis cõferens: (siquidem simila olea conspersa vnà cũ vitulo offerebatur,) comitatur autem omnino eos, qui vitam in Christo colunt. Atqui tanquam vitulus pro peccato igne absumptus. *Vibice enĩ ipsius sanati sumus,* iuxta scripturas.

Mors Christi, quã portamus, quæ sit.

Galat. 2.

Cinis vitulæ aq̃ mistus, typus est baptismi

Rasio capillorũ Leuitarũ quid significet.

Heb. 4.

Rom. 7.

Gal. 5.

Nouacula est sermo Dei.

Vestium ablutio, quid significet.

2. Cor. 4.

Matth. 5.

Esai. 53.

Vitulus pfectus ſacrificatus in holocauſtũ anniculus vero pro peccatis, q́d ſignificet.

Animaduerte autem, quòd perfectus quidem vitulus ſacrificatur in holocauſtum. Anniculus verò pro peccatis occiditur, vt in hoc ipſo intelligas per duo vnum, veluti in perfectione quidem virtutum, fragrantiſsimum ſpiritualiter: vt in ſimplicitate verò, et innocentia occiſum. *Ego enim, inquit, tanquam ouis innocens ducta ad ſacrificium non cognoui.* Quòd autem pro omnibus ſimul, et ab omnibus donarium Deo ſacerdotale genus offertur, demõſtrat manuum impoſitio ab Iſraëlitis facta. Imponent enim, inquit, filij Iſraël manus ſuper capita Leuitarum. Quemadmodum enim Leuitæ victimatũ capitibus manus imponebant, atq; ijs, quæ ab eis mactabantur in typum Chriſti (faciebant autem id nequaquam benedicẽtes, vnde multum etiam intereſt, ſed quodammodo manuum impoſitione oſtendebant peccata noſtra portãtem Deum, et pro nobis ſacrificatum, vt affigeret ſuæ cruci chirographum, quod contra nos erat,) ita etiam manuum impoſitionem à populo ſuper Leuitas factam intellige. Quodãmodo enim pro ſeipſis Deo in ſacrorum adminiſtrationem ipſos ſiſtẽtes vt electos manus impoſuerunt. Cæterum peracta quidem eſt tunc manuum impoſitio. Tranſlatis autem nunc rebus in melius incomparabiliter, ijs, qui ad ſacerdotium per Chriſtũ vocati ſunt, populi conſenſum, approbationemq; ſuam præbent, vt digni ſint ritè acclamãtes. Atq; hoc quidem in eccleſijs, quemadmodum veteres apud ſanctũ tabernaculum Leuitis manus imponebant. Manifeſtum igitur eſt, quòd ſi non in eccleſia, neq; populi conſenſu fiat, præter diuinam voluntatem eſſe, et ſacris legibus repugnare. Conſecrati verò Leuitæ, omnia, quæ ad ſacrorum adminiſtrationem pertinẽt, capeſſunt. Quocirca odor ſanctus in Chriſto, niſi prius purificetur eo, quo dictum eſt, modo, longè ſemoueatur. Neque enim impunè ſancta altaria attinget.

Ierem. 11

Leuitæ manus victimis imponẽtes, quid ſignificet.

Populus Leuitis manus imponẽs quid ſignificet.

Explicit liber vndecimus.

D. CYRILLI, ARCHIEPI scopi Alexandrini de Adoratio ne in spiritu, et veritate.

Liber duodecimus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

De sacerdotio.

DE veste igitur sacra, deque sacrificijs, quæ in sacerdotũ cõsecratione peragi Deus præcepit, apertè dictum est. Cum verò quamplurima de ijs sancita sint, deq; ipsorum officio, et ministerio, ac purificatione, deq; diligentia, quã adhibere debent, vt legaliter, ac ritè ad spiritualem honestatem vitam instituant, ante alia hãc de re agendũ censeo. PAL. Quanã? CYR. Consecratũ Deo, ac delectũ ex omnibus tribubus erat genus ex sanguine Leui: et Lex ei sacerdotio fungi concessit, Deo nimirũ ei hoc peculiare donũ tribuente. Cœterũ nõ promiscua multitudo nulla examinatione prȩhabita ad sacerdotiũ admittebatur: neq; cuiuis simpliciter id muneris delegabatur, eò quòd ex sanguine Leui esset: at verò diligenter inquiri iussit, et quidẽ curiosè admodum, an aliquo eorum vitiorũ laboraret, quæ Deo displicent, eiq; inuisa sunt: et an accedat aliquid reprehẽsione dignum in se habens, ac tãtum non illotis pedibus ingrediens tabernaculum testimonij; offendebat etiã imprudens. Ita autem rursus in Leuitico scriptum est: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron: Homo de genere tuo in generationes vestras, cui fuerit in ipso macula, nõ accedet offerre dona Dei sui. Omnis homo cui fuerit in ipso macula, nõ accedet. Homo cæcus, vel claudus, vel mãcus, vel aure trũcatus, vel homo, cui fuerit in ipso fractio manus vel fractio pedis, vel gibbosus, vel maculosus, vel depalpebratus oculos: vel homo, cui fuerit in ipso scabies agrestis, vel impetigo, vel vnius testiculi, omnis homo, cui est in ipso macula de semine Aarõ sacerdotis, nõ appropinquabit, vt offerat sacrificia Dño: quoniã macula in ipso, dona Dei sui nõ accedet, vt offerat. Dona Dei sui, sancta sanctorum, et à sanctis comedet. Sed ad velum non accedet, et ad altare nõ appropinquabit: quoniam maculam habet, et non profanabit sanctũ Dei sui: quoniã ego Dñs sanctificans eos.* PAL. Atqui dic mihi, meretur ne morbus

Leuit. 21

Ministros Dei quales esse oporteat.

morbus corporis reprehenſionē? Aut incuſat ne creator naturam inuoluntariè corruptam? CYR. Euge Palladi. Rectè enim ſentis. Accuſandi enī meritò ſunt nonnulli, qui voluntariè ſuam ipſorum mentem ad prauitatē ſubuertunt, et ad quæuis abſurda ſua ſponte feruntur. Morbis autem, qui naturaliter, atq; inuoluntariè corporibus eueniunt ſuccenſere, rigidum atq; inhumanum fuerit: neq; improbitatis ac ſeuitiæ culpa vacat. Atque hinc facilè intellectu fuerit, Deus totius vniuerſi opificem, nequaquā ob inuoluntarias cauſas hominis naturam incuſare: neq; tanquam execrabilem eum, qui corporis morbis laboret, à miniſterio ab ipſo inſtituto excludere: ſed veluti in typo rurſum corporalium, ad elegantiorem cogitationem nos acuit: et multiplices animi morbos ob oculos ponit. Quòd autem odioſa Deo res ſit, declarat. An nō enim diuinus Paulus eos, qui ad ſacerdorium delecti ſunt, comitari debere ait, omnium laudabilium rerum gloriam, vt inquit, *ſufficientiam habens ſit homo Dei, exuberans in omne opus bonum? Oportere etiā epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,* affirmauit? et quidē apertè, magnāq; in hoc cautionem ponit. PAL. Aſſentior. Quænam verò ſingulorū morborum, quos modo recenſuimus, ratio ſit, velim equidem mihi declares. CYR. Age igitur particulatim veluti in ſpecie repetentes, quod in mentem venerit, dicamus. *Homo, (inquit,) de genere tuo in generationes veſtras cui fuerit in ipſo macula, non accedet offerre dona Dei ſui.* Grauis ſermò, et acerbum præceptum. Statuta enim eſt hæc lex, non ijs ſolùm, qui illic ex

1. Tim. 3

Aaron erant, ſed ad vniuerſum genus pertinet: atq; ad omnem ſanguinem ſacerdotalem, et in omne tempus pertingit. Nullo enim tempore acceptabile eſt apud Deum, quod culpa non vacat: neq; quiſquam tempus dicere poſsit, quo ipſi gratum ſit id, quod dānatum eſt, et ſpiritualibus morbis affectū. In precio autem apud eum eſt, quod ab omni reprehēſione liberum eſt, neq; vlla ex parte labe aliqua infectum: at potius omnibus virtutis numeris abſolutum, et vegetum ad ſanctitatem, ac cui curæ ſit rectè agere in patientia, quodq; aſsidua prudentia præditum ſit. Idcirco legem hac de re ſanxit, quæ totum genus comprehenderet, incorruptum ſibi ipſi ſacrum, atq; electum genus decernens. Tunc quidem, veluti in tribu Leui, et tanquam ex ſanguine Aaron: nunc autē ſicut in ſanctificatis in Chriſto magno veroq; pontifice, cui per ſpiritū communicauimus, propriæq; ipſius naturæ participes declarati ſumus. Quocirca etiam in fraternitatem acceſsitis ijs, qui in fide iuſtificati ſunt, tanquam ſocijs profitetur, dicens: *Ecce ego, et pueri, quos dedit mihi Deus.* An non enim perſonæ Chriſti etiam hac de re ſermonem accommodare diuino Paulo viſum eſt? PA. Omnino. CYR. Arcet itaq; à ſacerdotij functione eos, qui aliquo prædictorum morborum laborauerint, ac ridiculi ex nomine fuerint.* Non accedet enim, inquit, ad offerendum dona Deo, homo cæcus, aut claudus.* Habet enim in ſe res, etiam ſi intelligatur corporaliter, multum deformitatis. Exemptis enim oculis, et pede non firmo, et officium ſuum facere, hoc eſt, recta incedere nequeūte, quo

Spirituales morbi, nō vero corporales, Deo odioſi.

Heb. 2.

pacto non satius sit quiescere? Cum neq;, quo necesse sit ire sacerdotem, nouerit: aut nõ absq; risu pede et oculis vtens alienis. Cœterum parua admodũ huius ratio habeatur. Quę verò ad cognitionem, spiritualemq; cõtemplationem faciunt, age dicamus, sensus difficultatem superantes. Cæcum igitur videtur vocare, qui stupidus ac mentis expers sit. Quod enim in terrestri corpore est oculus, hoc in anima dicitur mens, lumine quidẽ diuino illustrata, et ad ipsam incorruptam pulchritudinem suspiciens, et subtili ac versatili cogitatione ad summum gloriæ fastigium aspirans, et à dogmatica rectitudine aberrare nesciens. Atq; hoc, vt arbitror, est prouerbialiter dictũ: *Oculi tui recta videant, et palpebræ tuę annuãt iusta.* Dictum est autem etiam alibi ad Iudæorum matrem non rectè videntẽ: *Ecce non sunt oculi tui, neq; cor tuũ rectum: sed ad auaritiam tuam, et ad iniquitates, et ad homicidiũ.* Ineptus igitur est ad sacerdotium, qui spiritualiter cæcus est, hoc est, qui omnino imprudens est, intellectusq; ac mẽtis expers. Ineptus etiam claudus, hoc est, vir, qui rectè ambulare nescit, neq; firmiter incedere valet. Cæcitas enim, vt modò dixi, extremę imperitię symbolum est. Claudicatio verò, interrupti atq; imbecillis motus atq; animi, quem ad res gerendas quispiam præ se fert. Nonne verò ijs, qui ita affecti sunt, meritò inclamemus? *Confortamini manus dissolutæ.* Quin et Christus ipse increpabat populum Iudaicum, quippequi rectæ ipsius semitæ insistere nollet: at potius claudicaret, et à rectis cogitationibus decisceret. *Filij enim, inquit, alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, et claudicauerunt à semitis suis.* Aequalia itaq; inter se, ac vicina admodum vitia sunt claudicatio mentis, et cæcitas: hæc quidem eam, quæ in intellectu præstantiam: illa autem bonorum operum robur inutile efficiens. Reijciendũ insuper Lex esse ait eum, cui aut nasus truncatus sit: vel auris, quibus huiusmodi ratio accommodari potest. Odorãdi enim sensu ea, quæ malo aut bono odore pręditá sunt, discernuntur: omniaq; quæ eius naturæ sunt, vt, inquam, odorem ex se emittant. Vehemens autem est sensus, qui discernit ea, quò oblectandi vim habent, ab ijs, quę contra, quæq; aliter se habent, et veluti in deteriore parte cõsistunt. Mens vtiq; humana, si rectè ex se cõstituta fuerit, fortiter quidem contendit ad discernẽdas rerum qualitates, et exacta singularum exploratione, inquisitioneq; adhibita, veluti nummularius omnia expendens, id, quod bonum est, retinens: atq; ab omni specie mali abstinens, iuxta scripturam, insignem laudem consequetur. Immutat enim quodãmodo id, quod turpe, atq; adulterinum in factis est: facileq; ad id, quod vtilius, præstantiusq; est, se confert. Depresio itaque nasi, significat eum parum sano, integroq; sensu præditum esse, quo singulas res accuratè distinguentes, quę bona sunt, amplectimur: quæ mala, detestamur: eoq; nomine sapientes, atque industrij: et quid non eiuscemodi sumus, et vocamur? Odor enim quodãmodo mentem petens eorum, quę ab ea intelliguntur, veluti qualitas quædam actiua est, magnam secum vtilitatem adferens. Auris verò præcisa, siue truncata, mea quidem sententia, inobe-

Cæcus quis dicatur spiritualiter

Prou. 4.

Hier. 22.

Cæcitas, imperitiæ symbolum.

Claudicatio qd significet.

Esa. 35.

Psal. 17.

Naso trũcati, qd significent.

Aure trũcati, qd significent.

Auris præcisa, inobediẽtiã significat.

inobedientiam ſignificat. Auri enim affectæ id tribuerint vitij, vel quòd ex parte obediens ſit, et non perfectè ad obedientiam præſtandam compoſita: ſiue quòd non integrè audiat, ſacras præcipuè literas: quod quidem faciũt nonnulli, ad ea, quę minimè cõuenit, inconſultè animi obedientiam deflectentes. Sint verò hi, iuxta ſapientiſsimi Pauli vocẽ, quibus aures pruriunt,
2. Tim. 4 et à veritate eas abducunt: addicti verò ſpiritibus erroris, atq; in prophana vaniloquia prolapſi. Qui ergo truncata aure eſt, interioris ac ſpiritualis auditus defectum ſignificat, lapſumq; è rectitudine ad prauitatem. Pręterea ſi quis manus, aut pedis fractura laborans acceſſerit, arceatur, inquit: et eodem ordine, quo alij, habeatur: ſignificare volẽs eum, cui pes fortaſſe, aut manus confracta ſit: cœterum non in vniuerſum ita affectus fuerit, vt omnino ad munia ſua exequenda ire nõ poſsit: neque rurſum integro perfectoq; inceſſu ſit præditus. Sint verò etiam hi rurſum, qui faciunt opus Domini negligenter, quibus væ minatũ
Iere. 48. Deut. 16 eſt per vocem prophetæ: ſiue qui iuſtum, non iuſtè faciũt, ſicut ſcriptum eſt. Animaduerte autem, quòd ſpirituali perfecteq; claudicationi mediocris etiam pedis defectus æqualis eſt, ac pro eodem habetur. Perinde enim eſt, nihil omnino boni facere poſſe, et non rectè facere. Porrò in claudicatione quidem ſignificatur, nihil omnino facere. In fractura verò, non rectè, atque integrè. PAL. Ita videtur. CYR. Gibboſum autem et maculoſum, et depilata habentem ſupercilia rurſum in eorum numerum refert, qui reijciendi ſunt. Et gibboſum quidem eſſe dicimus incuruum quodam

Væ minatũ eſt ijs, qui iuſta nõ iuſte faciunt.

Gibboſus, quid ſignificet.

modo, et deorſum cernentem, atque ad carnalia deſideria ſe inclinantem: quiq; terrenis rebus mentis oculis affixus ſit: atque ita animo affectus, vt ſe erigere nolit ad cœleſtium rerum cogitationem: cuius vitij Iudæi arguuntur, de quibus ſcriptum eſt: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant: et dor- Pſal. 68. ſum eorum per omne tempus contorque.* Maculoſum autem, qui ſcabritiem cutis, ἐφηλίδα Græcè dictam, in fronte habent. Morbus autem hic eſt, ſummum cutis aſpectum denigrans. Ij verò, qui hoc vitio laborant, occultare id nulla ratione poſſunt, cũ ipſis ſupercilijs ſuperinducatur, totamq; faciem occupet. Maculoſus itaque eſt huiuſmodi corporaliter. Spiritualiter verò, impudẽtem ſignificat, nudam, atq; non obtectam, et quodãmodo impuram faciem habẽtem, ſed omnibus conſpicuam vitæ ſuæ turpitudinem: adeò vt neſciant id, quòd à ſapientibus rectè dictũ eſt: Sapientes occultant ſua ipſorũ dedecora. PAL. Quo pacto ais? CYR. An nõ enim innumera ſunt in nobis vitiorũ genera? PAL. Maximè. Quidnã igitur hoc? CYR. Quia, inquã, laborat vnuſquiſque eo, quo laborat, morbo. Cœterũ ſæpenumero præ pudore fratrũ, magnũ ſtudiũ, laboreq; adhibet, vt ſanus eſſe videatur: malũq; ſuũ ſimulat, atq; occultat. PAL. Rectè ais. CYR. Si verò quis eò impudentiæ deuenerit, vt pro nihilo habeat, publicũ omnibusq; notũ eſſe vitiũ ſuũ, et ab honeſtatis ratione planè alienus ſit, nõne tibi deinceps à ſacro et ſancto genere longè remouẽdus videbitur? PAL. Omnino. CYR. Maculoſum itaq; vocat Lex huiuſmodi hominẽ, qui neq; occultare quidẽ morbũ, ſiue vitiũ ſuũ nouerit.

Maculoſus, quid ſignificet.

Lippus, siue depilatos oculos habens, q̃d significet.

Depilatos autem oculos habentem, nõ quidem eum, qui omnino visu priuatus sit: sed qui eo integro non fruatur: cuiusmodi sunt quidam, quibus inest quidem prudentia: at rectè sentire velle, non videntur. Quidam enim videntes, inquit, bonum, in ea, quę minimè oportet, propria voluntate ferũtur: quidam verò etiam cum dogmaticã rectitudinem consequi possent, tantum non propriam mentem corrumpũt, et deformissimas opiniones captant, nihil sanum de gloria Dei admittentes: cuiusmodi sunt quidã, hæreticorum præcipuè filij, ac præterea

Iudæorũ error.

Iudæi, qui Deum quidem Patrẽ esse credunt: Filium verò secundum naturam ex ipso genitum imprudentissimè reijciunt. Quocirca verum est, quod de eis per vocem prophetæ can

Ierem. 5.

tatum est: *Oculi ipsis, et non vidẽt.* Nihil enim iuuat videre, nisi sanè, integreq; videre contingat, quemadmodum ferè claudicationem, et pedis fracturam pro eodem vitio haberi iure diximus. Nihil enim in vniuersum discriminis fuerit, si quis nihil prorsus incedere possit, et si quis non rectè incedat: eam nimirum, quæ in rebus cõsistit, viam, atq; veluti in operibus semitam. PAL. Rectè ais. CYR. Non ingredietur autem homo ad sacrificandum, qui scabie agresti, aut impetigine laboret: neq; is, qui vnum tantùm habet testiculum, cui est in ipso macu

Scabies agrestis, quid significet.

la. Agresti igitur scabiei, comparandi sunt absurdi affectus acutis fluxionibus menti offusi, et modum omnem excedẽtes. atq; ex voluptate quidem originem trahentes, ad acerbum verò finem perducentes. An non enim censes, vniuscuiusq; delicti modum quendã, atq; excessum videri? PAL. Quo pacto ais? CYR. Is, qui à carnali voluptate superatur, nequaquam eo vitio moderatè simul, et immoderatè laborat. Quidam enim superantur tãtùm, ac per interualla laborant: quidã

Vitiorũ discrimina.

verò ad summum vitiorum pertingunt, et assidua libidinis irritatione laborãt, adeò vt ipsos etiam vitij modos, quos natura fert, excedãt. PAL. Intelligo, quid velis. CYR. Vniuscuiusq; igitur vitij absurdus excessus vltra rationem ac modum, vltraq; id, quod in vsu plerisq; est, vocatur scabies agrestis. His adijcitur impetigo, omne vitium, quod semper in amplũ serpit, ac cuius perpetua sunt in peius incrementa. Contrahi autem oportere à nobis, et in angustum cogi, atque imminui vitia, quæ nobis accidũt, diuina lex vult. Huiusmodi quid intelliges, audiens: *Si spiritus potestatem habentis ascẽderit in te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio facit cessare peccata magna.* Nisi enim reprimãtur vitia, semper in turpius serpunt: et cor ac mentem apprehendunt, atque in perniciem trahunt. Oportet itaq; increpari à nobis vitia, sobrietate in nobis ea cõstringente, atq; ad melius traducente, ac paulatim tollente. Prçterea vnum testiculum habentem, vt ego quidem arbitror, semiuirum vocat: et id, quòd perfectè virum decet, excisum habentem. *Neq; enim scortatores, neq; molles regnum Dei possidebunt.* Effœminatos autem eiuscemodi vocat, quòd cum viri naturã nacti sint, ementita virilitate præditi sint, mente pariter et corpore effœminati, et sponte ad imbecillitatem molitiemq; eneruati. Verisimile autẽ est eum, qui vnum tantùm testiculũ habeat, etiam aliud quid significare. Virum

Impetigo, quid significet.

Eccle. 10

1. Cor. 6.

Monorchis, q̃d significet.

Vir, quis ſit. rum enim vocare, mos eſt, eum, qui robuſtus, beneq; conſtituto corpore eſt: et in quo nihil deſideratur ad omnes functiones, quas velit, exequẽdas. Semiuir quis ſit. Semiuir autem iure dicatur, qui nõ integrè robuſtus eſt, neq; in vniuerſum ijs, quæ ipſum decent, præditus. Neq; verò decẽs ſit, eum, qui Deo aſsiſtere debeat, mutilam virilitatẽ, aut imminutũ robur adferre, et veluti ex parte infirmũ eſſe: at potius viriliter agere, integroq; robore pollere, irreprehẽſibili prõptitudine præditũ. Profanus itaq; reuera eſt, qui macula aliqua laborat. At verò nõ prohibetur, quominus ſancti cibi particeps fiat. Comedat enim, inquit, de ſanctis. Ceterum ad velũ non accedet, et ad altare non appropinquabit. Qui enim adhuc intus in mẽte occultas infirmitates gerũt, participes quidẽ fient benedictionis Chriſti, ſed nõ inſtar ſanctorũ incrementũ ſanctimoniæ, neq; ſtabilitatem mentis, atq; in omni bono firmã conſtantiã, ſed tanquã modo infirmis conueniente ad depoſitionem vitij, et ad ceſſationem à peccato, ac mortificationem voluptatũ, deniq; in aſſumptionẽ roboris ſpiritualis. Imbecilli, quo pacto Chriſti benedictionis particípes fiat. Cùm enim Chriſtus ſit noua creatio, iuxta ſcripturas, ideò ſuſcipiemus et nos ipſum in nobis ipſis per ſanctã ipſius carnem et ſanguinẽ, vt per nouitatem vitæ inſtaurati per ipſum et in ipſo *veterẽ hominem exuamus, qui corrũpitur, iuxta cõcupiſcentias erroris.* Epheſ. 4 PAL. Rectè ais. CYR. Interdicit itaq; ſanctorũ operũ adminiſtrationẽ ijs, qui quodãmodo ſpiritualem læſionẽ, ſiue contumeliã iniuſtã habẽt. Nequaquã enim ſanctũ eſt, quod ſemper adhærẽſcentibus vitijs laborat. Quinetiam ſi cui omnibus partibus, quæ ad adminiſtrationem ſacrorũ requiruntur, abſoluto, et in quem nihil omnino reprehenſionis cadat, huiuſmodi cõmunibus, neq; leuibus illis malis laborare cõtingat, non impunitũ eum relinqui debere precipit dicens: *Loquere Aaron et filijs eius: et caueant à ſanctis filiorum Iſraël, et non profanabunt nomen ſanctum meum, quæcunq; ipſi ſanctificant mihi. Ego Dominus. Dic ipſis. Leuit. 22 In generationes veſtras omnis homo, qui acceſſerit ab omni ſemine veſtro ad ſancta, quæcunq; ſanctificãt filij Iſraël Domino, et immũditia eius in ipſo, peribit anima illa à me, Ego Dominus. Et homo de ſemine Aarõ ſacerdotis, et hic leproſus, vel ſeminifluus de ſanctis nõ comedet, vſq; quo mundetur. Et qui tetigerit omnẽ immunditiã animæ, vel homo, cui egreſſus fuerit ex ipſo concubitus ſeminis, vel quiſquis tetigerit omne reptile immundum, quod polluet ipſum, vel ſuper hominem, in quo polluet illum iuxta omnem immunditiam eius, anima quæcunq; tetigerit eum, immunda erit vſq; ad veſperã: non comedet de ſanctis, ſi non lauerit corpus ſuum aqua, et occiderit ſol, et mundus erit, et tunc comedet de ſanctis, quoniam panis eius eſt. Morticinium, et à fera captum non comedet, vt polluatur in ipſis. Ego Dominus. Et cuſtodient meas cuſtodias, vt non accipiant pro ea peccatum, et moriantur propter ea, ſi profanabunt ea. Ego Dominus ſanctificans eos.* Qui enim ſancta offerunt, inquit, ſiue ſanctificata à filijs Iſraël, ne profanẽt ipſius nomen, offerentes nõdum præpurificati, neq; adhuc eluta immunditia, qua eos laborare cõtigerit: aut ſciant, inquit, ſe extremũ ſtatim ſuppliciũ ſubituros.

Ego

Ego sum Dñs, q̃d significet.

Ego enim sum Dominus, hoc est, nõ Deus falsi nominis, in quẽ si quis fortè peccat, nullum flagitium fuerit. Quid enim fiat à nobis in lignum, et lapidem, cui coniunctum est erigi debere? Ingenti itaque metu proposito prius erigens ad propulsandam immunditiam, modos, quibus hoc à nobis fieri possit, vtiliter recenset, vt probitatis, quæ eos decet, via optimè ipsis explorata sit: ea, per quæ accepti Deo et mũdi futuri sint, gratissima legislatori via incedentes. PAL. Rectè ais. CYR. Leprosum igitur, et seminifluum, et à sacrorum administratione arcet, et à sanctorum participatione, donec malum, quod ipsi euenerit, à se auerterit, et morbum euaserit. Adiungit autem his veluti cognata immũditia laborantem, qui omnem immũdam animam attigerit, aut qui seminis profluuio laborarit, vel qui tetigerit reptile, aut hominem qualicũque inquinatione infectum: nõ quòd Lex secundum veram, rectamq; eius mentem corporalibus vitijs offendatur, sed veluti in typis adhuc per ea, quæ sub sensum cadunt, et in corpore consistunt, animi vitia significet. Symbolum itaq; mortis est lepra. Absumit enim, et depascitur carnem: et in id, quod præter naturam est, transmutat, totam corporis faciem alterans. Seminis autem profluuium fœcunditatis priuatio est, fluente in vanum natura: cuiusmodi videre est etiam hominis mentem ad corruptionem traductam, ac tantum non ad fœcunditatem vsq; absumptam, eò quod nihil intelligere queat eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, cuiusmodi quidã fuerunt, Hymenæus et Alexander, existimantes ac dicentes, resurrectionem iam factam esse: quibus etiam annumerem eos, qui effreni impetu ad quæuis absurda prolapsi, suæ ipsorum mentis fructus ad vanas intemperantesq; voluptates abiecerunt. Leprosus itaq;, et seminifluus, hoc est, mortuis operibus implicitus, (sunt verò opera mortis affectus carnis, et qui interiorem fœcunditatem, nimirũ, quę in mente occulta est, incorruptam nõ cõseruarit:) semoueatur, inquit, à sanctis, donec mundetur. Nam, vt diuinus Paulus inquit: *Qui manducauerit corpus Domini, et biberit calicẽ eius indignè, iudicium sibi ipsi manducat et bibit, non dijudicans corpus eius. Probet autẽ, inquit, seipsum homo: et tunc de pane hoc manducet, et de sanguine bibat. PAL. Optimè ais. CYR. Atqui vide, Palladi, Legis seueritatem. Neq; enim ad solum leprosum et seminifluum ea pertinet, sed vnà quodãmodo cõdemnat eum, qui laborantes attigerit, leprosos inquam, ac seminifluos. Et omnis, qui attigerit, inquit, omnem immunditiam animę, vel cui egressus fuerit ex ipso concubitus seminis, immundus esto. PAL. Quodnam verò ijs ex tactu damnum infertur? CYR. Nullũ quidem, iuxta hanc, quę in procinctu est, rationem. Neq; enim corporis cõtactus animam inquinare potest. Spiritualis vero est Lex, et rursum figuratè nos docet, quod impuri quidem, et inquinati sint, qui animi vitijs sunt impliciti. Inquinantur autem vnà cũ ipsis, qui eos contingunt, siue coniuncti sunt, conferendo nimirum consilia, et actiones. *Corrumpunt enim mores conuersationes malæ.* Et portio quidem nulla est fideli cum infideli: neq; vlla amicitia, aut societas intercedit

Lepra, signũ mortis.

Seminis profluuiũ, symbolũ sterilitatis.

Hymenæi et Alexandri hæresis.

Immũdi a sanctorũ participatione arceantur, donec mundentur.

1. Cor. 11

1. Cor. 15

2. Cor. 6

cedit luci cum tenebris.* Verùm; est,
Psal. 17. quòd *cum iusto, iustus eris: et cum innocente, innocens eris: et cum electo, electus eris: et cum peruerso peruerteris.* Quòd verò absurdorum affectuum morbi, non ijs solùm, qui eis laborant, damnosi futuri sint, verum etiam ad eos, qui ipsis cōsentiunt, nō minus quàm in illos inquinationis sit peruenturū, statim ostendit, subdens: *Quòd quicunq; attigerit omne reptile immundum, polluet ipsum, vel super hominem, in quo polluet, iuxta omnem immunditiam eius, anima quæcunq; tetigerit ea, immunda erit
Reptiliū tactus, quid significet: Et quænam sint reptilia spiritualiter. vsq; ad vesperam.* Reptilia autem acerba, et venenosa vocari, atq; esse, dicimus, eos, in quos illud quadrat *Venenum aspidum sub linguis eorum: quorum os execratione, et amarulentia plenū est.* Sunt verò hi præ alijs, qui recta distorquentes, et simpliciorū animis sermonem pernicici
Psal. 139. conciliatorem instillant, ad cogitationes non bonas abducentes, et à gloria Dei auertentes: siue illi etiam, qui di-
1. Cor. 15 cunt: *Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur: *quiq; rudiorū mentes ad mundanas voluptates abripiūt. Immundi autem rursus, et cōtagiosi, si quis eos attingat, aut prope accedat (iuxta affectionis legem inquam,) ij, de quibus alibi sapientißimus Paulus
1. Cor. 5. inquit: *Si quis autem, cum frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorum cultor, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis.* Nunquid enim sacro, atq; delecto generi conuenientißimum esse censes, neq; huiusmodi vitijs laborare, neq; laborantibus commisceri? PAL. Omnino. CYR. Erit itaque immundus, qui hæc attigerit vsque in vesperam: non comedet de sanctis, nisi ablutum fuerit corpus eius aqua, et occiderit sol: ac tunc comedet de sanctis, quoniam panis eius est. Interdicit præterea morticinij esum, atq; eius, quod à fera captum sit, quippequod hæc etiā inquinare valeant. Vide igitur sordiū omnium ablutionem, depositioneq́;, et peccatorum liberationem non aliter in nobis futuram, nisi per solum Christum, ac veluti in tempore aduētus eius. PAL. Quo pacto ais? CYR. Quòd enim immunda omnia polluta q́; fuerint adhuc, et vitæ expertia ante aduentum Vnigeniti, ostendit, cum dixit: *Immundus erit vsq; ad vesperam, et nō comedet de sanctis.* Nonne enim in vltimis seculi temporibus aduenit Emanuel? PAL. Maximè. Manifestus enim est sermo. CYRIL. Viuificati autem sumus postquā comedimus panem, vt revera sanctū, atque ex cœlo, hoc est, Christum: ad finem iam vergente tempore, et quodammodo occidente sole, temporisq́; mensuram ad vesperum concludēte. PAL. Omnino. CYR. Idcirco vsque ad vesperum etiam immundus est is, qui coinquinatur, atque expers cibi sancti, et viuificantis, expiationis tempus expectans. Aqua autem ablutus, et occidente sole purus euadit, priusq; ei panis ex cœlo datur. Tributum enim est, veluti per aquam sanctificatis, vt in sancto baptismo, benedici per Christum. Atqui ipse etiam est panis viuens, ipse rursum qui de cœlo descendit, et vitam dans mundo. Quòd verò occasus solis tempus aduentus Saluatoris nostri significet, manifestè intelliges, Deo ipso ad Moysen loquente de agno: *Loquere filijs Israël, et accipiant Exod. 12 sibi

Panis pro cibo accipitur Hebręis

Immūda omnia vsque ad aduentū Christi.

Vesper, typus aduentus Christi.

Occasus solis, typus aduētus Christi.

sibi ipsis ouem per familias. Et erit, inquit, seruata à decima mensis, vsq; ad decimam quartam: et occident eam omnis multitudo filiorum Israël ad vesperum.* Hora enim vndecima dicitur, qua apparuit nobis Emanuel, ad ipsum vesperū, hoc est, in fine præsentis seculi. Morticinum autem, et à fera captum non minus quàm lepra ijs, qui ea attingūt, inquinationem immittit spiritualiter. Morticino quidē, id quod perfectè mortuum, atq; aridum, vt in operibus secundū carnem: quòd verò à fera captum est, quæ in diaboli imperium incidit animā apertè significante. Quòd verò salutaris res sit discedere ab homine, qui mortuis cogitationibus vacat, quiq; aridā mentem habet, ac quodammodo in seipso satanam nutrit, (deuorat enim quas velit, animas,) quo pacto nō manifestum sit ijs, qui verè cordati sunt, et quamlongissimè discedere ab omni, quod coinquinare consueuit, edocti? PAL. Ita est. CYR. Absoluta itaque narratione seueritatis, quam hac in re Lex adhibet, quæ quidem inquinatis minimè permittit, at potius ijs, qui reprehensione vacant, sanctorum et viuificantium ciborum participes fieri: distinguit deinceps eorum genera, et quinam benedictione digni sint, atq; ad hoc peruenire valeant, quibus rursum præscriptum sit, vt à sacris cibis abstineant, declarat dicēs: *Et omnis alienigena non comedet sancta, inquilinus sacerdotis, et mercenarius, non comedet sancta. Si autem sacerdos possederit animam emptam pecunia, ipse comedet panem eius, et vernaculi eius, et ipsi comedent panem eius.* Arcet itaq; tanquam inquinatum, et nondum ablutum, alienigenā atq; exterum, hoc est, qui nondū crediderit, neq; adhuc verum Deum cognouerit. Quibus enim nondum contigit per familiaritatē in spiritu Christo copulari, magno ac vero sacerdoti, quonam pacto huiusmodi participes fiant panum ipsius? Nequaquam enim dabimus sancta canibus: neque quisquam proijciat spirituales margaritas porcis, iuxta ipsius Saluatoris vocem. Expers ergo in vniuersum est alienigena. Comungit autem huic inquilinum et mercenarium. Sint verò hi, mea quidem sententia, qui mūdo viuentes, atq; eius curam gerentes, terram veluti patriam sibi statuunt, eò quòd, quæ carnis solùm sunt, cogitent: et tenui tantùm ac sola fide, dilectionem erga Christū colunt: ac quantum ad verba attinet, boni ac pij: quātum verò ad opera et mores, longè admodum à vera pietate remoti. Mercenarij autem rursus, qui id ipsum, quod credunt, non ex reuerentia, quę veritati debetur, faciūt: sed veluti mercedem quandam, Christianismi simulationem, vt alijs placeant, captātes: et eas, vnde aliquid commodi expectant, curas adulantes subeunt, ac pietate quæstum faciunt, eaq; lucri studium palliantes, veluti laruati incedunt. At quantum quidem ad sensus vim attinet, annumerabuntur alienigenis inquilini, et mercenarij, vnaq; cum illis quamlongissimè à sanctis remoti erunt: cumq; cognatis inter se vitijs laborent, æqualem merito pœnam luent. Permitti autem debere domesticis sanctorum participationem, inquit. Comedent enim, inquit, sacerdotum vernaculi: Eum fortasse, quē emerint, acquisitum ac pecunia comparatum; et dominatum fortè dicēs, qui

Hora vndecima apparuit Emanuel. Matt. 20

Morticinū, et a fera captū quid significent.

Quinā benedictione digni, aut indigni sint, et a sanctorū commestione arceantur.

Sanctū, non dandū canibus. Matth. 7.

Inquilinus, et mercenarius spiritualiter, quinam sint.

Merecenarij, quinā sint.

qui in fide legitimus, ac domeſticus, ſiue familiaris in ſpiritu ſit, et pretio emptus, iuxta beatũ Paulum. *Christus enim emit nos ex maledictione Legis, factus pro nobis maledictio,* iuxta id, quod ſcriptum eſt. PAL. Ita eſt. CYR. Adijcit autem, quòd et filia hominis ſacerdotis, ſi nupſerit viro alienigenæ, ipſa à primitijs ſanctorũ non comedet. Domeſticum quidẽ manifeſtè honore affecit, permittens vt particeps fiat ſanctorum. Cœterum, quòd ijs, qui familiaritatem cum ipſo habent, cauendum ſit, ne cum ijs, qui iuxta fidem ac mores domeſtici non ſunt, cõiungatur, minimè obſcurũ fuerit ijs, qui ſacrarũ literarũ authoritatem diligẽter perſcrutari velint. Quẽadmodum enim in ijs, quæ prædicta ſunt, immundũ quidem ſtatuit leproſum, ac ſeminifluũ: inquinationis verò, atq; immunditiæ ipſorum participem facit eum, qui prope eos acceſſerit, ac veluti ex contactu cõiugatum: ita etiam hic ſacerdotis filiam, inquit, tametſi habeat cognatũ ſanctũ, nihil inde cõmodi acceſſurum cõiugatæ alteri, hoc eſt, alienigenę, qui nequaquã domeſticus ſit, neq; ex ſanguine Iſraël. Atq; hiſtoriæ quidẽ ratio ita ſe habet. Si verò Legem ad ſpiritualem cõtemplationem transferas, dicimus, filiam ſacerdotis vocari animã ex aqua et ſpiritu regeneratã virtute Chriſti, et per Fidem vocatam ad ſanctificationem. Cœterum erit, inquit, etiã eiuſmodi anima ſanctorum expers, ſi cõtigerit homini alienigenæ, hoc eſt, ſi coniuncta fuerit quibuſdam, qui verè ſancti non ſunt, neq; habitu ſpirituali erga Deum præditi. Corporibus itaq; corporaliter hic cõiunctionis modus eueniet: ſpiritibus verò ſpiritualiter.

Gal. 2.

Filia hominis alienigenæ a comeſtione ſanctorũ repulſa, quid ſignificet.

PAL. Et quosnam ad hoc adductos dicimus? CYR. Quos ſapiẽtis ſermo propulſat, ita habens: *Fili, ne te ſeduxerint viri impij, ſi aduocauerint te dicẽtes: Veni nobiſcum, participa ſanguinem.* Adijciemus autem etiam illos, qui à recta fide temerè declinantes, ad carnalia ſeſe conferunt, et deſpectis ſermonibus per Spiritum ſanctum editis, ſpiritus erroris amplectũtur, inſtar mendacium cõtaminatam mentem habẽtium. Hi enim familiaritate cum Chriſto deſpecta coniugati ſunt reuera hominibus alienigenis, et diabolica ſemina exceperunt: fructusq; ferunt in errore, opera erroris et perditionis. Reiectitia itaq; eſt, quãuis ſacra et ſancta anima fuerit aliquando, quæ adeò turpibus inquinationibus inuoluta fuerit. Profanum enim valde eſt, omne quod impurum et pollutum eſt, propter congreſſum cum prauis, impijsq; viris. Porrò cognatam huic etiam aliam ſtatim legẽ ſanxit. Ita verò habet: *Et filia ſacerdotis, ſi fuerit vidua vel repudiata, ſemen autem non fuerit illi, et reuertatur ad domum patris ſui, vt in iuuentute ſua, de panibus patris ſui comedet.* Atq; hiſtoriæ quidẽ textus perſpicuus, vt arbitror, eſt. Eundem verò eſt ad reconditiores abſtruſasq; cogitationes. Si enim fuerit, inquit, repudiata veluti condemnata anima, et viduata viro deinceps cernatur, hoc eſt, ſpirituali ſponſo, nullum ex virtute fructum habens, velociter ad priſtinũ ſtatum redeat, feſtinanterq; ad domum patris ſui ſe conferat: per pœnitentiam nimirum familiaritatem cũ Deo quærens: ac tunc comedet de panibus illius. Nihil autem obſtat, quominus etiam ijs, quæ modo diximus,

Prou. 1.

Filia ſacerdotis vidua vel repudiata rediẽs ad domũ patris ſui quid ſignificet.

huius rei sensum accommodemus. Si enim contigerit, inquit, sacram et sanctam animam hominibus profanis subditam in errorem prolabi, et alienorum dogmatum labem in se recipere, atq; ob id, veluti vidua effecta fuerit, repudiataq; à Deo, resipiscens autem errorem suum agnouerit, reuertatur ad Patrem. Excipit enim eos, qui errarunt, si mundi appareant ab impuris seminibus, quæ ipsis inusta erant, etsi nullas adferant execrandi erroris reliquias. Coniungit enim ita se veris adoratoribus, seipsum veluti panem ex cœlo ipsis apponens in cibum viuificantem. Ego verò existimo legislatorem etiam aliud quid nobis significare per hasce leges. Prædicit enim quodammodo Iudæorum congregationis defectionem, suppliciumq; eis debitum: futuram etiam ipsorum successu temporis instaurationem, ac veluti postliminio reditũ ad pietatem: eosq; Dei misericordia pristino statui restituẽdos. Filia enim, inquit, hominis sacerdotis, si nupserit viro alienigenæ, de primitijs sanctorum non edet. Quantum enim ad institutionem ac disciplinam attinet, Moyses, veluti pater quidam congregationis Iudæorum extitit. Erat itaque filia sacerdotis, (sacerdos enim erat etiam Moyses, quippequi ex sanguine et tribu Leui esset,) cœterum nupta est huius filia homini alienigenæ. Exigua enim omnino eorũ, quæ diuinitus prescripta erant, ratione habita, et cœlesti quodammodo semine despecto, doctrinæ præceptisq; hominum acquieuerunt, aliorumq; consilijs frui voluerunt. Idcirco Deus eos increpat per vocem Ieremiæ, dicens: *Tolle oculos tuos in directum, et vide, vbi non inquinata sis. In vijs sedisti ipsis, quasi cornix deserta, et polluisti terram fornicationibus tuis, et malitijs tuis: et habuisti pastores multos in offensionem tuam.* Sed hæc quidem vetera congregationis Iudeorum peccata. Cognata autem his, et noua in ipsum Christum. Nulla enim ratione admisso cœlesti atq; ex Deo Patre sponso, scribarum ac pharisæorum sermonibus se addixit. Nupsit itaque viro alienigenæ, et sanctorum expers idcirco permansit. Neq; enim comedit panem ex cęlo, hoc est, Christum. Vides delictum, atque ijs, qui ita impiè sese gesserunt, illatum statim à Christo supplicium? Vide etiã, quo pacto misericordiam consecuti sint: et ad id, quod initio erant, reducti: *Filia, inquit, sacerdotis, si fuerit vidua repudiata, semen autem non fuerit in ea, reuertetur ad domum patris sui, vt in iuuentute sua: et de panibus patris ipsius comedet.* Vidua siquidem, et repudiata ob impietatem in Christum, Iudæorum synagoga declarata est: mansitq; in peccatis, et in alienatiane spiritualium bonorum, multaq; in eo secula transegit: cœterum redibit in domum paternam ipsius. Vocabitur enim etiam ipsa per fidem ad Deum, vnaq; nobiscum Patrem omnium creatorem agnoscet, et Christi benedictionis particeps erit. Atqui hoc mysterium etiam propheta declarat. Ita enim alibi inquit: *Dies multos sedebunt filij Israël, non existente sacrificio, neque existente altari, neque sacerdotio, neque declarationibus. Postea verò reuertentur filij Israël, et quærent Dominum Deum suum, et Dauid regem suum, et stupebunt in Domi

Pœnitentiæ fructus.

Ierem. 3.

Iudæos conuertẽdos esse nouissimis diebus.

Osee. 3.

in Domino, et in bonis eius nouissimis diebus.* PAL. Verus est sermo. CYR. Comeduntur itaq;, et in decẽtem participationem datur sacra, hoc est, sancta ijs, qui omni reprehẽsione contumeliaq; in seipsis vacant: nequaquam autem proponentur ijs, qui sani ex se non sunt, aut aliorum contagione infecti. Scriptũ est enim, quòd cum peruerso peruerteris. Quod verò etiam ijs, qui verè sacri sunt, indẽne non sit communia in vsum sancta existimare, nihilq; ea ab alijs differre putare, statim explicat, dicens: *Et homo, qui comederit sancta per ignorantiam, et addet quintam partem eius super illud, et dabit sacerdoti sanctum, et non polluent sancta filiorum Israël, quæ ipsi offerunt Domino, et adducent super ipsos scelus delicti, cũ comederint ipsi sancta eorum: quoniam ego Dominus sanctificans eos.* PAL. Non satis assequor, quid sibi velit id, quod dicis. CYR. Audies itaque, et quidem apertè. Nihil enim difficile in se continet. Ea, quæ in odorem suauitatis consecrata sunt, vituli nimirum aut ouis, adferebantur quidem ex parte in altare, ablatis intestinis, pedibus et capite, atque adipe, et nonnunquam renibus. Alebant autem reliquijs sacerdotes. Qui enim comedunt sacrificia, participes altaris sunt, sicut etiam diuinus Paulus dixit. Necesse itaq; erat, id consecrari Deo ab eo, qui offerebat, iuxta conuenientem cuiq; legem. Reliquo verò sacrificij corpore, ministros refocillari. Si quis autem totum quodammodo per totum donum separet, et in priuatos vsus conferat, nihil adolens, is per Legem accusatur, vt qui sancta comederit. Quod quidem fecerunt filij sacerdotis Heli sacrificia diripientes, sacraq; profanantes: atq; ijs, qui ad sacrificandum veniebant, impijssimè dicentes: *Da carnes ad assandũ sacerdoti.* Sed illa vt voluntaria, et nudum in se flagitium habẽtia, æqualiter punita sunt. Si autem, inquit, per ignorantiam abreptum fuerit, aut si quis id commiserit, qui Legis mandata non exactè nouerit, pœna mulctetur: persoluat æquale, addatq; huic quintam partem, hoc est, pretij quintam partem: atq; ita dissoluet peccatum, damnaq; ignorantiæ ab se repellet. Cum igitur id, quod imprudẽter fit, culpa non vacet, quid de eo censendũ: qui præ arrogantia confidentiaq; id fecerit? Cauendum itaq; est ijs, quibus sacra curæ sunt, vt nihil ex sacrificijs in proprios vsus conuertant, aut sciant se grauis delicti graue suppliciũ subituros, et diuinam iram incursuros. An non rem ita se habere censes? PAL. Omnino certè. CYR. Quòd verò sanctos et ablutos esse oporteat sacerdotes, viriliterq; ab se mortuas aridasq; cogitationes propulsare, omneq; id, quod nõ ad virtutem aspirat, declarauit dicens: *Dic sacerdotibus filijs Aaron, et dices ad eos: In animabus non contaminabuntur in gente sua, sed in propinquo proximè ipsos super patre et super matre sua, et super filijs, et super filiabus, et super fratre, et super sorore sua virgine, quæ proxima est illi, quæ non collocata viro super his contaminabitur: non contaminabitur repentè in populo suo in profanationem eius: et caluitium nõ rademini, non rademini caput super mortuo, et superficiem barbæ non radent, et super carnes suas non incidẽt incisiones. Sancti erunt Deo suo, et nõ

Psal. 17.

Sanctificata non esse in cõmunem vsum trãsferenda.

1. Reg. 2.

Leuit. 21

Anima, pro mortuo.

Lex de inquinatione super mortuis declarata.

profanabunt nomen Dei sui. Etenim sacrificia Domini dona Deo suo ipsi offerent, et erunt sancti.* Neq; verò alterius mors hominem quempiam inquinare potest, si veritatis rationem diligẽter inquirere velimus. Sed mors corporalis typus est mortis interioris, quæ ad animam pertinet: à qua necesse est contaminari eam, quę propè accesserit, aut secundum voluntatem aut operũ cõmunicationem. A mortuis enim operibus discedere longissimeq; remotos esse sanctos, oportet: neq; cum ijs, qui eiusmodi vitio laborant, cõgredi decet. Scriptũ est enim, Quòd *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Facile enim alterius prauitatis particeps fiat, qui cũ eo copulari non detrectet. Permittit autem Lex sanctificatis super patre ac matre, liberis ac fratribus, quin et propinquis inculpatè inquinari, vt nimirum corporibus anima carentibus reuerẽtiam, quam natura exigit, præstent: et peccati, quod veluti in hoc typo cõmittitur, rationem non habens, ne rigidi quidem, ac feroces esse, nullaq; cõmiseratione duci videamur, qui Deo noti sumus, dicẽte vtiq; manifestè Lege: *Honora patrem tuum, et matrem tuam, vt bene tibi sit.* Porrò alia etiã ratione ac modo, dicimus sanctificatos à luctu abstinere iussos. Cũ enim vitę ministri sacerdotes sint, et in mortis solutionẽ sacra Deo offerant, (mortis enim solutio est Christi mors per oues, et vitulos figurata) quo pacto cõueniens sit, eos pro morte mœrore affici? Ita etiam diuinus Paulus ijs, qui in spem vitę et resurrectionis baptizati sunt in Christum apertè præcipit, hoc inquam: *Ne doleatis, queadmodum et cœteri non habentes spem. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, et resurrexit: sic et Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cũ illo.* Permisit itaq; Lex sanctificatis, eos, qui admodũ propinqui sunt, mortuos attingere. Modum tamen quendam huic rei præscribit: quodq; ipsos maximè decet, infringi non sinit nimia aut superflua luctus significatione, ne veneranda sacerdotij dignitas imminuatur. Vetat enim instar aliorum tondere caput, et in contumeliã faciei barbam radere: et Græcanicam insaniam atq; impietatem, carnis, inquã, scribillationem, ne mente quidẽ concipi vult. Mœrore enim pro familiaribus affici minimè indecens fuerit. Indecorè autem in vniuersum se gerere, turpe sit atq; absurdum. *Omnia enim, inquit, decenter et iuxta ordinem fiant.* Quin et ipse Saluator, vt ea, quæ ad Deum pertinent, parẽtibus præferamus, iubet ita dicẽs: *Qui amat patrẽ ac matrem plusquã me, nõ est me dignus.* PAL. Rectè dicis. CYR. Nequaquam igitur sacerdotes mortuorũ tactu coinquinari debere præcipit. Inaccessum autẽ esse profano sanctũ, etiã alijs nobis ostendẽs modis, leges de nuptijs pręscripsit, statim subdens de quouis sacerdote: *Mulierem meretricem et profanam nõ accipient: et mulierem repudiatã à viro suo non accipient, quoniã sanctus est Domino suo, et sanctificabis eum. Etenim dona Dñi Dei vestri hic offert, sanctus erit, quoniam sanctus ego Dominus sanctificãs eos.* Meretrix itaq; et profana mulier aperta turpitudinis nota laborat, ac sine cõtrouersia damnata est. Innoxia verò nullo pacto est repudiata. Neque enim immeritò mariti domo extrusa fuerit.

Opor-

Mors corporalis, est typus mortis animæ.

Ecclesiasti. 13.

Exod. 20

Sanctificati, a luctu ob mortem aliorũ abstinere iubẽtur, cũ vitæ sint ministri.

Thess. 4.

1. Co. 14

Matt. 10

Leuit. 21

Sacerdotes ab omni etiam mali ſuſpitione vacuos eſſe oportet.

Oportet igitur eos, qui ad vſq; adeò venerãdum miniſterium acceſſerint, non ſolùm à malis abſtinere apertiſsimam notiſsimamq; in ſe condemnationem habẽtibus: ſed ab omni, vt arbitror, re, cui prauitatis opinio exiſtimatioq; nõ bona ſit coniuncta, et magna improbitatis ſuſpitione laboret. Videtur autem ſermo hic etiã Iudæorum ſynagogæ calamitatem ſubindicare: quam, quia fornicata eſt in paſtores multos, ſicut ſcriptum eſt, nõ admiſit Chriſtus in ſpiritualem communionem puriſsimus ſacerdos: qui veluti eximium quoddã donum ſeipſum pro nobis Patri conſecrauit: qui apud nos ſanctus ſecũdum humanitatem, tametſi ipſe omnem ſanctificat creaturam, vt ex Deo et Deus. Manifeſtiorem autem myſterij declarationem fecit, dicẽs: *Et filia hominis ſacerdotis, ſi profanata fuerit, vt fornicetur, nomen patris ſui ipſa profanat, in igne comburetur.* Traditur enim igni vt impia atq; profana Iudæorum ſynagoga, ſcribarum ac phariſæorum ſententijs acquieſcẽs, et humanis præceptis tota mente addicta. Idcirco, et iuſtè admodum audiuit prophetam dicentem: *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, Sion plena æquitatis?* Meretrix itaq; et contemptrix cœleſtis ac ſpiritualis ſponſi, ignis pabulum eſt effecta. Quamobrem acerbas ſuper ea lachrymas profundens etiã Ieremias propheta inquit: *Oliuam vmbroſam pulchram ſpecie vocauit Dominus nomen tuum: in vocem circuncifionis eius. Accenſus eſt ignis ſuper eam: magna tribulatio ſuper te. Inutiles ſunt rami eius. Et Dominus exercituum, qui plantabit te, locutus eſt ſuper te mala.* Modus itaque fornicationis ſpiritualis declinare à rectitudine, et turpibus atq; impijs magiſtis adhærere velle. PAL. Ita aio. CYR. Porrò obſcuriores eorum, quæ dicta ſunt, typi: neque ſatis aperti in alijs ſacerdotibus, relucent verò quodammodo in Aaron, imaginẽ Chriſti præ ſe ferente. Inquit enim rurſum: *Et ſacerdos magnus infuſo ſuper caput ſuum oleo vnctionis, et conſecrato, vt induat ſancta, caput nõ cidara nudabit, ſiue non deponet mitram, et veſtes ſuas non ſcindet, et ſuper omni anima mortua non ingredietur ſuper patre ſuo, et ſuper matre ſua non polluetur: et ex ſanctis ipſius non egredietur, et non profanabit nomen ſanctificatum Dei ipſius: quoniam ſanctum oleum vnctum Dei ſuper eo. Ego Dominus. Hic mulierem virginem de genere ſuo accipiet: viduam, et repudiatam, et meretricem, has non accipiet: ſed virginem de populo ſuo accipiet vxorem: et non polluet ſemen ſuum in populo ſuo. Ego Dominus ſanctificans ipſos.* Vides rurſum veluti in typis Emanuelem, et Chriſtum appellatum tanquam in Aaron. Vnctus eſt enim ſpiritu, ſecundum ſcripturas, ipſe perfectus ſacerdos exiſtens, ideoq; perpetua ſacerdotij dignitate fungens. Neq; enim caput cidara nudabit, hoc eſt, non deponet habitum ſacerdotalem. Dictũ etenim eſt ad vniuerſorum Saluatorem et redemptorem: *Tu ſacerdos es in æternum, ſecũdum ordinem Melchiſedech.* Atq; hi quidem plures ſunt facti ſacerdotes, impediẽte nimirum eorum perpetuitatem, morte. Hic verò, eò quòd manet in ęternum perpetuo, et ſucceſsionis experte ſacerdotio fungitur. Vnde etiã in integrum poteſt

Ierem. 3. Sacerdos ſcortum aut repudiatã vxorẽ ducere prohibitus, ſignificat Chriſtũ ſynagogę nõ copulandũ

Filia ſacerdotis fornicata typus ſynagogæ Iudæorum.

Eſai. 1.

Ierem. 11

Leuit. 21

Sacerdos ſummus ſuper patre et matre lugere prohibetur.

Pſal. 109

test saluare eos, qui ad Deũ accedunt, per ipsum. Ita enim diuinus quoque Paulus scribit. (Heb. 7.) Cidaram itaq; à capite non submoueri, sacerdotij indesinentiam significat. (Cidara a capite põtificis amoueri prohibita, quid significet.) Si verò etiam dicatur mitra à capite non deponenda, regnũ ipsius perpetuum, atq; inconcussum intelliges. Mitra enim summam frontem cingens, auream habens armillam, imperij ac regni symbolum est. Sed neq; vestes suas scindet, inquit: quod nonnullis super mortuis facere moris est: at à Christo planè alienum. Nequaquam enim vita super morte mœrore afficiatur. Nihil etenim in vniuersum ipsi mortuum, sed est ipsi etiam mortis solutio, et interitus subuersio. Idcirco etiam Saluator increpat eos, qui puellam principis synagogæ deflebant: (Matth. 9) *Abscedite, inquiẽs, et ne fleatis: neq; enim mortua est puella, sed dormit.* Absurdum enim reuera est, eos lachrymari ob puellam mortuam, cum vniuersorũ vita præsto esset, hoc est, Christus. Si autem etiam ipse fleuit super Lazaro, (Christus cur sup Lazaro mortuo fleuerit.) id ex amore profectum cẽsemus, atq; ex diuina erga nos cõmiseratione. Si quidem natura morte oppressa misericordiam consecuta est, lachrymæq; illam tyrannidem dissoluerũt. PAL. Ita videtur. CYR. Quòd verò nulla ratione impuritas in Christo sit, obliquè significatur per id, quod dicitur, summũ pontificem ab omni mortuo abscedere debere: ad neminem planè mortuum accedentem, neglecto etiã hac in parte honore patri, ac matri, et fratribus debito. Vide enim quo pacto sit prudens Lex, quantamq; decori obseruandi rationem habeat. Nam in alijs quidẽ sacerdotibus naturæ reuerentiam habuit, vtq; ijs, qui propinqui admodum et sanguine coniuncti erãt, mortuis, sanctificati citra vllam reprehensionem, ea, quæ legibus sancita erant, præstare possent, cõcesit. Atqui de peccato in vmbram nõ magnopere laborauit. Descripsit enim typus peccata, quæ à nobis cõmittuntur, et in homines, quibus si quid accidat inquinationis, nihil absurdi est. *Multa enim delinquimus omnes,* (Iacob. 3.) et laborauit in nobis peccato natura. In põtifice verò magno, hoc est, Christo, obseruata est purè, et in ipso typo reuerentia, et synceritas in vmbris, ne veritatis pulchritudo corrũpatur, veluti in illis iniuria affecta. Omnis enĩ immunditiei expers est Christus, et peccatum non nouit: at potius omnis splendoris et munditiei spiritualis, ac sanctitatis fons, eximiaq; in hoc dignitate præditus, quòd naturæ lege stabilitus ac firmus sit, semperq; iuxta eadem, atq; eodem modo se habeat. Significat autem hoc, vt arbitror, Sancta non egredietur, et non profanabit sanctificatum Deo ipsius. Mulierem verò virginem vxorem ducere iubetur: eamq;, quæ repudiata fuerit, ineptam censet, in typum Iudæorum synagogæ. Nam ab vnitate cum ipso exclusa est, ac de ipsa inquit per vocem prophetæ: *Quia ipsa nõ vxor mea, (Oseæ. 2.) neq; ego maritus eius.* Cõiunxit autem etiam Paulus ecclesiam ex Gentibus virginem castam Christo immaculatam, sanctamq;, et irreprehensibilem. Hac igitur ratione vera figura fuerit Ecclesiæ Gentium, et Iudæorũ matris. Cœterum si quis velit ad sermonem de quaq; re sententiæ vim accommodare, dicimus, quòd impuris impijsq; animabus Christus minimè coniungitur: at verò castis, purisq; veluti

luti virginibus spiritualiter copulatur, easq; fœcundat, genus suum ipsas appellans. *Qui enim fecerit, inquit, voluntatem Patris mei, qui est in cęlis: hic frater meus, et soror mea, et mater mea est.* PAL. Rectè ais. CYRIL. Quales igitur esse oporteat eos, qui ad sacerdotium electi sunt, quid etiam ipsis faciendum, quid fugiendum sit, manifestè pręcepit. Illud reliquum erat, vt quo pacto sacrificia ab ipsis peragenda essent, declararet, et legibus annumerare sacrificiorum species, omneq; id, quod sacrificatur; vt ita res bene se habeat, acceptissimumq; Deo ministerium præstent. Ante alia igitur: *Non ascendes, inquit, in gradibus in altare meum, vt non reueles turpitudinem tuā in eo.* Cœterum quo pacto id fieri posit, dicet quispiam, cum linea fœminalia sacerdotibus confici iusserit, vt tegant, inquit, turpitudinem corporis sui. Etiam si igitur altè ascendendū ipsis esset, nihil obesse poterat, cum partes parum honestas visu obtectas haberent. Quemnam igitur Legis scopum esse dicemus? Cultores idolorum gloriosum, atq; adeò necessarium iudicabant aras in eminētiore delubrorum parte erigi, neq; de honestate in contegendo magnopere laborabāt. Aptè itaq; Lex ab eo, quod ijs euenire solet, diuinos sacerdotes ad melius dirigit, ac veluti à typo ad spiritualem contemplationem transfert. *Non enim ascendes, inquit, in gradibus ad altare meum, vt non reueles turpitudinem tuam.* Hoc est. Diuinus sacerdos, qui in meum ministerium sanctificatus est, quærat humilia, non se in sublime extollat, deuitet arrogantiam, ne parum honestus atque inuerecundus videatur. Turpe enim, atque inhonestum animi vitium est arrogantia. *Quanto enim maior fueris, inquit, tanto teipsum demissius geras, et inuenies gratiam coram Domino.* Scribit autem etiā Saluatoris discipulus: *Glorietur frater humilis in sublimitate sua. Diues verò in humilitate sua. Trāsibit enim, et instar herbarum ac florum campestrium marcescet.* Sacerdos igitur ab omni arrogantia animiq; elatione alienus esse debet. Quanam autem ratione legaliter, planeq; inculpatè sacerdotio fungendum sit, manifestè intelliges. Scriptū est enim in Leuitico: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc lex holocausti, hoc holocaustum in combustione eius in altari totam noctem vsque ad mane: et ignis altaris cremabitur in ipso, et non extinguetur. Et induet sacerdos tunicam lineam: et femorale lineum induet circa corpus suum: et tollet reliquias, quas consumpserit ignis, holocaustum ab altari, et apponet eas iuxta altare: et exuet vestem suā, et induet vestem aliam: et educet reliquias extra castra in locum mūdum, et ignis in altari accendetur super eo, et non extinguetur: et comburet super eo sacerdos ligna manè manè: et accumulabit super eo holocaustum, et imponet super eo adipē salutaris, et ignis semper ardebit super altare, et non extinguetur.* Perpetuus igitur, atque indesinens ignis altaris, neque extraneus, aut aliunde petitus: sed ipsius, hoc est, supernus et ex cœlo. Ac quidnam hoc est? Plenū enim gloriæ Dei sanctum nostrum tabernaculum. Atqui in specie ignis diuina atque ineffabilis natura comparatur. Videtur autem etiam mysticum ali-

Marginal notes: Math. 7 — Sacrificiorū species, et ritus. — Exod. 20 — Gētes excelsis aris gloriabātur. — Arrogātia, turpe vitium. — Ecclesiasti. 3. — Iacob. 1 — Sacerdotes ab omni arrogantia alienos esse oportet. — Leuit. 6.

aliquid sermo hic significare. PAL. Quale nam ais? CYR. An non ipsum esse Emanuelem, diuinum ignem di ximus veluti in typo altaris, per quē accedimus ad Deum et Patrem seruientes rationabiliter, et tantum non sacrificantes fragrantiam virtutum, euangelicæq; vitæ sanctimoniam? *Exhibete enim corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, beneplacentem Deo, rationale cultum vestrum.* PAL. Diximus. Satis enim memoria teneo. CYR. Animaduerte itaq;, quòd ignem, qui ex cœlo in altare descendit, desinere non sinat, neque quodāmodo emori, sed perpetuò atq; indesinenter in eo vigere. Testatus autem est etiam de Christo Ioannes Baptista: *Quia vidi spiritum descendentem de cœlo in specie columbæ: et mansit super eum, et ego non noueram eum: sed qui misit me, vt baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quē videris Spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Figuratus itaq; est veluti in vmbris Spiritus sanctus in specie ignis descendens super Christum, et semper super ipsum manens. Perpetuus enim, atq; indesinēs est altaris ignis. Quòd verò ignis naturæ Spiritus comparetur, ipse etiā B. Baptista confirmat ad Iudaicū populum dicens: *Ego baptizo in aqua: medius autē vestrûm stat, quem vos nescitis, qui post me venit: cuius non sum dignus, vt soluam ligamenta calceamenti eius.* Ait autem, quòd ipse nos baptizat in Spiritu sancto et igne. Baptizati enim sumus, nō in ignē sensibilem, sed in sancto Spiritu, instar ignis absumēte animarum inquinationem. Idcirco etiam de Christo

Ignis altaris perpetuus e cœlo descendens Christū significauit.

Rom. 12

Matth. 3

Matth. 3

scriptum est: *Quia ecce ipse ingreditur quasi ignis conflatorij, et quasi herua lauantium. Et sedebit conflans et emundans tanquam argentum, et tanquam aurum.* Inextinguibilis itaque est ignis altaris. Mansit enim in Christo Spiritus sanctus, tametsi secū dum naturam ipsi inexistens, iuxta quem censetur, et est Deus. Ait autē etiam Lex, proprium altaris ignem. Tametsi homo factus est Vnigenitus, et figuram humanitati conueniētem assumpsit, atq; in participatione Spiritus factus dicitur, tamen ipsius, et in ipso, ac proprius revera Spiritus est. Si autem velit quis hunc sermonem ad singulos per fidem in Christo sanctificatos transferre, aut vnusquisque diuinum altare esse intelligatur, nequaquam errauerit. Decet enim viros sanctos, quiq; Christo propriam vitam consecrarint, feruentes spiritu conspici, idq; perpetuò, non ob mundanas voluptates languētes atq; emorientes, sed potius mentem in sanctitate excitātes ad pietatem, virtutisq; desiderium. Hæc enim spiritualis cultus ratio est. Atqui hoc quidem de altari. Adijcit autem quidam cognitione vtile. Cinerem enim efferri debere, inquit, non ab alio quopiam alienigenarum, aut qui ex alia tribu esset: sed eorum, qui sanctificati essent opera. Vide autem quo pacto Lex nihil paruum aut vile censendum esse velit eorum, quæ ad diuinum ministerium pertinent, neq; tanquam indignum ad quos sacerdotes ipsi operam suam conferant: quodq; alteri, qui sacer nō sit, committi posset. Neq; enim sancta ab impuris adiri possunt, sed ne ipsum quidem diuinum altare attingi ab eis potest. Atq; vt viderent delecti ad sa-

Malac. 3.

Ignis altaris inextinguibilis, qd significet.

Cinis sacrificij ab ipsismet sacerdotibus efferri iussus, quid significet.

ad ſacerdotium diuini altaris dignitatem atq; excellentiam, veluti in ſanctitate, ipſarum etiam ſacrarum veſtiũ reuerentiam iniunxit. Nam ijs ornatos atq; indutos extra tabernaculum egredi non permittit. Nam quæ, inquit, ſanctificata ſunt, ne cum impuris communicata inquinatione ab extraneis admiſſa, ſancti tabernaculi dignitatem imminuant. Idcirco cinerẽ quidem in vnum conferre permittit, ſacerdotalibus veſtibus indutos. Foras autem euntes, et ſacris locis egredientes mutare veſtes iubet. Porrò ſimile quid atq; affine huic etiã per vocem Ezechielis præcepit. Ita autẽ ſcribit: *Et dixit ad me: Exedræ ad Aquilonem, et Exedræ, quæ ad Auſtrum ſunt ante faciem ſpaciorum, ſunt Exedræ ſancti, in quibus veſcuntur ſacerdotes filij Sadduc, qui appropinquãt ad Dominum ſancta ſanctorum, atq; ibi collocabunt Sancta ſanctorũ, et victimam: et ea, quę pro peccatis, et quę pro ignorantia, quia locus ſanctus eſt. Non ingredientur illuc præter ſacerdotes, neq; egredientur ex ſacrario in atriũ exterius, vt omnino ſancti ſint, qui offerunt: nec tangant veſtimenta eorum, quibus miniſtrant in eis, quia ſancta ſunt. Et induentur veſtimenta alia, cum tangunt populum.* Sanctæ igitur ſunt etiam veſtes ſacerdotum, neq; multis cõmiſcendæ ſinit. Porrò holocauſtum nocte, et die. Perpetua enim eſt fragrantia Chriſti: quin etiã ipſa ſanctorum vita ſi veluti in modũ holocauſti intelligatur, indeſinẽti etiã odore fragrat. Chriſtũ enim ſpirant, ſacrificantes Deo euangelicæ vitæ, tãquam ex operibus gloriam. PAL. Verus eſt ſermo. CYR. Quænam igitur ſit holocauſti ratio ex ijs, quæ diximus, obſcurũ eſſe non poteſt. Quo pacto verò, et rectè admodum ſacrificij modus peragendus ſit, præcipit dicens: *Hæc lex ſacrificij, quod adducent ipſum filij Aaron corã Domino coram altari: et tollet ab eo pugillo de ſimila ſacrificij cum oleo eius, et cum omni thure eius exiſtentia in ſacrificio: et tollet ſuper altari holocauſtum odorẽ ſuauitatis, memoriale eius Domino: at reliquũ ab ea comedet Aarõ et filij eius. Azyma comedentur in loco ſancto, in atrio tabernaculi comedent eam. Non coquetur fermentata, partẽ ipſam dedi ipſis de holocauſtis Domini. Sancta ſanctorum ſunt, ſicut quod peccati, et quod delicti. Omne maſculum ſacerdotũ comedent eam. Legitimũ ſempiternum in generationes veſtras de holocauſtis Dñi. Omnis, qui tetigerit ea, ſanctificabitur.* Holocauſta itaq; perfectã quodãmodo, atq; integram conſecrationẽ ſignificant. Sacrificia autẽ, veluti ex parte ſancta, vitãq; ſub Deo, cuius typus manifeſtus eſt, ſimila per pugillũ à ſacerdote Deo oblata cũ oleo et thure. Vitam etiã Deo cõſecratam, tametſi ex parte fortaſſe fragrãtem omnino eſſe oportet, pinguiſsima ſpe delibutum. An non enim odoratiſsimum eſſe cẽſes omne noſtrum opus bonũ? PAL. Omnino. CYR. Quid verò, nõne in bona ſpe à nobis fit? PAL. Maximè. CYR. Thus itaq;, et ſimila oleo aſperſa fragantẽ pinguiſsimamq; vitã noſtram ſignificat. PAL. Rectè ais. Cœterum quænã fuerit noſtra veluti ex parte ſancta vita? CYR. Quæ neq; ad ſummum vitæ ſanctæ peruenerit, neque ſublimi admodũ arduaq; via cõtendat: cuiuſmodi fortaſſe Ioãnes, ſanctiq; apoſtoli inſtituebãt: neq; rurſum

à proba

Sacerdotes ad offerendos cineres ſacrificiorũ, veſtes mutant.

Ezec. 41

Sacerdotũ veſtes ſanctæ ſunt.

Leuit. 6.

Lex ſacrificij, et libamẽtorum.

Thus et ſimila oleo aſperſa, quid ſignificẽt.

Vita ex parte ſancta, quænam ſit.

à proba vita aliena, ideò quòd ab ea forte, quæ extremè bona est, superetur. An non enim eorum, qui mundo addicti sunt, et liberis creandis, vita, si eam rectè instituere velint, diuisa quodammodo est Deo et mundo, iuxta B. Pauli vocem? PAL. Diuisa est. Quis enim neget? CYR. Typus igitur vitæ, quæ non in vniuersum Deo consecrata sit, mediæ verò quodammodo, et in vtranq; partem vergẽtis, est consecratio similæ ex parte facta, fragrantiam habentis, et hilaritatem, quam etiam in monimentum futuram, Lex ait, eius, qui propter ministeriũ sacerdotale obtulit. Adipiscimur autẽ verè in memoria constitui apud Deum offerentes ea, per quæ bonus odor sumus, mediante Christo, et ad Deum nos adducente: eum quidem, qui in vniuersum sanctus est instar holocausti: eum verò, qui omnino talis non est, ideò quòd mundo diuisus sit, veluti particulare quoddam sacrificium. Infermentata autem est oblatio. Purè enim à nobis fieri cõuenit, quidquid à nobis fit in gloriam Dei. Idcirco Saluator, cauendum præcepit, ne in medio foro constituti oremus, neve tristitiam in ieiunijs feramus, et indesinenter buccinemus misericordiam, quam erga fratres exercemus. Hoc enim fermentum est profanans sacra. Id verò, quod in gloriã Dei fit, à studio placendi hominibus liberum esse oportet. Ita enim fiet, vt fermenti expers reuera sit, et sancta oblatio. Portio autem, et cibus sacerdotum sunt, reliquiæ oblationis. Comedit omne masculũ in loco sancto. Per id quidem, quòd in loco sancto à sacerdotibus sancta comedantur, mystica ratione reuerentiã nobis innuit.

Oblatio infermẽtata, q d significet.

Studiũ placendi hominibus ab eo, quod in gloriã Dei fit, non conuenit.

Quòd verò omne masculum comedat, eleganter subindicat, quàm turpis, impiaq; reuera res sit mollities in ijs, qui à Deo electi sunt. Immũdum enim eum efficit, et spiritualis benedictionis expertem: bonorumq;, quæ Deus sanctis largitur, exortem. Mollitie autem deprauatus fuit etiã Iudas, cum se et effœminata ac degenere cogitatione ad turpe lucri studium conuertit. Idcirco Dei bona nequaquam gustauit: et eorum, quæ Deus sanctis impertitur, particeps minimè fuit. PAL. Ita est. CYR. Atq; hæc quidẽ est lex sacrificij gregarij. Alia verò ratione à sacro genere offerri iussit, dicens: *Hoc donum Aaron et filiorũ eius, quod offerent Domino, in die, qua vnxeris illum: decima pars Ephi similæ in sacrificium semper: dimidium eius manè, et dimidium eius vespere. In sartagine in oleo fiet: consparsam feret ipsam circumuolutam, sacrificium ex fragmẽtis offeret in odorem suauitatis Domino. Sacerdos vnctus, qui pro eo ex filijs eius, faciet illud legitimum sempiternum Domino. Totum consummabitur, et omne sacrificiũ sacerdotis holocaustũ erit, et non comedetur.* Vide itaq; Palladi, quàm accuratè Lex sacerdotali dignitati consulat. Postquã enim gregariorum oblationis non ex holocaustis fieri præcepit, quippequi non in vniuersum sanctam vitam instituãt: sed quodammodo Deo ac mundo diuisam, distinguens meritò, ac superiore loco ponens eos, qui in sacerdotiũ delecti sunt: holocaustum pro ijs fieri iubet, oblatam similam Deo adolentes manè, et vesperè, hoc est, per omnem diem, omniq; tempore. Sanctus enim est semper, et perpetuam habet odoris

Iudę auaritia.

Leuit. 6.

Oblatio Aarõ, filiorum eius in die vnctionis suæ.

odoris fragrantiam, spiritualem nimi rum, is, qui electus est, nō diuisus Deo et mundo, vt quidam: sed iuxta assidens atq; indiuulsè, et totus ex toto Domino suo adhęrens, ac quodammodo exclamans: *Christo concrucifigor. Viuo autem nō amplius ego, sed viuit in me Christus.* Decima itaq; similæ pars signum est vitæ suauiter fragrantis Deo omni tempore. Cœterum in sartagine inquit: et quidem oleo conspersam, et ex fragmentis offeret eam. Sartagine quidem, vt arbitror, laborem: oleo verò conspersam esse, abundantiam in lætitia: fragmentis autem teneritudinem, et tractabilitatem cordis sanctorum figuratè significantibus. Comitatur enim semper vitā in vniuersum perfecteq; sanctam versari in laboribus, et abundare spe in Deo: facilesq; tractatu esse. Durities enim nequaquam decet. Scriptum est enim, *quòd cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* Obduruit autem vt lapis, ac veluti incus indomita diaboli cor. Ita enim sacra scriptura ait. Extēditur autem vsque ad omne nomen sacrificantiū traditionibus perfectus. Antecessorum enim præclara facta sequi oportet, et paternæ gloriæ imitatores videri, iisdem religionis vestigijs insistētes, gratissimamq; Deo odoris fragrantiam offerentes, non diuisim, siue ex parte: sed integrè perfecteq;. Hoc enim, vt arbitror, est illud: *Et omne sacrificiū sacerdotis holocaustum erit.* PAL. Nos ipsos itaq; offeremus, et in odorē suauitatis consecrabimus Deo, sanctorum vestigijs insistētes, eorūq; sacrificia sectantes, spiritualia nimirū. CY. Omnino Palladi. Cœterū quòd neq; labem profligare, neq; propulsare peccatum cuipiam cōtingat, aliter quàm per solum Christū: in quo, et per quē omnis expiatio est, salutarem pro nobis mortem sustinente, facilè quis intelligat ex vicino huic proximoq; prę cepto. Ita enim habet: *Et locutus est Dñs ad Moysen, dicens: Loquere Aaron, et filijs eius dicens: Hęc lex peccati, in loco, vbi immolabūt holocausta, immolabitur, et quod peccati coram Dño, sancta sanctorū sunt. Sacerdos offerens illud, comedet illud: in loco sancto comedetur, in atrio tabernaculi testimonij. Omnis, qui tetigerit carnes illius, sanctificabitur: et cui aspersum fuerit de sanguine illius super vestem, quę aspersa fuerit super illam, lauabitur in loco sancto: et vas testeum, vbi cocta fuerit in ipso, conteretur. Si autē in vase æneo cocta fuerit, defricabit illud, et lauabit aqua. Omne masculū in sacerdotibus comedet illud, sancta sanctorū sunt Dño.* Hostia igitur pro peccato nihil aliud fuerit, quā Emanuel, qui est agnus verus, tollens peccata mūdi. Occiditur autē in loco holocausti. Neq; enim ex parte, et sicut nos, sanctus est Christus, (neq; enim fecit peccatū,) totus verò fragrās odore, et sanctus, alijsq; sanctitatē suppeditat. Tametsi enim inter præuaricatores Legis reputatus est, et cōdēnatis annumeratus œconomicè, nouit tamē Pater, sanctā esse ac sacrā filij mortem: ideoq; inquit: *In loco vbi immolabunt holocaustum, immolabūt etiam pro peccato. Sancta sanctorum sunt.* Quemadmodū enim Deus deorū est Filius: ita et sanctus sanctorum, vniuersā ipse sanctificās creaturā proprio spiritu, in quantū apparuit ex Patre, et est revera Deus. Comedit autē hostiā, inquit, sacerdos, qui eā offert.

Vnus-

Gal. 2.

Similæ decima pars in sartagine oleoque cōspersa quid significet.

Psal. 50.

Iob. 41.

Diaboli cor obduruit vt incus.

Labes peccati per solū Christū elui potest.

Lex hostiæ pro peccato.

Hostia pro peccato est Emanuel.

Christus Sāčta sanctorū, et Deus Deorum.

Sacerdos offerens hostiā de ea comedet.

Vnusquisq; enim, arbitror, eorũ, qui ad sacrum ministerium adducti sunt, fructus laborum suorum vindemiabit, ministerijq; sui retributionẽ metet. Comeduntur etiam hostiæ reliquiæ in locis sanctis, et in atrio sancti tabernaculi. Offerũtur enim in ecclesijs mystica, et ad sanctam Christi mẽsam in ijs delectum genus admittitur. Locus autem in quo legalis sacerdos sacrificat, sanctus est. Sanctificat etiã hostia, quęcunq; attigerit, et sanguinis aspersio. Accedimus enim ad sancta, non aliam ob causam, quàm vt participes fiamus sancti Christi per ineffabile ac spirituale sacrificium.

Vasorũ sacrorũ ablutio. Abluuntur verò etiam, quę sacrificio peragendo inseruiunt, vasa, ne alijs cedant: aut humanis vsibus accommodentur, quæ sacris ministerijs seruierunt. Obseruatur autem Lex, et in ecclesijs manet. Quòd verò viriliter agẽtibus benedici conueniat, Lex iterum declarat dicens: *Omne masculum in sacerdotibus comedet ea.* PAL. Manifestus est sermo. CYR. Pręcipit autem prætereà, quonam pacto sacrificium, pro peccato, inquam, sit peragendum: quænam verò ex eo à sacerdotibus, siue ministris edi possint: quę autem in odorem suauitatis offerri.

Leuit. 6. Ita enim scriptũ est: *Et omnia, quæ pro peccato, quorũ illatum fuerit de

Lex hostiæ pro delicto. sanguine eorum in tabernaculum testimonij, ad propitiandum in sanctuario, non comedetur, in igne comburetur. Et hæc lex arietis, qui pro delicto Sancta sanctorũ sunt. In loco, vbi immolabunt holocaustum, immolabũt arietem delicti coram Domino: et sanguinem effundet iuxta basim altaris in circuitu, et omnem adipem eius offerent ab eo, et lumbos, et adipẽ operientem intestina, et omnem adipem, qui in intestinis, et duos renes, et adipem, qui in illis, qui super femora: et reticulum, quod in iecore cũ renibus: auferet ea, et offeret ea sacerdos super altare, holocaustum Domino pro delicto est. Omnis masculus ex sacerdotibus comedet ea, in loco sancto comedetur, Sancta sanctorum sunt. Sicut quod pro peccato, sic et quod delicti. Lex vna illorum. Sacerdos, qui propitiabit in eo, illi erit.* Vetat enim intestina à sacerdotibus comedi. Siquidem soli Deo consecrari oportet, ipsiq; offerri. Hoc enim significare arbitror: Igne comburẽtur: hoc est, consecrentur, donentur soli diuinæ ac supramæ omnium naturę, cuius typus est ignis. Sacrificato autẽ ariete delicti, affunditur sanguis ad basim altaris. Sancta enim et sacra est Christi mors: quin etiam fragrans. Offeruntur enim intestina, adeps, et renes, et reticulũ iecoris. Sunt verò hęc, vt etiam in alijs dixi, in typum virtutis, non vnius solius, sed variæ, ac multiplices. Quamplurimi enim sunt virtutis modi. Iustificati itaq; sumus in Christo, mortem pro nobis perpesso, quiq; seipsum consecrauit in odorem suauitatis Deo ac Patri. Quòd verò non absq; mercede Deo ministraturi simus, declarat statim dicens: *Et sacerdos offerens holocaustũ hominis, pellis holocausti, quod offert illi, ei erit. Sed omne sacrificiũ, inquit, quod fiet in clibano, et craticula, vel sartagine sacerdotis offerentis illud, illius erit. Et omne sacrificium præparatum in oleo, et non præparatum omnibus filijs Aaron erit, cuilibet ex æquo.* Seruatur etiam hæc in ecclesijs lex. Partitur autem sacrorum ministris, vnicuiq;

Intestina hostiæ pro delicto igne comburi iussa significãt ea soli Deo consecrãda.

Pellis holocausti sacerdoti data significat Deo non absque mercede ministrari.

vnicuique ex æquo indifferenter incruēti ſacrificij portionem. Cuius rei non ignarus etiam Paulus ſcribit: *Sic etiam Dominus præcepit, vt qui altari aſsident, ex altari viuāt: Et qui offerūt ſacrificia, participes altaris ſunt.* vt ipſe rurſum alibi ait. PAL. Ita eſt. CYR. Annumerat autem rurſus, etiā hoſtiam laudis, et modum eius præſcribit, dicens: *Hæc lex ſacrificij pacificorum, quod offerent Domino. Si quidem pro benedictione obtulerit illud, et offeret in ſacrificio laudationis panes azymos ex ſimila præparatos in oleo, et lagana azyma lita in oleo: et ſimilam conſperſam in oleo, in panibus fermentatis offeret oblationem ſuam in ſacrificium laudationis ſalutaris eius. Et adducet ab eo vnū ab omnibus donis illius ſeparationem Domino, ſacerdoti effundēti ſanguinem ſalutaris, illi erit: et carnes ſacrificij laudis ſalutaris, illi erūt. Et in qua die donantur, comedentur: non relinquant illa ad manè.* In panibus fermentatis ſacrificium laudationis fieri præcepit, cum alijs in locis apertè, manifeſteq; dicat: *Omne fermentum, et omne mel non offeretis Domino Deo veſtro. Donum primitiarum offeretis Domino. Super altare autem nō imponetur in odorem ſuauitatis Domino.* An non Palladi accuratā horum inueſtigationem vtilem eſſe cenſes? Quænam igitur ſit œconomiæ ratio, age dicamus quoad eius fieri poterit, inquirentes: et occultam viam perſcrutantes. Legitimè igitur etiam diuinus Dauid ſpiritualem lyram pulſans: *Calicem, inquit, ſalutaris accipiam, et nomen Domini inuocabo.* Sacrificium laudationis, calicem ſalutaris apertè vocans. Offerimus autem

1. Cor. 9.
Leuit. 7.
Lex ſacrificij pacificorū.
Leuit. 2.
Pſal. 115.
Calix ſalutaris ſacrificiū laudationis.

etiam nos laudem cōgregati in eccleſijs in vnitatem ſpiritus, et veluti in vnum corpus, vnamq; animam collati per fidem. Scriptū eſt enim, *quòd multitudinis credentium erat cor, et anima vna.* Glorificamus autē Deū frequenter ſoli in vna domo, et die ac nocte: resq; eſt pijs hominibus vſitata. Nonne verum cenſes, quòd dico? PAL. Quis verò neget? CYR. Cœterum ſiue in eccleſijs coniunctim à nobis, ſiue in alijs locis id fiat, ſiue a duobus aut tribus, aut pluribus: indifferēs planè eſt intētio eorum, qui laudibus Deum celebrare conſueuerunt, atq; in hoc conueniunt. Simul enim cum ijs, qui iam per ſanctum Baptiſmum expurgati ſunt, defert oblationem etiam is, qui cathecumenus adhuc eſt, vnà cum perfectis conſecrans laudationem, à reconditioribus myſterijs abſcedit: et à ſacrificio, quod Chriſto exhibetur, excluditur. Idcirco Lex rectè hanc diſpenſationem prædixit, et hoſtiam laudationis ex panibus fermentatis, et laganis azymis fieri præcepit: vnoquoque eorum, quę dicta ſunt, vt arbitror, vitæ ſpeciem ſignificante. Panis enim fermentatus typus eſt vitæ nondum expurgatæ per ſanctum Baptiſmum, neq; adhuc in vniuerſum à mundana immunditie liberæ. Lagana verò azyma, eius, quę iam expurgata ſit in Chriſto per fidem: perfectorum, inquam, quibus etiā diuinus Paulus inclamat dicens, *vt feſtum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et verſutiæ, ſed in panibus fermento carentibus, ſynceritatis et veritatis.* Et rurſum: *Expurgate igitur vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis infermentati.*

Act. 4.
Panis fermentatus, vitā ſignificat non omnino ſanctā.
Lagana azyma ſignificāt vitā perfectam.
1. Cor. 5.

Simila adhuc in granis oblata, q d significet. PAL. Rectè ais. CYRIL. Simila verò nondum in vnitatem contracta, quemadmodum in pane, et lagano fortasse: sed manens in granis adhuc, laudationem à singulis particulatim offerentium præstitam significat. Accepti enim sumus Deo, siue pro se quisque Deum glorificemus, siue coniunctim omnes. Infunditur autem Oleũ sacrificio laudis infusum, quid significet. oleum sacrificio laudis, vt hilaritas rei significetur: et quia semper omnino qui id offerre consuerint, misericordiam à Deo sint consecuturi. *Immola enim, inquit, Deo sacrificium Psal. 49. laudationis, et redde altißimo vota tua. Et inuoca me in die afflictionis tuę, et eripiã te, et gloria afficies me.* Scribit autem alibi etiam Christi di- Iacob. 5. scipulus: *Affligitur aliquis inter vos? oret. Aequo animo est? psallat.* In panibus igitur fermentatis, et laganis infermentatis, et in similę granis adhuc integris sacrificium laudis fieri debere, apertè præcepit. Postquam verò vnusquisque obtulerit, ac veluti in vno manipulo similam, et oue occisa, intestinisq; sacrificatis secundum Legis normam, reliqua omnia, vt à sacerdotibus comedantur (non inutile esse sacerdotium significante Lege,) iubet dicens: *In qua die donata fuerint, comedentur: non relinquent ea ad mane.* In quo rursum intelligere possumus. Elapso enim, ac decurso præsentis seculi tempore, veluti die, alium glorificationis modum præter eos, quos scimus, intelligemus. Quẽadmodum enim ij, qui in Lege erant, cum Pharaonis tyrannidem euasis- Exod. 15. sent, læti dixerunt: *Cantemus Domino, gloriosè enim glorificatus est. Equum et ascensorem deiecit in mare.* Incomparabiliter splendidiora præstantioraq; in spiritu piè contemplantes, præclara nimirum Christi ad nos aduentus facta, nonnulli sanctorum exclamarunt: *Cantate Domi- Psal. 97. no cãticum nouum.* Hoc verò erat: Ascendit Dominus in Iubilo, direpto Psal. 46. inferno, * dicens ijs, qui in vinculis Esai. 49. erant: Exite. Et ijs, qui in tenebris versabantur: Reuelamini.* Eâdem planè, vt arbitror, ratione, euacuata in vniuersum morte, et peccato soluto, Morte inuniuersum abolita, perfectius Deũ laudabimus. erit modus laudationis tempori conueniens. De maioribus enim rebus cantabimus: et bona intellectum omnem et rationem excedentia adepti illustrioribus acclamationibus, et laudibus vniuersorum bonorum largitorem Christum, vnà cum Deo ac Patre prosequemur. *Siue enim, in- 1. Cor. 13. quit, prophetiæ abolebuntur, siue scientia cessabit: et adhuc quidem ex parte cognoscimus. Ast vbi venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur.* Quin et Christus ipse alibi inquit: *Hæc in parœmijs loquutus sum vobis. Sed veniet tempus, quando neque in parœmijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.* Cum itaq; futura sit in nobis per tempora perfectior cognitio, sublimius quàm nunc etiam laudabimus. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Vnicuique igitur sacrificio conuenientem ipsi rationem præscribens, et quo pacto fieri debeat, optimè declarans, participem statim altaris sacrum ministrum cõstituit. Ita enim scriptũ est: *Et locutus est Do- Num. 18. minus ad Moysen dicens: Tu, et filij tui, et domus patris tui tecum accipietis primitias sanctorum: et tu, et filij tui accipietis peccata sacerdotij vestri. Addens verò his, quòd oporteat

eos

eos ad sacrorum administrationē summam mentis vigilantiam adhibere: *Et ecce ego, inquit, dedi vobis custodiam primitiarum mearum ab omnibus sanctificatis a filijs Israël: tibi dedi ea in donum, et filijs tuis legitimum sempiternum. Et hoc sit vobis à sanctificatis sanctis oblationibus ab omnibus donis eorum, et ab omnibus sacrificijs eorum, et ab omni delicto eorum, et ab omnibus peccatis eorum, quæcunq; reddunt mihi ab omnibus sanctis, tibi erunt, et filijs tuis: in sancto sanctorum comedetis ea. Omne masculinum comedetis ea, sancta erunt tibi. Et erunt vobis primitiæ domuum illorum ab omnibus oblationibus filiorum Israël. Tibi dedi ea, et filijs tuis, et filiabus tuis tecum, legitimum sempiternum. Omnis mundus in domo tua, comedet ea. Omnis primitia olei, et omnis primitia vini, et frumenti primitia eorum, quæ dederint Domino, tibi dedi ea. Primogenita omnia, quæcunque in terra eorum, quæcunque obtulerunt Domino, tibi erunt. Omnis mundus in domo tua comedet ea. Omne consecratum in filijs Israël, tibi erit. Et omne aperiens vuluam ab omni carne, quæcunq; offerunt Domino ab homine vsq; ed iumentum, tibi erunt. Sed redemptionibus redimentur primogenita hominum, et primogenita iumētorum immundorum redimes. Et redemptio eius ab vno mense. Aestimatio quinq; siclorum iuxta siclum sanctum, viginti oboli sunt. Veruntamē primogenita vitulorum, et primogenita ouium, et primogenita caprarū non redimes. Sancta sunt. Et sanguinem eorum effundes super altare, et adipem offeres oblationem in odorē

Lex de primitijs offerēdis sacerdotibus.

suauitatis Domino: et carnes erunt tibi, sicut et pectusculum impositionis, et secundum brachium dexterū erit tibi. Omnis separatio sanctorum, quęcunque separauerint filij Israël Domino, tibi dedi, et filijs tuis, et filiabus tuis tecum legitimum sempiternum. Pactum salis sempiternum est coram Domino tibi, et semini tuo post te.* Intelligis igitur hinc, vt arbitror, et quidem apertè, quòd omnem speciē sacrificij et oblationis, sancto atq; electo generi manifestè tribuerit: et quæ ab omni delicto, quæq; ab omnibus peccatis, hoc est, quæ pro omni delicto et peccato fiunt sacrificia. Peccatum enim vocatur, hostia pro peccato. Idcirco etiam Paulus legitimam hanc vocem Christo tribuit, dicens: *Rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Eum enim, qui peccatum nō fecit, pro nobis peccatum fecit.* Immolatus est enim pro peccatis nostris, sicut scriptum est, tanquam ouis innocens, Filius. Quòd verò Lex vocem hanc, peccatū, pro sacrificijs, quæ pro peccatis nostris fiunt, vsurparit, Deus manifestè declarat, per vocē prophetæ de sacerdotibus dicens: *Peccata populi mei comedent.* Hoc est, Ea, quæ pro peccatis populi mei offeruntur, cibus erunt sacerdotū. Tribuit igitur illis cuiusuis sacrificij reliquias, atque edi ab ijs præcipit: Cœterū in loco sancto, inquit, et ab omni masculo. Quęnam verò huius rei ratio sit, iam à nobis dictū est. In Ijs autem, quę modò dicta sunt, primitias olei, frumēti, et vini, et primogenitorum redēptiones, necnon donaria, non iam à solis masculis, neque in atrio sancto comeduntur: sed in domo sacerdotis, atque ipsis filiabus fruenda proponuntur,

Peccatū, hostia pro peccato dicitur.

2. Cor. 5.

Oseæ. 4.

Peccata populi mei comedent.

omniq; noto ac domestico. Porrò distinctio hæc non inutilem obseruationem in se habet. Sacrificiorum enim reliquiæ, solis in vsum sanctificatis conueniant: non autem communis est earum esus. Decet præterea eas locus sanctus. Quæcunque verò ex oblationibus supersunt, collata assumens, secundam quodammodo, inquit, in se rationem habent, et à sacerdotibus toti familiæ proponentur: si tantùm fuerint mundi, hoc est, labis expertes, iuxta Legem quidem, si non incircuncisus, si non alienigena, si non leprosus, si non seminifluus. Iuxta nouæ scripturæ mentem, et ecclesiasticam certitudinem, nisi profanus atq; infidelis, si pius ac Dei amans sit. Cõuenit enim maximè, vt qui ad diuinum sacerdotium accersuntur, ijs copulari, qui bene affecti sint, et mentem pietatis plenam habeant. Adijciens autem his, quod pactũ salis sempiternum est coram Deo tibi, et semini tuo post te, omnino illud obseruari voluit, quod etiam alijs in locis dixit:
Leuit. 2. *Non cessabit sal fœderis Domini à sacrificijs vestris in omni domo vestra offeretis Dño Deo vestro sal.*
Victima sale asp-sa, quid significet. Aspergebatur enim victima sale: significante nimirum typo, oportere prudenter Deo consecrari: maturissimumq; quodammodo ad ipsum accessum fieri debere. Neque enim comedetur panis absque sale, sicut scriptum est:
Matth. 5. *Vos estis sal terræ:* sanctis apostolis Christus acclamauit.
PAL. Rectè ais. CYR. Hæ igitur sunt leges, iuxta quas sanctificatos cõsecrari oportet. Quòd verò eos, qui electi sunt, optimãq; in seipsis portionem consecuti sunt, à profana consuetudine discedere necesse sit, et humanis curis valedicere, quę mentem etiã optimè constitutam inebriare solent, et tantum non ad absurdas voluptates deturbare, declarat in Leuitico, dicens: *Vinum, et siceram non bibetis, tu et filij tui tecum, quando ingressi fueritis in tabernaculum testimonij, vel accedentibus vobis ad altare, et non pereatis. Legitimum sempiternum in generationes vestras. Discernes inter sancta, et profana: et inter immunda, et munda: et docebis filios Israël omnia legitima, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* Leuit. 10 Sacerdotes, quibus moribus prę ditos esse oporteat. Vides igitur, quanta vigilantia ipsis sit adhibenda: mentem verò tenebris offusam, et cor curis inuolutum, et mundanarũ rerum ebrietate laborans mortem ipsis conciliare. Inebriantur enim nonnulli absq; vino sacrum ministerium consecuti. Labitur enim nonnunquã ad turpitudinẽ mẽs rectè non incedens, et sacris excidit, neq; decẽter officium suum facere potest: sed à recta quodãmodo via aberrat. Atq; ita quidẽ affectus, Deũ offendere necesse est, et graues vecordię suę pœnas luere. Inebriatio citra vinum. Vigilãtes itaq; esse oportet: ebrietatem, quæ ex curis huius vitæ nascitur, profligantes. Quænã verò huius vigilantiæ ratio sit, quæ à nobis præstanda sit, Saluator ipse docet inquiẽs: *Cauete, nequando grauẽtur corda vestra curis et solicitudine huius vitæ.* Sacerdotes, curas huius vitæ profligare oportet. Luc. 21. At quo pacto mũdi, et labis expertes, liberiq; à supplicio mãsuri simus, statim declaratur. *Discernes enim, inquit, inter sancta, et profana: et inter munda, et immunda: et instrues filios Israël omnia legitima, quę locutus est Dñs in manu Moysi.* Hoc verò est apertè dicere, quòd oportet sacerdotes ab ebrietate alienos: à viris Sacerdotes ab hominũ impurorũ cõsuetudine alienos esse oportet.

non

non ſanctis, hoc eſt profanis atq; impuris longè ſemoueri: quod quidem facilè quis præſtet, ſi ipſe purus ac mundus ſit. *Omne enim animal, inquit, amat ſibi ſimile: et homo ſibi ſimili copulatur.* Præter hæc autem ſapientes etiam, aptosq; ad docendū eſſe oportet. Qui enim rationali gregi præfectus eſt, vigilans et didacticus, hoc eſt, docendi peritus ſit. Rectè igitur admodum docebis, inquit, hoc eſt, declarabis: vt poſsint intelligere auditores, quòd Lex ſit pædagogus, et Chriſti myſterium loquitur. Nihil enim difficile eſt, aut declaratione indigens, niſi intelligatur ſpiritualiter. Simplex enim admodum, et obſcuritatis vmbris liber eſt hiſtoriæ ſermo.

Eccleſiaſti. 13.

Sacerdotes ſapiētes aptosque ad docendū alios eſſe decet.

Moyſes iubetur docere, quia Lex pædagogus eſt.

Explicit liber duodecimus.

De adoratione, et cultu,

D. CYRILLI, ARCHIEPIscopi Alexandrini de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber decimus tertius.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

Adhuc de Sacerdotio.

HAec igitur à nobis hactenus de sacerdotibus et Aarō dicta sint. Adijcienda autem his esse censeo, quæ desiderari videntur de Leuitis præcepta. Ita enim sermo rectè se habebit. PAL. Age ergo hic apertè. Rectè enim iudicas. CYR. Optimo itaq; sacerdotij ordine constituto, Leuiticum ordinē summo pontifici subijcit, in Numeris ita

Num. 18 dicens: *Etiam Leuitis loqueris, et dices ad eos: Si acceperitis à filijs Israël decimam, quam dedi vobis ab ipsis in sorte, et separabitis vos ab ea separationem Domino, decimam de decima, et computabūtur vobis separationes vestræ vt triticum ab area, et vt separatio à torculari: sic auferetis et vos ab omnibus separationibus Domini, ab omnibus decimis vestris, quascūq; acceperitis à filijs Israël, et dabitis ab ipsis separationem Domino, Aaron sacerdoti, de omnibus donis vestris separabitis separationem Domino de omnibus primitijs sanctificatis ab ipso. Et dices ad eos: Cum segregaueritis primitias ab ipso, et computabitur Leuitis vt fructus ex area, et fructus à torculari: et comedetis ea in omni loco vos, et filij vestri, et familiæ vestrę, quoniam merces hęc vobis est pro ministerijs vestris, quæ in tabernaculo testimonij. Et nō accipietis propter hoc peccatū, quoniam segregaueritis primitias eius ab eo. Et sancta filiorum Israël non contaminabitis, vt non moriamini.* Vides Christi mysterium veluti in vmbris, ac figuris elucens?

Leuiticus ordo summo pontifici subiectus.

Qui enim decimas accepit, decimatus est, iuxta beati Pauli vocem. Sed tunc quidē in typis in Melchisedech. Moysis verò temporibus tanquam in Aaron rursum obseruatum est, sacerdotem sacerdotum Christum in seipso significante, ducem, ac præfectum sancti tabernaculi, hoc est, ecclesiæ Sā-ctum sanctorum: et Deum deorū, cui omnis oblatio à nobis debetur. Scriptum est enim, quòd omnes in circuitu ipsius dona offerent. Cœterū in ty-

Heb. 7.

Decimas accipiēs decimatus est.

pis

pis quidem adhuc, Moſaica: nunc autem ſpiritualibus oblationibus redemptorem ſuum oblectant ſynceri euangelicorum præceptorum cuſtodes. PAL. Rectè ais. CYR. Quòd verò ſelectum genus Leuiticum, eximiumq; præ alijs ſit, hoc modo manifeſtum facit. Recenſeri itaq; plebeiam promiſcuamq; multitudinem, accuratamq; eius deſcriptionē fieri præcepit Creator, nō quòd eius ignarus eſſet (Guttę enim pluuiarū ipſi in numerato ſunt, vt ſcriptum eſt,) ſed vt certò cōſtaret ijs, qui in ſacris literis verſantur, quòd qui Deo addicti ſunt, populusq; ipſius effecti, deſcripti ſunt apud Deum in libro vitæ, et cognitis Deo annumerantur, atq; in memoria omnium Domini verſantur. Deſcripta itaq; eſt plebs. At verò Deus ſeparatim quodammodo delectum, ſacrumq; genus conſtituit, neq; eodem cum alijs ordine reliquit, ſed longè præſtantiorem portionem ipſis largitus eſt, dicens ad ſapiētiſsimū Moyſen: *Vide tribum Leui, non ſimul numerabis, neque accipies cenſum eorum in medio filiorum Iſraël.* Eximia enim eſt ſanctorū ſors: eminētiaq; præmia: atq; in alijs libris eorum deſcriptio fit. Neq; enim vnā tantùm Daniel vidit, Sed inquit ipſe: *Iudicium ſedit, et libri aperti ſunt.* Conueniens itaq; vniuſcuiuſque modo eſt deſcriptio. Eximitur autē à reliqua multitudine quod ſacris miniſterijs addictum eſt, et conſecratum genus. Porrò ſacerdotij Leuitici modū ſtatim declarat, dicens: *Accipe tribum Leui, et ſtatues eos coram Aarō ſacerdote, et miniſtrabunt ei: et cuſtodient cuſtodias eius, et cuſtodias filiorum Iſraël coram tabernaculo teſtimonij ad operādum opera tabernaculi. Et cuſtodient omnia vaſa tabernaculi teſtimonij, et cuſtodias filiorum Iſraël iuxta omnia opera tabernaculi. Et dabis Leuitas Aaron fratri tuo, et filijs eius ſacerdotibus donum. Dati ſunt hi mihi à filijs Iſraël. Et Aarō, et filios eius ſtatues ſuper tabernaculum teſtimonij, et cuſtodient ſacerdotium eorum: et alienigena tranſiens morietur.* Leuitæ igitur cooperatores quodammodo, ac veluti coadiutores ſacerdotibus conſtituti ſunt. Cuſtodient enim, inquit, cuſtodias ipſius: nimirum Aaron, omniaq; vaſa tabernaculi teſtimonij, et omnes cuſtodias filiorum Iſraël. Atque in his quidem cooperationis eorum ratio conſiſtit. Præficit autem tabernaculo Aaronem, et filios eius. Cuſtodient enim, inquit, ſacerdotium ipſorum: et omnia, quæ iuxta altare, quęque intra velum ſunt, hoc eſt, ineffabilia, ac ſecretiora, et quæcunque moris eſt facere eos, qui diuino altari aſsident. Quæquidem ſyncerè Chriſti typum præ ſe ferunt: quem conſtituit Pater ſuper domum ipſius, cuius domus nos ſumus. Significent autem non obſcurè, qui Aaroni miniſtrant, ſanctum, admirandumq; Apoſtolorum chorum, cooperantium quodāmodo, et miniſtrantium Chriſto. Dei etenim cooperatores effecti ſunt, ac diſpenſatores myſteriorum Dei, et miniſtri, per quos credidimus. Si quis autem velit etiam Eccleſiæ ſtatum inquirere, præfiguratum eſſe in Lege meritò admirabitur. Epiſcopis enim vt præfectis, ac gubernatoribus, et alijs inferiori loco conſtitutis, præsbyteris, inquam, commiſſum eſt altare, et quæ intra velum ſunt, quibus etiam dici cōuenit: *Et cuſtodient

Leuiticū genus electum.

Deſcriptio Leuitarum cur fieri iuſſa ſit.

Eccleſiaſti. 1.

Num. 1.

Deſcriptio Leuitarū, ſeparata a plebe fit.

Dan. 7.

Iudiciū ſedit, libri aperti ſunt.

Num. 3.

Leuitæ cooperatores ſacerdotū.

Leuitæ, typus apoſtolorū.

Apoſtoli cooperatores Dei

Eccleſiæ ſtatus, in veteri præfiguratus.

dient sacerdotium suum.* Diaconis verò illud: *Custodient custodias tabernaculi, et omnia vasa eius, et custodias populi.* An non ipsi præsident proclamantes in ecclesijs, quòd subinde quidem, quòd populo canere, conueniat: ordineq; stare: subinde verò sedere, etiam erecti ad orandum: et incruento sacrificio peracto, ipsi sacratiora vasa deferunt, accurateq; omnia necessaria exequuntur? PAL. Omnino. CYR. Sacerdotio itaq; funguntur præfecti. Conferunt autem operam suam Leuitæ, ecclesiastici sacerdotij statum Legali litera nobis præclamāte. Arcetur autem plebs ab omni re sacra, extremumq; supplicium proponitur ijs, qui eum honorem surripere, vsurpareq; voluerint. *Morietur enim, inquit, qui eum sua sponte affectarit, diuina voluntate non vocatus.* PAL. Ita est. CYR. Nequaquā igitur coniunctim fit cum alijs Leuitarum census. Sed separatim descri-
Num.3. pti sunt, et in libro Dei.* Loquutus est enim, inquit, Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens: Numera filios Leui per domos familiarum suarum, per cognationes suas, omne masculinum ab vno mense, et supra, numerate eos. Et numerauit eos Moyses, et Aaron per vocem Domini, quemadmodū præcepit eis Dominus. Et erāt hi filij Leui ex nominibus suis: Gerson, Caath, et Merari. Et hęc nomina filiorum Gerson per populos suos: Lobeni, et Semei. Et filij Caath per populos suos: Amran, et Isaar, Chebron, et Oziel. Et filij Merari per populos suos Mooli, et Musi.* Hi sunt Leuitarum per domos familiarū suarū. Animaduerte igitur Palladi, ante alia, illud: Subtilis enim obseruatio est. Populus ab anno vigesimo et vltra describebatur, indignum, vt arbitror, indicante Lege id, quod imbecillum, atq; impotens est, in libro Dei describi. Idcirco quod virili vigore, ac robore præditū est, sanctorum albo meritò accésetur. Pulchrè itaq; Lex figuram spiritualis ætatis corporalem statuit: et quod in vigore ætatis est, delectum genus declarat, impubere, atq; imbecilla, pueriliq; ætate prætermissa, neq; in librū Dei relata. Ex Leuitis autem, vnius mensis inscribuntur. Accepta enim in primis est Deo simplicitas electorum in Christo, quemadmodum etiā prudentia. Vtroq; enim genere excellere, eximium est: prudētia, inquam, et simplicitate. Idcirco etiam diuinus Paulus: *Nolite, inquit, fratres, pueri fieri sensibus: sed malitia pueri sitis, sensibus verò perfecti.* Ipse etiā Christus alibi inquit: *Estote prudentes sicut serpentes: et simplices sicut colūbæ.* Accepta igitur est sanctorū simplicitas. Secundum populos verò, et familias fit cēsus. Deus enim propria cura dignatur, quos vult honore afficere, et singulatim, et secundum multitudinem, et secundum genus: cuius rei veritatem ipse etiam Saluator declarat, ita sanctis discipulis dicens. *Nonne duo passerculi asse veneunt, et vnus ex ijs non cadet in terrā absq; Patre vestro, qui est in cœlis? Vestri verò capilli capitis omnes numerati sunt.* PAL. Rectè ais. CYR. Secundam verò pręter hanc descriptionem fieri Leuitici populi, et vnicuiq; peculiariter officium, atq; ministerium designari pręcipit, dicens: *Accipe summam filiorum Caath de medio filiorum Leui per populos eorum, per domos familiarum suarum à viginti annis,

Populus ante vigesimū annū nō describebatur.

Leuitæ vnius mēsis descripti vna cū viris, quid significēt.

Prudentia simplicitati cōiūcta, laudabilis.

1. Cor. 14

Matt. 10.

Matt. 10

Num. 4.

Caathitarum officium.

nis,et quinq; annis et vltra vſque ad quinquaginta annos,omnis ingrediēs ad miniſtrādum,vt faciat omnia opera in tabernaculo teſtimonij,ſanctum ſanctorum. Et introibunt Aaron,et filij eius,quando leuanda fuerint caſtra,et deponent velum obumbrans, et contegent in eo arcam teſtimonij, et imponent ſuper illud velamen pelliceum hyacinthinum,et inijcient ſuper illam pallium totum hyacinthinum deſuper,et immittēt vectes eius, et ſuper menſam propoſitam immittent ſuper eam pallium purpureum, et diſcos,et mortariola, et cyathos,et libatoria, in quibus libant: et panes ſempiterni in ea erunt: et immittent in eam pallium coccinum: et cooperient eam cooperculo pelliceo hyacinthino,et immittent vectes eius. Et accipient pallium hyacinthinum, et cooperient candelabrum lucens,et lucernas eius,et emunctoria eius,et forcipes eius,et omnia vaſa olei eius,quęcunq; miniſtrabunt in ipſis, et immittent eam,et omnia vaſa eius in cooperimentum pelliceum hyacinthinū, et imponent ſuper eam vectes, et ſuper altare aureum imponent pallium hyacinthinum,et cooperient illud cooperimento pelliceo hyacinthino, et immittent vectes eius, et ſument omnia vaſa miniſtratoria,quæcunq; miniſtrabunt in eis in ſanctuarijs:et immittent in pallium hyacinthinum,et cooperient ea cooperimento pelliceo hyacinthino, et imponent ſuper vectes, et coopertorium imponent ſuper altare: et cooperient ſuper illud pallium totum purpureum,et imponent ſuper illud omnia vaſa eius, in quibus miniſtrabunt in eis,et thuribula,et fuſcinulas,et phialas, et coopertorium,et omnia vaſa altaris: et immittent ſuper illud cooperimentum pelliceum hyacinthinum, et immittent vectes eius, et accipient pallium purpureum,et cooperient peluim, et baſim eius. Et immittent ea in operimentum pelliceum hyacinthinum,et imponent in vectes. Et conſummabunt Aaron,et filij eius, cooperientes ſanctuaria,et omnia vaſa ſancta,cum tollentur caſtra. Et poſt hæc introibunt filij Caath ad tollendum,et non tangent ſancta, vt non moriantur.*

Eorum igitur,qui menſem vnum nō excedebant,deſcriptio,ſanctorū ſimplicitatem Deo gratam,acceptamq; eſſe decet. Solam verò à Lege præfinitam ętatem,à vigeſimo quinto anno, ad quinquageſimum vſq; ſacris operibus deſtinari:illud,vt arbitror,ſignificat,quòd omne quod prudens,ac robuſtum eſt,eximium atq; irreprehenſibile Deo miniſterium præſtat. Huiuſmodi enim eſt,qui intra vigeſimū, et vigeſimum quintum annum verſatur:quin etiam is,qui nondū quinquageſimum exceſsit. Vir enim quinquagenarius à vigore ſuo,ac robore declinat:neq; amplius integris,ſolidisq; viribus præditus eſt: ſed ad morbos, quos ſenectus ſecum trahit, vergit. Nemo autē inſipiens, aut imbecillis Deo rectè inculpateq; inſeruiat,ſi modò verè dicitur:omnia,que ad virtutē aſpirāt,queq; legiſlatore laudanda,approbādaq; ſit opera roboris atq; prudētiæ eſſe. PA. Ita aio. CY. Miniſteriū verò eorū,qui ex populo Caath ſancta ſanctorū,introeuntibus prius à ſacerdotibus,eaq; ornātibus. Omni enim ex parte dignius eſt id,quod in officio pręeſt:omniaq;,quę apud Deū ornata ſunt:nihil autē omnino inordinatū.

Quinquageſimo anno declinat robur hominis.

Leuiti-

Leuiticum autem genus ministrat: et præfectis sacerdotio fungentibus subditum est, atq; inseruit. Ornatur autē pellibus, et vestibus hyacinthinis arca sancta, et altare aureum. Lucerna etiam, ac vasa ministratoria. Hyacintho nimirum nobis superna, atq; cœlestia significante. Eiuscemodi enim colore supremus, altissimusq; æther est præditus. Quod verò vasa sacra typi sint Christi, qui supernè, atq; in cœlis est, multis verbis supra à nobis ostē sum est. Mensa autem, etiam pallium totum purpureum præter hyacinthina coopertoria habet. Altare verò oblationum pallium coccineum. Quin etiam peluis pallium purpureum totum super operimenta hyacinthina. Ac significat quidem mensam habentem propositionem panum, incruentum sacrificium, per quam mensam benedicimur, panem manducantes cœlestem, hoc est, Christum, qui etiā factus est iuxta nos. Cœterum erat etiam hic, et est Deus supernè, et ex Patre veniens, et supra omnia, vtpote vniuersorum Rex, et Dominus. Typus autem regni Christi fuerit, vt mihi quidem videtur, superinduci mensæ vestem, siue coopertorium purpureum. Obtegebatur autē altare oblationum veste coccinea. Porrò vestis cocco tincta, sanguinis typus est. Immolatus enim est propter nos, ac pro nobis Christus: ac veluti agnus quispiam ad diuinum altare ascendit in odorem suauitatis Deo ac Patri. Præter hyacinthina verò, etiam coopertorium totum ex purpura pelui erat. Ac qui peluis in se sacri baptismi typum præ se fert, sanctis nos aquis abluentis in depositionem peccati: et ad regnū cœlorum deducentis. Supernè verò, atq; ex cœlo sanctus Baptismus: quod figuratè significat color hyacinthinus. Nonne tibi rectè hæc dicere videor, in tanta contemplationum difficultate? PAL. Omnino. CYR. Huiusmodi itaq; erat officium Caathitarū. Gersonitæ verò, et Mararitæ eâdem planè ratione describebātur quidem à vigesimo quinto anno, ad quinquagesimum vsq;. Nominatim, et per domos, ac familias. Et ministerium quidem populo Gerson, pelles tabernaculi, et operimentum, coopertoria ostij, et vela ostij, et superflua eorum. Ita enim scriptum est: Meraritarum verò (populus vtiq; etiam hic Leuiticus est,) ministerium erat circa columnas tabernaculi, et bases, capitula, paxillos, et vectes, et velum tabernaculi exterioris, et nonnulla alia. Ac Gersonitæ quidem, et Meraritæ curruum ministerio, ea, quæ ipsorum curæ commissa erant, quocunque necesse esset, transferebant. Caathitæ autem Sancta sanctorum humeris gestantes incedebant. Ita enim in Numeris scriptum est: *Et obtulerunt principes Israël principes domorum familiarum suarum. Hi principes tribuum, hi præfecti super gubernatione. Et obtulerunt dona sua corā Domino, sex plaustra tecta, et duodecim boues: plaustrum à duobus principibus, et vitulū ab vnoquoq;: et obtulerunt coram tabernaculo. Et ait Dominus ad Moysen, dicens: Accipe ab eis, et erunt ad opera ministratoria tabernaculi testimonij: et dabis ea Leuitis, vnicuique iuxta ministerium eius. Et accipiens Moyses plaustra, et boues, dedit ea Leuitis. Duo plaustra, et quatuor boues dedit filijs Gerson, iuxta ministeria ipsorum: et quatuor plaustra, et octo boues

[Margin: Mēsa cooperto-rio purpureo obducta typus est regni Christi.]

[Margin: Peluis, typus Baptismi.]

[Margin: Gersonitarum et Mararitarū descriptio, et officiū.]

[Margin: Num. 7.]

boues dedit filijs Merari iuxta ministeria ipsorum per Ithamar filium Aaron sacerdotis. Et filijs Caath non dedit, quia ministeria sanctuarij habēt: super humeris portabunt ea.* Audis, quo pacto his quidem moris fuerit in plaustris vehere sacra, Caathitis autem solis, humeris gestare? PALLA. Quanam de causa? CYRIL. Semper enim in maiori sudore versatur, quod præstantius, sacratiusq; est: comitaturq; id semper laborum assiduitas, et tolerantia: ac non ex æquo cū alijs, qui sanctiores sunt, et iuxta Deū quodammodo. Nonne ita esse censes, vt dico? PAL. Maximè. CYR. Huiusmodi itaq; modo, atq; ordine Leuiticum genus ministrabat. Ego verò existimo rem hanc mysterium, non typum ob oculos ponere. PAL. Quo pacto ais? CYR. Videtur enim duo quidem populi, Gerson, et Merari populos, qui in Lege sunt, subindicare, Israëlitas, inquam. Caathitæ verò sanctificatos in Christo per fidem. Illorum enim curæ demādata erant vela atrij, pelles tabernaculi, cooperimenta, et columnæ, capitulaq;, et bases, paxilli, et tegumenta: atque, vt sacra scriptura inquit, omnia superflua, per quæ significantur ministeria non necessaria. Hi verò sancta sanctorum gestabant: et per quæ Christus non vno modo, sed multifariam, et diuersimodè significatur, vt arca, vt mensa, et vt candelabrum aureum, et thuribulum aureum. Simplex enim existens secundum naturam, vt Deus, ex operationum differentia variè cognoscitur. Est etenim revera viuens, atque efficax Patris verbum, ac præterea vita, et lux, atque spiritualis fragrantiæ odor. Quotquot igitur Mosaicis præceptis acquiescunt, superuacanea tabernaculi administrāt. Siquidem inutilis est Lex, nisi intelligatur spiritualiter. Qui verò sancta sanctorum gestant, sancti omnino sunt in Christo, nihil superuacaneum, sed ipsum quodammodo sessorem habentes Emanuelem. PAL. Rectè ais. CYRIL. Vide autem si placet etiam hoc. PAL. Quidnam ais? CYRIL. Qui superfluorum sancti tabernaculi curam gerunt, plaustris ea vehunt. Caathitæ verò sancta sanctorum, nō plaustris, neque alia quapiam re, sed humeris imponentes, gestant. PAL. Quidnam igitur hoc sibi vult? CYRIL. Quod amice, mea quidem sententia, graue admodum, atque intolerabile sit Legis onus: quod quidem apertè per id significatur, quod superflua tabernaculi non humeris gestentur ob subditorum infirmitatem. Idcirco etiam sancti Apostoli ijs, qui post acceptam fidem ad legalem cultum redibant, dicebant: * Et nunc quid tentatis Deum, imponendo iugum ceruicibus discipulorum, quod neque vos, neque patres vestri ferre potuerunt? * Caathitæ autem ea, per quæ Christus significatur, suis ipsorum humeris gestantes, leue, facileq; portatu onus efficiunt. Nonne vero hoc manifestè est, quod Christus ipse dixit: * Iugum meum suaue est, et onus meum leue? * PALLADIVS Ita videtur. CYRILLVS. Adiecerim autem ad ea, quæ dicta sunt, etiam hoc: Neque enim inutile ad plenam huius rei probationem fuerit. Siquidem in prima Leuitarum descriptione, primi positi sunt Gersonitæ: deinde medius Caath: vltimus Merari. (Populi autem hi, Leuitici.)

In secun-

Caathitæ sacra humeris gestantes, Gersonitæ curribus, qd significent.

Gersonitæ typus Israelitarum. Caathitæ typus sanctificatorum per fidē.

Christus simplicis naturæ vt Deus, ex operationū differētia variè cognoscitur.

Christus vita, lux, odor.

Lex inutilis, nisi intelligatur spiritualiter.

Gersonitæ superuacua tabernaculi curribus gestātes Legis intolerabile onus significāt.

Act. 15.

Matt. 11.

Caathitarū, Gersonitarū et Meraritarū ordo in descriptione spiritualiter declaratus.

In secunda verò à vigesimo quinto anno, præpositus est alijs Caath, primusq; nominatus est. Posteriores autem Gerson, et Merari superuacanea tabernaculi administrãtes. Atqui vterque horum populorum singuli duas solas habent familias. Ille verò etiam ad quatuor vsq; procedit. Intelligisne figuram? PAL. Nequaquam. CYR. Vocati sunt primum Israëlitæ. Accedente autem interea gentium grege, post has sunt collocati: *et nouissimi quidem facti sunt primi, iuxta Saluatoris vocẽ, et primi nouissimi.* PAL. Rectè. CYR. Quòd verò exiguus numero Iudæorum populus, immensa verò gentium multitudo lõgè maior, manifestum est. PAL. Quis neget? CYR. Idcirco Deus ad Moysen ait: Et nunc desine me, et iratus disperdã congregationem hanc: et faciam te in gentem magnam, multoq; maiorem quam hæc. His igitur ministerijs vniuersum Leuiticum genus designatum fuit: regulaq; eorum, ac præscriptum erat, summo sacerdoti subiectos esse, et Aaroni obtemperare. Qui verò altiora cogitare, maioraque affectare, quàm quæ ipsis à Deo præscripta, ac definita essent, vellet, capitale supplicium incursurum, re ipsa demonstrauit. Scriptũ est autem rursum in Numeris: *Et locutus est Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, et Dathan, et Abiron, filij Eliab, et Aunan filius Phaleth, filij Ruben, et insurrexerunt contra Moysen, et viri filiorum Israël quinquaginta, et ducenti duces congregationis, senatores consilij, et viri nominati, insurrexerũt contra Moysen, et Aaron, et dixerũt eis: Sufficiat vobis, quia omnis cõgregatio, omnes sancti, et in eis Dominus. Et quare insurgitis contra congregationẽ Domini? Et audiens Moyses, cecidit super faciẽ: et locutus est ad Core, et ad omnem congregationem dicens: Considerauit, et cognouit Dominus existẽtes suos, et sanctos adduxit ad se. Hæc facietis. Accipietis vobis ipsis thuribula Core, et omnis congregatio eius: et ponite super illa ignem, et ponite super illa incensum corã Domino cras, et erit vir, quencunq; elegerit Dominus, hic sanctus. Sufficiant vobis filij Leui. Et dixit Moyses ad Core: Audite me filij Leui. Nunquid parum est hoc vobis, quòd segregauit Deus Israël vos ex multitudine Israël, et adduxit vos ad se, vt ministraretis ministeria tabernaculi Domini, et assisteretis coram congregatione Domini ad seruiendum eis? Et adduxit te, et omnes fratres tuos filios Leui tecum, et quæritis sacerdotio fungi?* Cũ enim Caathitarum officium esset sancta sanctorum humeris gestare, indecenter superioribus insultarunt, et sacerdotalẽ dignitatem affectabant, sibi ipsis surripientes honorem, sicut scriptum est: et diuina præcepta despicientes, sacerdotijq; leges impiè infringentes, præfectorumq; honorem nihili planè facientes. Dixerunt enim Moysi, et Aaron: Sufficiat vobis, quia omnis cõgregatio, omnes sancti, et in ipsis Dominus. Audis quo pacto mensuram ipsis præfinitam contemnunt, et communem esse volunt, non cum ijsdem populis, sed cum alijs etiã omnibus summi põtificis gloriam: nullamq; in vniuersum esse honoris, dignitatisq; præstantiã, tametsi diuina voluntate eam præeminentiã essent cõsecuti? Quod planè est Dei voluntatem incusare, atque culpare, nihiliq; facere legislatoris

Matt, 20
Nouissimi primi et primi nouissimi, spiritualiter de populo Iudaico et Gẽtibus declaratũ.

Num. 16

Caathitarum seditio affectãtium sacerdotium, ad quod a Deo vocati non erant.

ris ſententiam. Cœterũ diuinus Moyſes conſueta manſuetudine vtens, tanquam infirmos hortatur, adeoq; grauis iræ, atq; ſupplicij, quæ ipſis imminebat, nondum conſcius, increpat, dicens: Sufficiat vobis filij Leui. Neque enim parum eſt, inquit, vobis, quòd vos delegerit Deus ex omnibus ad tã venerandum, admirandũq; miniſterium. Ipſi verò ferociores, et indomiti, effrenesq; ſuperbia ſua efferebãtur, donec ipſis in tantum malum contumacia ceſsit, vt dehiſcens terra, eos cũ generatione ſua, et tentorijs abſorpſerit. Deſcenderunt enim viuetes in infernum, vt ſcriptum eſt. Capitali igitur ſupplicio punitur à Deo, capiti inſurgere, et præfectis obedire nolle, preeminentiæq; honorem à Deo cõſecutis. Summæ verò prudentiæ eſt, eos, quantum in nobis ſitum eſt, venerari, honoreq; proſequi, neq; præſcriptos nobis limites temerariè tranſilire, neque quidquam ambire, quod ipſis donatum non ſit, exiſtimantes communia, peruiaq; eſſe multis, quę ſola diuina volũtate diſpẽſantur. PAL. Rectè ais. CYR. In ordine itaq; minimè cõfuſo ſunt ſacra. Ita enim decet, neque aliter ſe habere. PAL. Bene dicis. CYRIL. Communem autem quodãmodo vtriſque ſortem deſignat, eorum, qui ſubditi ſunt, oblationes, quæq; quis offerat in donarium, et ſacrificiũ Deo, hæc oportere eſſe ait, ſacerdotũ ſimul, et Leuitarum. Ita verò ad Aaronem Deus ait: *In terra eorum nõ hæreditabis: et pars non erit tibi in eis, quia ego pars tua, et hæreditas tua in medio filiorum Iſraël, et filijs Leui ecce dedi omnem decimam in Iſraël in hæreditatem pro miniſterijs eorum, quæ ipſi miniſtrant miniſterium in tabernaculo teſtimonij: et nõ accedent amplius filij Iſraël in tabernaculum teſtimonij accipere peccatum mortiferum. Et miniſtrabit Leuita ipſe miniſterium tabernaculi teſtimonij: et ipſi accipient peccata eorum legitimum ſempiternum in generationes ſuas. Et in medio filiorum Iſraël non hæreditabunt hæreditatẽ: quia decimas filiorum Iſraël, quæcunque ſegregauerint Domino, ſegregationem dedi Leuitis in ſorte: propter hoc dixi eis, in medio filiorum Iſraël non hæreditabunt ſortem. In Deuteronomio autem eadem ferè repetens, ita ait: *Non erit ſacerdotibus Leuitis, toti tribui pars, neq; hæreditas cũ Iſraël. Oblationes Domini poſſeſsio eorum, comedent eas. Poſſeſsio autẽ nõ erit ei in fratribus eius: dominus ipſe poſſeſsio eius, ſecundum quod dixit ei. Et hoc indicium ſacerdotum, quæ à populo, à ſacrificantibus ſacrificia, ſiue vitulum, ſiue ouem, et dabit ſacerdoti armum, et maxillas, et ventriculum, et primitias frumenti tui, et vini tui, et olei tui: et primitias vellerum ouium tuarum dabis ei, quoniã eum elegit Dominus Deus tuus ex cũctis tribubus tuis: vt aſsiſtat corã Domino Deo tuo ad miniſtrãdum et benedicendum in nomine Domini, ipſe et filij ipſius omnibus diebus.* Vides, quo pacto minimè confuſum ſit cum populo genus ſacrum: ſed ab alijs ſeiunctum: neque ſolùm officijs, quę ad miniſterium pertinent, verumetiam ſpei differentia. Ijs enim, qui terrenã vitam degunt, terreſtribusq;, ac temporarijs rebus dediti ſunt, quæq; inſtar vmbrę pręttereũt, meritò dicitur: Hæc portio tua: Hæc ſors tua, portio, quòd credideritis mihi, dicit Dominus.

Oblationes ſacerdotibus ſimul et Leuitis communes ſunt. Num. 18

Deut. 10

nus. Qui verò sanctam, atq; inculpatam vitam agunt, et delecti iam per virtutem sunt, rectè dicatur: *In terra eorum non hæreditabis, et portio nō erit tibi in eis, quia ego pars, et hæreditas tua, inquit Dominus.* Atqui Saluator accedenti eum cuidam, interrogantiq; quo pacto vitam æternam cō-
Matt. 19 sequeretur. *Nosti mandata, inquit: Non occides, Non adulterabis, Non furaberis:* atq; his affinia. Quo apertè dicente, se ea accuratè obseruasse, ac quid amplius ipsi deesset percun-
Ibidem. ctante: *Si vis perfectus esse, inquit, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni sequere me.* Necesse igitur est, vt qui indiuulsè Deo seruire volunt, quiq; ipsum sequi statuunt, à terrenis rebus discedāt, ipsumq; solum sibi hæreditatem proponant, et spe in ipsum impinguentur, iuxta id, quod in Psal-
Psal. 36. mis cantatur: *Delectare in Domino, et spera in eum, et ipse faciet.* Decernit itaq; decimas Leuitis in mercedē laboris, quem in ministerio suo collocant. Neq; enim sanctorū labor mercede caret: at potius eximia sunt præmia, amplissimæq; mercedes. *Ne enim soliciti sitis, inquit Saluator, animæ vestræ, quid comedatis: et corpori vestro, quid induamini. Quærite primùm regnū Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adijcientur vobis.* Peccata autem rursus vocat, hostias pro peccatis. Typi autē sunt etiā hæc Christi, qui propter nos immolatus, mortemq; sustinuit, vt aboleret peccatum mundi. Comedūtur verò à solis sacerdotibus victimæ pro peccatis. Nequaquam enim impuris animis cōuenit, participes fieri sancti corporis Christi: sed delectis, ac puris: quibus quis in

Decimæ Leuitis tribuuntur in mercedē laboris. Matth. 6

clamet: *Nos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta: populus, qui in lucrum accessit.* Cedunt autē sacerdotibus armus, et maxillæ, ac ventriculus. Delecto enim generi vis practica, et actiua conuenit: cuius typus est brachium, quin etiā sermo, Didacticus nimirū, cuius typus sunt maxillæ. Præterea ventriculus, per quod fęcunditas optimè significatur. An non enim actiuum, et eloquentē, fœcūdissimumq; esse oportet, qui verè Deo notus sit? PAL. Omnino. CY. Sine sorte igitur Leuiticum genus statuit, eximiam ei sortem seipsum tribuens. In vniuersum autem ab alijs excludi, nihil planè accipiendo, nequaquam permittit. Temperat autē quodāmodo, exiguum quid in vsus necessarios cōcedens ipsis. Ita enim scriptū est: *Et locutus est Dominus ad Moysen in occidente Moab, iuxta Iordanē contra Hiericо, dicens: Præcipe filijs Israël, et dabūt Leuitis de sortibus possessionis suæ ciuitates ad habitandū: et suburbia ciuitatum in circuitu suo dabunt Leuitis. Et erunt ciuitates eis ad habitandum, et segregationes earum erunt iumētis eorum, et quadrupedibus eorum. Et subiecta ciuitatum dabitis Leuitis, à muro ciuitatis, et extra: mille cubiti in circuitu. Et metieris extra ciuitatē latus, quod ad Orientē, duo millia cubitorū. Et latus quod ad Meridiē, duo millia cubitorum. Et latus, quod ad Aquilonē, duo millia cubitorū. Et ciuitas in medio horum erit vobis. Et cōfinia ciuitatū, et ciuitates, quas dabitis Leuitis, sex ciuitates fugitiuorū quas dabitis ad fugiēdū illuc homicidę.* Permitti enim sanctis etiā in hoc mūdo possidere, quæ ad vitā tuendā sunt necessaria: et quæ

1. Pet. 2.

Armus, maxillæ, et ventriculus sacerdotibus data quid significet.

Num. 35.

Leuitis ciuitates dandæ.

cunq;

cunq; ipſis ad neceſſarium corporis vſum ſufficiant.

1.Tim.6

Habentes enim, inquit, victum et amictum, his cõtenti erimus. Quod verò ſuperfluum eſt, damno non caret. Ciuitatulæ itaq;, atque ædiculæ, et agri: atq; hæc quidẽ moderata ſacris miniſtris conceduntur. Ita enim præcepit Deus: neq; plura, quàm neceſſe ſit, ad vſum ipſis relinquẽs: neq; rurſus nimia inopia eos premens, arcens autem vtiliter extremam paupertatem, et angorem ab ijs repellens: Commenſurat enim neceſſitati rerum ſuppeditationem. Porrò vrbes refugij Leuitis dari præcipit, miſerum nimirũ, afflictumq; genus, quodq; maximè auxilio indigeat, ſacerdotum curæ commendans, ac tradens. Typus autem, vt arbitror, hinc

Eccleſiæ curã habere debent vinctorum.

eccleſijs, vinctorum curam gerere. *Memores enim, inquit, vinctorum, tanquam vnà cum illis vincti: eorum, qui affliguntur, veluti ipſi quoq; verſantes in corpore.*

Heb.13.

PAL. Verum eſt. CYR. Quòd verò ſanctis miniſtris firma ſpes ſit, quodq; perpetua eorum ſors ſit, rurſus figuratè declarat, huiuſmodi in modum. Scriptum eſt enim

Leuit. 25

ſub fine Leuitici: *Et locutus eſt Dominus Moyſi in monte Sinai dicens: Loquere filijs Iſraël, et dices ad eos: Quãdo intraueritis in terram, quam ego do vobis, et requieſcet terra, ſabbata Domino. Sex annis ſeminabis agrum tuum, et ſex annis putabis vineam tuam, et congregabis fructum eius. Septimo autem anno Sabbata: requies erit terrę, Sabbata Dño.*

Sabbatũ terræ anno ſeptimo.

Definiens autem ſabbatiſmum in ſeminatam, atq; in aratam terrã ſeptimo anno relinquendam iubens: adijcit rurſum: *Et numerabis tibi ipſi ſeptem requies annorũ, ſeptem annos ſepties: et erunt tibi ſeptem ebdomades annorum, nouem et quadraginta anni. Et annuntiabitis tubæ vocẽ in omni terra veſtra: et ſanctificabitis annũ quinquageſimum, et clamabitis remiſsionem in terra omnibus habitantibus eam. Annus remiſsionis ſignificatio hæc erit vobis: et redibitis vnuſquiſq; in poſſeſsionem ſuam: et quilibet in familiam ſuam redibitis. Remiſsionis ſignificatio hæc erit vobis. Annus quinquageſimus annus erit vobis.* Quænã igitur huius rei ratio ſit, quod terra ipſa ocioſa relinquatur, quidve remiſsionis tẽpus ſignificet, opportunè inueſtigemus. Quòd verò eximia Leuitarũ ſors dicta ſit, ita rurſum ſcribit:

Lex de domuũ venditione, et recuperatione explicata ſpiritualiter de Iudæis et Gẽtibus.

Si quis autẽ vendiderit domum habitabilem, et erit redemptio eius vſq; quo cõpleatur annus dierum, erit redẽptio eius. Si autem non redẽpta fuerit, donec compleatur annus totus, cõfirmabitur domus exiſtens in vrbe habente murũ firmiter ei, qui emit eam in generationes eius, et nõ egredietur in remiſsione. At domus, quę in villis quibus nõ eſt in ipſis murus in circuitu ad agrum terræ computabũtur, redimibiles ſemper iſtæ erũt, et in remiſſione egredientur. Et vrbes Leuitarũ domus vrbium poſſeſsionis eorum, redimibiles ſemper erunt Leuitis: et qui redemerit à Leuitis, et exibit vẽditio domorum vrbis poſſeſsionis eorũ in remiſsione: quoniã domus vrbium Leuitarum, hæc poſſeſsio eorum in medio filiorũ Iſraël. Et agri ſegregati in vrbibus eorum, non vendentur, quoniam poſſeſsio ſempiterna hoc eorũ eſt. PA. Quid verò Lex hęc ſibi vult? Neq; enim ſatis intelligo. CYR. Audi itaq;. Domus enim, quæ in vrbibus ſunt, quas quiſpiã emerit à ſuis domi-

 nis,

nis, sit, inquit, integrum à suis venditoribus etiã ad annũ vnum vsq;, eam recuperare. Si autem hoc non fiat, elapso anno vno, dominus sit, inquit, qui emerit. Si autem ager fuerit, aut villa, integra semper potestas sit recuperandi, persoluta emptori pecunia, quã dederat. Nõ habẽte verò quod repẽdat, aut quo recuperet, remitti iubet anno quinquagesimo, nihil planè veteri domino persoluendo. Lex enim emptores longi tẽporis vsura abundè cõpensatos censebat, etiã si venditor pretiũ, quod acceperat, nõ redderet. Sed hæc quidem de gregarijs Deus sanxit. Particulatim verò, et in proprio precio Leuitica posuit, redimi ea perpetuò posse statuẽs, atq; emi prohibẽs. Pars enim hæc, inquit, et sors ipsis. PAL. Hactenus igitur Legis intentio, ac scopus ita se habet. An non autẽ eius inuestigatio vtilitatis aliquid nobis pariat? CYR. Maximè. Spiritualis enim lex. At verò quo pacto non dignũ animaduersione sit, quid sibi sacra scriptura velit? Et qua de causa domos in vrbe sitas vno anno elapso redimi nõ sinat? Eas autẽ, quæ foris, et in agris, quouis tẽpore recuperari permittat? Cœterũ videre est, quod non magna admodũ à Deo rudis historię ratio habeatur, cũ spiritualia, manifestaq; veritatis signa appareant. PAL. Explica igitur, quidnã sit, quod Lex ait. CY. Obscura certè cõtractus, siue negotiationis ratio est, queq; subtiliter inuestigare volentibus magnã difficultatem præbeat. Dicã tamen, vt potero, quod mihi in mẽtem venerit. Atqui dic mihi, obsecro, quinã magis expositi sunt vrbiũ vastatoribus, qui intra mœnia, atq; vrbes optimè munitas se continent, aut potius, qui in agris degunt?

Domus in vrbe sitæ, vno anno elapso redimi non poterãt, extra vrbẽ vero quouis tẽpore.

PAL. Cuinam id obscurũ esse potest? Facilius enim vastabũtur, diripiẽturq; qui in agris muro carentibus agunt. CYR. Rectè ais. Quos verò rectius, honestiusq; viuere cẽses, vrbanos ne, quiq; leges norunt, an eos, qui in villis agrestius educati sunt? Infirmius itaq; salutem suam tuebuntur, qui in agris agunt. Qui verò intra vrbes turribus munitas, rectius deliberabunt, quæq; ad ipsorũ conseruationem, protectionẽq; pertinent, cogitabunt: quatenus consilij, et deliberationis tẽpus suppetat. PAL. Verũ est: tametsi contigerit vinci fortasse. CYR. Atqui ijs, qui in agris versantur, condonet quis etiam si aliquãdo ab optimo cõsilio aberrẽt. Neq; enim muris septi sunt, et ijs, qui in vrbibus degũt, imprudẽtiores sunt. Alios verò incuset quis, et quidẽ meritò, si cum muniti aduersus inimicos sint, sua tueri ab hostiũ incursibus possint, seipsos volentes tradũt, ac prę sua ignauia in aduersariorum potestatem veniũt. PAL. Rectè ais. CYR. Vide igitur Iudæos quidẽ sanctam habitantes ciuitatem (de qua Deus totius vniuersi dixit: *Et ego ero ipsi, inquit, Dñs, murus ignis in circuitu, et in gloriã ero in medio ipsius:*) ac præterea Legem edoctos: vnde etiã dixit: *Beati filij Israël, quoniam quæ placẽt Domino, nota sunt vobis.* An nõ huiusmodi fortiter aduersus dæmonũ insultus munitos esse censes, ægreq; superabiles, si vitã rectè instituere velint, ac diuinis legibus acquiescere? PAL. Omnino. CYR. Gentiũ verò turba, agrestiore ingenio prędita, facilis omnino captu sit direptori Satanę, cęlesti quidẽ auxilio nuda, neq; pędagogum Legẽ nacta. PAL. Ita videtur. CY. Iudęi igitur vrbẽ inhabitãtes muris munitam,

Iudæorũ perfidia. Zach. 2.

nitam, et cœlesti præsidio cinctam, vrbanaq; mente præditi, neq; ignari eorum, quæ Deo placent, deinde nulla recti ratione habita, sortem ipsis datã reijcientes præ vecordia, quiq; maiorum spe exciderunt, nisi ad se redeant ex ebrietate, vt scriptum est, et recuperent sua, durante redemptionis anno, hoc est, Saluatoris nostri aduentu, manebunt deinceps in perpetua emptoris, hoc est, diaboli potestate. *Ecce enim, inquit, iniquitatibus vestris venditi estis, et peccatis vestris dimisi matrem vestrã.* Gentium verò multitudo auxilio destituta, et agresti, indoctaq; mente prædita, ideoq; ad aliorum seruitutem abducta, quouis tempore redimi potest, miserante Deo. Recuperabit enim propriam sortem vocata ad libertatem in anno remissionis, quando vniuersum genus humanum à dæmonum tyrãnide Christus liberauit, et peccati laqueis exemit, ac iustificauit in fide, sanctificauitq; in Spiritu, delens propria cruce, quod contra nos erat chirographum. Leuitica autem nequaquam alienari possunt. Seruatur enim tuta sanctis sors: firmamq; spem habent. Idcirco etiam de studiosissima Maria Christus alibi inquit: *Quòd optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Cœterum parui, ac magni: sacerdotis, et populi, atq; adeò omniũ simpliciter redẽptioni Christo est, ac spei firmitudo. PAL. Vendet itaque propriam sortem Israël, redemptionis annum ignorans: fruentur autem obtentione spei gentes: et eorum, quę ad naturam pertinẽt, recuperatio per Christum erit. CYR. Ita aio. Obsignat autem, atq; confirmat rei huius veritatẽ Deus: etiam alio modo id significans

Esa. 50.

Luc. 10.

Maria optimã partẽ elegit.

per vocem Ezechielis in dimensione domus. *Hæc dicit Dominus: Si dederit princeps donum vni de filijs suis ex hæreditate sua, hoc possessio erit hæreditaria. Si autem dederit donũ vni seruorum suorum, durabit ei vsq; ad annum remissionis, tum reddetur principi. Solùm hæreditas ad ipsos filios suos pertinet, neq; accipiet princeps ex hæreditate populi, vt opprimat eos de possessione sua. Hæreditatem dabit filijs suis, vt non dispergatur populus meus à possessione sua.* Manifestum ne igitur tibi est præceptum, et subtilis historię sensus perspicuus? PAL. Nequaquam. Velim autẽ perlibenter intelligere. CYR. Principem, Palladi, summum põtificem vocat, qui populum sibi subditum moderetur. Quocirca aptè, eximieq; sanctis sacerdotibus tributæ sunt sortes, atq; has ipsis in perpetuum conseruari, et non alienari, præcepit, necessariò illud significans. Si enim contigerit, inquit, vnum principum, siue sacerdotũ ex propria sorte aliquid proprijs filijs conferre, firmum, perpetuumq; sit donum: neq; ab eo, cui collatum est alienari possit. Confertur enim, non in aliquem alienigenarum sors, sed à sacerdotibus in sacerdotes. Si verò cuipiam seruorum cõtulerit, possidebit, inquit, is, qui accipit, non firmiter: redibit autem ad principem in anno remissionis sors ipsius. Iubet autem præterea, vt sacerdos ab aliena sorte appetẽda alienus sit. Hoc enim, vt arbitror, est, Non accipiet princeps ex hæreditate populi sui. An tibi sufficere hæc videntur ad rei explicationem? PAL. Maximè. CYR. Eamus igitur ad spiritualem inuestigationẽ. Typi enim sunt, quæ in Lege: et vete-

Ezech. 46.

Donã collata à summo sacerdote filijs suis, perpetuo eis manebant. Seruis autẽ anno remissionis redibant ad datorẽ.

ris effigies in vmbris impressa est. PAL. Verè. CYR. Hæreditates itaq; firmæ, atq; permanentes sunt, patrũ in filios. Irritæ verò, et retrogradę, dominorum in seruos. Hoc enim sacra scriptura ait. PAL. Intelligo. CYR. Vnus autem nostrûm in fide iustificatorum princeps Christus, propriã hæreditatem habens Dei ac Patris. Idcirco etiam inquit, quando ad ipsum sermonem faciebat in forma orationis. *Quia omnia mea tua sunt, et glorificatus sum in illis.* Quin et diuinus Psalmista alibi ita canit: *Quia ascendens in altitudinem, captiuam duxit captiuitatem. Dedit dona in hominibus.* Quos enim posuit in ecclesia? primũ apostolos: secundo prophetas: tertio magistros: Et huic quidẽ datus est sermo sapientiæ: alteri verò, sermo cognitionis, quæq; his cognata sunt: atq; in vniuersum proprijs donis, eorum, qui diligunt ipsum, animas impinguat. Firma itaq; atq; stabilis est sacerdotibus, et liberis donorum possessio: ijs verò, qui spiritum seruitutis habent, hoc est, Israëlitis, qui veram fidẽ nõ sunt amplexi, sed adhuc sub impuro, atq; execrabili peccati iugo iacẽt, irrita, parumq; firma est etiam gratia per Moysen data, hoc est, cognitio in Lege instruens ad veritatem: et sors quidem in vniuersum cum sanctis nulla, neq; vlla cum Christo pars. *Habenti enim, inquit, dabitur, et reddetur abundantior. A non habẽte verò, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quòd verò exhæres sit Israël, eò quòd fidem non susceperit, neq; libertatis dignitate illustris, Saluator declarauit, Legis potestatem, vt ego arbitror, in medium afferẽs. Ita enim ad incredulos ait: *Amen amen dico vobis, quòd omnis, qui facit peccatũ, seruus peccati est. Seruus autem non manet in domo in æternum. Si igitur filius vos liberos fecerit, verè liberi eritis.* Vide igitur, quòd hæreditas liberos deceat: non autem eos, qui sub iugo seruitutis sunt. Filij enim, inquit, manent in domo, non autem serui. PAL. Optimè se res habet. CYR. Adijciens verò Lex illud: Non accipiet princeps ex hæreditate populi sui ad acquirẽdum filijs suis, tale quidpiam significet: quod nequaquam Christus (ipse enim noster est princeps) tribuat cuiquam sanctificatorum sortem, quę ipsi non conueniat. An non enim tanquam alia pars, diuersaq; sors est eorum, qui non integrè suam ipsorum vitam Deo consecrarunt: alia verò, atque eximia electorum, quiq; ad summum splendoris in Christo fastigium peruenerũt. PAL. Quis dubitet? CY. Dedecet itaq; sanctos, ea à Christo petere, quæ ijs, qui in mundo sunt, cõueniunt: quiq; vitam agunt, non in vniuersum sanctificatam. Quærendum autem potius nihil carnale, sed diuina, spiritualiaq; omnia. Ita etiã Saluator ipse precationes suas sanctos apostolos instituere docuit, optimè quid sanctos petere conueniat, describens: *Ita enim, inquit, orate: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cęlo, ita et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo.* Ijs igitur, qui indecenter petunt, quæ princeps non dat, dicetur: *Petitis, et non accipietis: quia malè petitis.*

Quòd

Christi hæreditas, firma.

Ioan. 17.

Psal. 67.

Matt. 13.

Israel exhæres ob nõ susceptã fidẽ.

Ioan. 8.

Seruus non manet in domo in æternum.

Sacerdotẽ ex hæreditate populi accipere nõ debere ad acquirẽdũ filijs suis quid spiritualiter significet.

Sancti à Christo petere nõ debẽt quæ mũdo cõueniunt.

Luc. 11.

Oratio Dominica.

Iacob. 4.

Quòd autem verax ſit, qui dicit ad Deum: Quia tu retribues vnicuiq; ſecundum opera ſua, Lex nobis rurſum declarat, dicens: quòd hac de cauſa non accipiet princeps ex hæreditate populi ſui, ad dandum hęreditatem filijs ſuis, ne opprimatur, inquit, populus meus vnuſquiſque in poſſeſsione ſua. Præparata enim eſt quodammodo vnicuiq; propria ſors, et correſpõdens rectè factis pars à Deo. An non itaq; abſurdum valde fuerit, ſanctificatos ea expetere, atq; deſiderare, quę poſsideant, qui mundana cogitant, tẽporaria nimirum, et carnalia, quæq; inſtar vmbræ euaneſcunt? PAL. Ita habet. CYR. Propriæ igitur ſortes, necnon vrbes ab alijs exemptæ ſacris miniſtris à Deo tribuuntur. Commu nem verò quodammodo omnibus ſtatuit vnam, ac celeberrimam Ieruſalem. Ita enim in Deuteronomio ait:

Deut. 18. *Si autem aduenerit Leuita ex vna vrbium veſtrarum ex omnibus filijs Iſraël, vbi ipſe habitat, ſecundum quod deſiderat anima eius, in locum, quem elegerit Dominus, et miniſtrabit nomini Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres eius Leuitæ, aſtantes illi coram Domino, partẽ diuiſam comedet, pręter venditionem ſuam, quæ eſt ſecundum familiam.* Vno enim Deo ſacerdotum omnino exiſtente, admittere oportet eos, qui ad hoc adducti, et diuina voluntate electi ſunt. Hoc igitur etiam nunc in eccleſijs obſeruatur, et lex à nobis honoratur. Vrbs enim vnicuiq;, et ſors propria eorum, qui ad ſacerdotium electi ſunt. Vna verò aſſumitur ad ſacrorum adminiſtrationẽ, etiam ſi ex vna in aliam fortaſſe eat, aut vrbem, aut regionem, vnaq; cum ſacerdotibus comedit, et amoris legibus eum proſequimur. Videtur autẽ rurſum Lex myſticum aliquid, vt mihi quidem videtur, ſubindicare. Cum enim innumeræ per vniuerſum orbẽ terrarum regiones, atq; vrbes ſint, in quibus ſanctè, pieq; hominum animę Deo ſeruiunt, ſanctè, euangeliceq; vitam ſuam inſtituentes, ſacrificantesq; quodammodo ipſi in odorem ſuauitatis, ſpiritualis nimirũ, Fidem, Spem, Charitatem, patientiam, manſuetudinem, pauperum amorem. (Huiuſmodi enim ſacrificijs delectatur Deus, ſicut ſcriptum eſt.) Cœterum hi quidẽ omnes veluti in vnam, et communẽ matrem concurrunt, cœleſtem Ieruſalem, primogenitorum eccleſiam, ſupernam ciuitatem, verumq; tabernaculum, quod ædificauit Deus, et non homo. Illic purius, ac ſyncerius miniſtrabimus, eradicato in vniuerſum noſtro peccato, ceſſante verò Leone, et Dracone, Baſiliſco, et Aſpide. Erit Eſai. 35. enim illic via pura, et ſemita ſancta vocabitur, neq; inuenietur illic Leo, neq; vlla noxiarum ferarum eò aſcendet. Illic partem diuiſam comedemus. Scriptum eſt enim: *Fructus la Pſal. 127. borum tuorum comedes.* An non enim æqualia, ac paria cuiuſq; laboribus bona retribuentur? Quin et maiori, abundantioreq; menſura ex Domini liberalitate. *Menſuram enim, Luc. 6. inquit, confertam, et concuſſam, atq; exundantem dabunt in ſinum veſtrum.* PAL. Rectè quidem ais. Cœterum illud mihi dicito: Non enim Extra tabernaculũ ſacrificare non licebat. licebat Leuitis in proprijs vrbibus, ac vicis exiſtentibus ſacrificare? CYRIL. Minimè. Vnum enim tabernaculum, atque vnum altare, in quo ſacra peraguntur. Vnum etiam templum Hieroſolymis, quod ædificauit

Salomō veteris illius tabernaculi spe ciem præ se ferens. Vetat autē in vniuersum Lex extra sanctum tabernaculum sacrificare: ijsq;, qui id facere auderent, capitalis pœna proposita est. Ita enim apertè inquit: Si quis autem sacrificauerit ouem, aut vitulum in castris, et ad ostium tabernaculi non attulerit, disperdatur anima illa de populo suo. Quòd verò necesse omnino fuerit eo tempore sacrificare volentes in templum: atq; in sanctam ciuitatē conuenire, et legaliter sacra peragere, offerentibus ea, qui ex sanguine Leui erant, facile tibi constare potest; Deo ipso apertè in Deuteronomio dicēte:

Deut. 12. *Nō poteris comedere in vrbibus tuis decimam frumenti tui, et vini tui, et

Decimæ vbi comedebātur.

olei tui, primogenita boum tuorum, et ouium tuarum, et omnia vota, quę cunq; voueritis, et confessiones vestras, et primitias manuum vestrarū, sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus sibi, tu, et filius tuus, et filia tua, famulus tuus, et ancilla tua, et Leuita, et aduena, qui in vrbibus tuis. Et lętaberis coram Domino Deo tuo in cunctis, vbicunq; inieceris manum tuam. Caue tibi ipsi, ne derelinquas Leuitam omni tempore, quò vixeris in terra.* Neq; enim diuina adiri, neq; acceptabilis esse hostia potest absq; Leuitis. Mediatores enim sunt Dei, et hominum, imitantes mediatorem, hoc est, Christum. Quòd verò vna sit ecclesia, atq; vnū Christi mysterium, neq; ex Legis præscripto sacrificium, at potius irritum, ingratumq; sit, quod extra ecclesiam peragitur, Lex manifestè declarauit, dicens, non debere fieri sacra extra sanctum tabernaculum. Quāta verò horum obseruatio fuerit, hinc facile intelliges. Nihil enim absurdi fuerit, imò potius verum, longis spacijs interpositis innumeras penè vrbes per vniuersam Iudæam à Hierosolymis disiunctas fuisse. Atqui graue fortasse atq; arduum quibusdam videretur, sacrificare volentibus primitias frumēti, olei, ac vini, tantum itineris conficere detrectantibus eiusmodi laborem. Cęterum turpe hoc, at potius summopere absurdum erat Israëlitis (tametsi difficilis factu res esset ijs, qui longius remoti essent,) veritatis pulchritudinem infringere, si non in sancto tabernaculo sacra offerrēt. Vt igitur omnibus planè impedimentis de medio sublatis, Lex iuxta legislatoris mentem obseruari posset, Moyses viam ostendit, et diuinam voluntatem declarauit, ita in Deuteronomio dicens: *Decimam decimabis omnis frugis seminis tui, fructum agri tui annum in anno. Et comedes illud coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi. Illuc feres decimas frumenti tui, et vini tui, et olei tui, et primogenita boum tuorum, et ouium tuarum, vt discas timere Dominū Deum tuū in omnibus diebus. Si autem lōge fuerit via à te, et non potueris referre ea, quoniam longe à te locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius illic, quoniam benedixit tibi Dominus Deus tuus: et vendes ea argento, et accipies argentum in manibus tuis, et proficisceris in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, et dabis argentum in omni, quod desiderauerit anima tua, in bobus, vel in ouibus, vel in vino, vel in sicera: vel in omni, quod desiderauerit anima tua:

Oblatio absq; Leuita Deo accepta esse non potest.

Leuitæ, mediatores Dei, et hominum.

Sacrificiū omne, quod extra ecclesiā fit Deo ingratū est

Deut. 14

Decimæ si locus vnde cōferendæ erant, lōge dissitus esset, argento appendebantur.

tua: et comedes illic coram Domino Deo tuo. Et lętaberis tu, et domus tua et Leuita, qui in vrbibus tuis: non derelinques eum: quoniam non est illi pars, neq; possessio tecũ.* Vides, quã artificiose Lex ardua emolliat, atq; ad aspera facilem viã sternat, quæq; difficilia in primis erãt, facillima efficiat? Atq; hoc, vt arbitror, est per vocem prophetæ dictum: *Semita iustorum recta facta est, et piorum semita præparata. Animaduerte autem, quòd necessariò omnino ea excipiat: manifestè nimirum nobis significante Lege, quòd non admittat sacrificium ab impura manu, ac displicente lege oblatũ. PAL. Hoc igitur honoris in vniuersum Leuitico generi defertur. CYR. Omnino, Palladi, Christi enim typus est, atq; effigies sacerdos. Vocatus est enim mediator Dei, atq; hominum Emanuel, apostolus etiã, et summus pontifex confessionis nostræ: qui non per sanguinem hircorum et vitulorũ, sed per proprium sanguinem suum ingressus est sancta sanctorũ semel, æterna redemptione inuẽta: atq; vna oblatione perfecit in æternũ sanctificatos, iuxta scripturas. Vide autẽ, si placet, alia etiã ratione, sacerdotem Christi gloria coronatũ, ipsomet nobis apertè declarante, ac dicente: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorent Filiũ, sicut honorãt Patrem.* Atqui per vocẽ sancti Iacobi, *vnus est legislator, et iudex:* Quod et diuinus Dauid testatur psallẽs, *quòd Deus iudex est.* Porrò eximiam hanc dignitatem legislator ijs, qui ex sanguine sacro sũt, tribuẽs, ita in Deuteronomio ait.* Si autem impossibile sit verbũ à te in iudicio inter sanguinem et sanguinem: et inter iudicium, et iudicium: et inter lepram, et lepram: et inter controuersiam, et controuersiam, verba iudicij in vrbibus tuis, et surgens ascendes ad locum, quem elegerit Dñs Deus tuus, vt inuocetur nomen illius illic: et venies ad sacerdotes Leuitas, et ad iudicem, qui fuerit in diebus illis: et quærentes nuntiabunt tibi iudicium, et facies secundũ verbum, quod nunciauerint tibi, ex loco quem elegerit Dñs Deus tuus, vt inuocetur nomen eius illic. Et custodies valde, vt facias secũdum omnia, quæ sancita fuerint tibi, secundum Legem, et iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo, quod nuntiauerint tibi ad dextram, neq; ad sinistram. Et homo, qui fecerit in superbia, vt non audiat sacerdotem, præsidẽtem ad ministrandũ in nomine Domini Dei tui, vel iudicis, qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Et auferes malũ ex Israël. Et cunctus populus audiens timebit, et non erit impius vltra.* Vides Legem manifestè iubentem, vt sacerdotes omniũ quauis de causa accusationum iudices, atq; arbitri constituãtur. Atqui custodies valde, inquit, vt facias iuxta omnia, quæ sancta fuerint tibi. *Labia enim sacerdotis custodiunt iudicium, et legem requirẽt ex ore ipsius,* iuxta prophetæ vocẽ. Statuit enim leges, non quidem ipse, sed potius legislatoris volũtatem exequendam curat, incorruptè docẽs, optimumq; iustitiæ dispensatorẽ agens, iudicium de quaq; re expendit. Ij verò, qui præ arrogantia, contumaciaq; morem gerere volũt, extremo supplicio, hoc est, morte afficiũtur.* Moriatur enim, inquit, qui contẽpserit sacerdotẽ pręsidentẽ ad ministrandũ in nomine

Marginalia: Esai. 26. — Sacerdos Christi typus, atque effigies. — Ioan. 5. — Iacob. 4. Legislator, et iudex vnus est Deus. — Psal. 49. — Sacerdotes legislatorũ dignitate a Deo donati sũt. — Deut. 17. — Sacerdotes, omniũ accusationũ iudices. — Malac. 2. Labia sacerdotũ custodiunt sciẽtiam. — Sacerdotẽ inhonorans morte afficitur in Lege.

mine Dei tui.* Magnum igitur, admirandumq; est, Dei ministerio præfectum esse. Qui verò Dei ministrum despexerit, supplicum incurret: quiq; diuinam dignitatem contépserit, acerbas arrogantiæ suæ pœnas luet. Quin et ipsum Dominum nostrum Iesum Christum reuerentiæ curam erga Legem habuisse reperiemus. Ita enim Iudæorum populos allocutus est: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, et Pharisæi. Omnia, quæ dixerint vobis, facite: iuxta opera vero ipsorũ ne faciatis.* Nemo itaq; iudicet sacerdotem, tametsi aliquando negligentior, ac remissior sit: neq; eam, quę necesse est, curam ad legaliter viuẽdum adhibeat. Explicãti verò Legem, obedientiam præstet. Hoc enim priuatæ ipsius voluntatis vitium est. Declarat autem, quæ Dei sunt. Non sunt igitur despicienda diuina, propter humana. PAL. Rectè. CYR. Quòd verò eximia, venerandaq; res sit sacerdotium, vel hinc intelliges. Celeberrimũ enim ingressum, et exitum habet. Nemo enim latet ad sacerdotium ductus, siue vocatus à Deo ad supernas in cęlo mansiones, et sacerdotium in alium transferens. Idcirco etiam Christus eos, qui euangelicam prædicationem Gentibus administrabant, ac prætera Israëlitis conspicuos fore ait, et veneratione ait, atq; honore prosequẽdos. *Nemo enim, inquit, lucernam

Christus etiã Legẽ reuerẽtia prosecutus est.
Matt. 23.
Sacerdotũ negligẽtia boni consulenda.
Sacerdoti Legem explicãti obediendum.
Diuina non sunt contemnẽda propter humana.
Sacerdotij dignitas.
Luc. 11.

accensam in occulto ponit, neq; subter lectum, siue modium ponit, sed super candelabrum, vt omnes accedentes lumen videant. *Quòd enim verum sit, quod dictum est in gloria, inquam, atq; admiratione diuinum ministrum, fore diuinus etiam Esaias testetur: clamans: *Super montem excelsum ascende euangelizans Sion.* PAL. Cœterum quòd hæc quidem ita se habeant, manifestum est: Dic verò, quo pacto typus huius rei per diuina etiã scripta adumbratus sit. CYR. Facillimum tibi fuerit, Palladi, hoc veluti in rudioribus typis descriptũ. Deus enim in Numeris ita ad Moysen ait. *Accipe Aaron, et Eleazar filium ipsius, et fac ascẽdere illos in Or montem: et exue Aaron stolam eius: et indue Eleazar filium eius, et Aarõ appositus, moriatur ibi. Et fecit Moyses, sicut constituit ei Dominus. Et ascendere fecit eos in Or montem corã omni congregatione. Et exuit Moyses Aaron vestimenta eius, et induit ea Eleazar filium eius. Et mortuus est Aaron in vertice montis.* Intelligis igitur, quo pacto Aaron moriturus ascendit, et sacerdotium transferatur in Eleazar filium ipsius. Significat autẽ mons celsitudinem, ac sublimitatem, gloriæq; eminentiam. Dicatur itaq; meritò cuiuis ad sacerdotium vocato: *Non potest vrbs occultari super montem sita.*

Sacerdotẽ in gloria atque admiratione futurũ prophetarũ testimonio comprobatur.
Esai. 40.
Num. 20
Aarõ moriturus ascendens in montẽ typus est dignitatis sacerdotalis.
Matth. 5

Explicit liber decimus tertius.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPIscopi Alexandrini de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber decimus quartus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

Quòd oporteat eos, qui in ecclesijs versari velint, puros et ab omni peccati labe ablutos esse, atq; ita Deo assistere.

DE tabernaculo quidem, ac de sacerdotibus, deq; Leuitico ministerio, copiosè satis, accurateq; mihi dictum videtur. Conuenit autem in primis ijs, qui rectè vitam suam instituere velint, vitæq; in Christo decorem, veluti coronā quandam suis ipsorum capitibus aptare, mutuò sese ipsi exhortentur, dicētes:

Esai. 2.

Venite ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Iacob, et annuntiabit nobis viam ipsius, et ambulabimus in ea. Vnde etiam quidam adeò celebri, vtiliq; voce percepta, tātum non exultarunt, dicentes:

Psal. 121.

Lætatus sum in ijs, quæ dicta sunt mihi, in domum Dñi ibimus. Cœterū Palladi, ijs, qui in domum Dei ire contendunt, quisnam scopus propositus est, in quem collimient, mentisq; aciem dirigant? Et quid præstare desiderantes ad sanctum diuinumq; tabernaculū se conferant? PAL. Atqui, amice, id minimè obscurū esse potest. Scriptū est enim:

Psal. 95.

Adorate Dominū in atrio sancto eius. Et: Tollite hostias, et introite in atria sancta eius. CYR. Offerentes itaq; pro nobis ipsis oblationes, spirituales nimirū, et secundū spiritualem adorationem ingredimur in domū Domini, et in atria eius.

Oblationibus spiritualibus introitur in atria Domini.

PAL. Ita aio. CY. Existimabimus itaq;, eos nequaquam ingredi, qui peccatū non abluerint, neq; immunditiē deposuerint, omniūq; carnalium desideriorū sordes nō abiecerint, sed infecta mente, et corde venenoso sunt præditi, at potius, qui splendore in Christo illustres, quiq; varia virtutis Deo amicæ pulchritudine præfulgent.

Deū accedentes omni labe carere oportet.

PAL. Omnino. Oportere enim censeo in cōspectum Dei venire omni labe, et macula è mentibus nostris abstersa. CYR. Rectè censes. Siquidem odiosum, et aspernabilem statuit infirmum, atq; à sanctorum cœtu arcet. Quod quidē probè intelligens diuinus Paulus scribit:

1. Cor. 5.

Eijcite malum è vobis. Neq; verò ego id tam morum asperitati, seueritatiq; tribuerim, quàm sapientiæ,

quæ hoc pacto se tutam conseruet. *Parum enim fermẽti totã massam fermentat.* Porrò Lex rursum nobis hoc ipsum figuratè ob oculos ponit. Scriptum est enim in Numeris: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israël, et eijciãt è castris omnem leprosum, et omnẽ seminifluum, et omnem immundum super anima, à masculo vsq; ad fœminam mittite extra castra, et non polluant castra sua, in quibus ego conuersor in ipsis. Et fecerunt sic filij Israël.* Atqui arduum profectò, atq; intolerabile reuera Legis iugũ meritò quis dicat. Vides enim quo pacto inuoluntarios etiam morbos punit: cum eorũ qui huiusmodi ærumnis premuntur, misereri satius esset. Dubitet enim quis, neq; immeritò, cur domo sua eijciat, atq; ableget leprosum, aut qui seminis profluuio laboret, et immundũ super anima. PAL. Equidem causam ignoro: Tu verò eam explica. CYR. Ego certè ita iudico, corporalibus morbis parũ offendi Deum, diuinũ, ac spiritualem cultum nobis præfigurantem. Puniuntur enim, quæ extra Legem sunt: et quęcunq; decorem excedũt, de ijs supplicium sumitur. Corporalis autem morbus nequaquã Legem offendit: ideoq; longè à reprehẽsione abest, neq; in se quidquã, quod iure culpari posit, habet. An non enim cuiuis manifestum est, neminẽ volentem ægrotare: quin potius optatissimam esse omnibus sanitatem? PAL. Rectè. CYR. Tametsi itaq; rudis historię textus absurdi aliquid prę se ferre videatur, nihil planè mali habet, si ad spiritualem sensum legislatoris voluntatem transferas. Lepra igitur est mortificatio carnis, atq; exedens maximè morbus est. Idcirco etiã diuinus Moyses, pro Maria lepra infecta supplex factus ac tristis valde: orauit dicens: *Deus, rogo te, medere illi. Dixit enim: Ne fiat tanquam abortiuum egrediens de vulua matris suę, et absumit dimidium carnium eius.* De seminis verò profluuio quid dicã, qualis morbus sit? Nemo enim ignorat. Immundos verò esse quosdam super anima, quidnam significat? Cadauer attingere, aut propius ad mortuũ corpus accedere, Lex veteribus pro inquinamento censebat: odiosam esse Deo omnia viuificare valenti, mortalitatem ostendens. Atq; aliter etiam in mentis, atq; animę mortem, veluti in rudi typo rem proponens. Mortua autem mens, atq; arida est, quæ peccatis indulget, quæq; bonorum operum planè expers est. Cœterum si quem mori cõtigerit, necesse est eos, qui sanguine, ac genere coniuncti sunt, conuenire: ac iusta exequiarum facere. Cœterum immundos etiam hos Lex declarat: non autem in vniuersum, ac semper: sed prescriptus erat ijs, certus quidam expiationis, purgationisque modus. Habes sufficientem textus explicationem. PAL. Maximè. CYR. Age igitur ad spiritualem contemplationẽ ea transferentes, dicamus: quòd leprosus quidem est, qui varijs iuuentutis vitijs est inuolutus. Hæc verò sunt opera carnis, quæ nobis ipsemet sapientissimus Paulus enumerat, dicens: *Scortatio, immunditia, idololatria, inimicitiæ, contentio, iræ, inuidiæ.* Seminifluus verò, qui semper, atq; indesinẽter in sordibus versatur: quiq; naturæ aptitudinem ad sobolis creationem præclaram, atq; admirandam in nihilum absumit. PAL. Quidnam

Nnm. 5.

Leprosus, seminifluus, et immũdus sup anima castris eiecti qd significet.

Deus corporalibus morbis nõ offenditur.

Lepra est mors carnis.

Num. 12

Immundum esse super anima, quid significet.

Not.

Leprosus quis sit spiritualiter.

Galat. 5.

Seminifluus spiritualiter quis sit.

nam ais. CYR. Longus admodum est de omnibus sermo. Vno verò claro, manifestissimoq; exemplo vtar ad eorum, quæ dixi, demōstrationem. Qui bona, puraq; mente præditi sunt, si eam ad veritatis studium conferant, nonne in restitudine, veritateq; dogmatum pulcherrimos, atq; admirandos fructus edent? PAL. Omnino. CYRIL. Qui verò ita cogitationes, actionesq; suas instituere nolunt, deflectentes autem potius à necessaria via, impijsq; dogmatibus patrocinantes, et mundanis vitijs seruientes, fraudes, atq; mendacia ex se gignunt, naturalemq; aptitudinem ad omne bonum infringunt: nonne ij nobis pulchre seminifluum describūt, animiq; vitiū corporali morbo persimile moribus suis præ se ferunt? PAL. Rectè ais. CYR. Impurus verò super anima significat omnino eum, qui alterius mortis particeps sit effectus: et peccatis alienis præ negligentia sua repletus sit. Ad quem diuinus etiam Dauid inquit: *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adultero partem tuā ponebas.* Quemadmodū enim corrumpit, atque interimit animam, ac mentem facere, quæ fas non est: ita etiam ea facientibus consentire: ijsq;, qui ipsi per se peccatum committunt socius, ac particeps fuerit, qui voluntatem consensumq; suum ad id contulerit. Nequaquam enim innoxius is fuerit. Idcirco etiam Paulus: *Te ipsum, inquit, purum serua, neq; communices peccatis alienis.* Hoc, vt arbitror, est, pollui super mortuo spiritualiter. PAL. Ita videtur. CYR. Leprosum igitur, et seminifluum, atque immundum super anima à congregatione Israëlitarum eijci præcepit: non

Immundus sup anima, spiritualiter qd significet.

Psal. 49.

Tim. 5.

permittens eos, qui ineluibili immunditia infecti essent, sanctorum cœtibus misceri. *Quæ enim societas est luci cum tenebris? Aut quæ portio fideli cum infideli?* inquit. PAL. Dānosum itaq; est, illotis quodammodo pedibus ire in domum Dei. CYRIL. Damnosissimum certè, si modò verum est, quòd offendere Deum nō indemne sit. Cœterum alios etiam à sacro atrio arcet, in Deuteronomio dicens: *Non ingredietur Eunuchus, et amputatus in ecclesiam Domini. Non ingredietur de scorto natus in ecclesiam. Non intrabit Ammonites, et Moabites in ecclesiam Domini, et vsque ad decimam generationem non intrabit in ecclesiam Domini, et vsq; in æternum, quia non occurrerunt ipsi vobis cum panibus, et aqua in via egredientibus vobis ex Aegypto: et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor ex Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi. Noluit Dominus Deus tuus exaudire Balaam: et vertit Dominus Deus tuus maledictiones in benedictiones, quoniam dilexit te Dominus Deus tuus. Non dices pacifica illis: et quæ vtilia sunt illis cunctis diebus tuis in sempiternum.* PAL. Porrò quis sit Eunuchus, et amputatus. Ammonites, et Moabites, velim equidem intelligere. CYR. Audi itaque. Eunuchorum non vnus est modus: duplex autem esse dicitur, et deprehenditur. Quidam enim virilia præcisa, aut euulsa: quidam verò contusa, inutiliaq; omnino habent. Quidam verò crudeliter, atque impiè nonnunquam partem corporis genitalem amputant, ineptiq; sunt ad viri opus exequendum, tametsi natura, ac corporis con-

2. Cor. 6

Deut. 23.

Eunuchus spiritualiter quis sit.

Eunuchorum duo genera.

Dd stitu-

ſtitutione inter viros cenſeantur. Fortitudinis autem ſymbolum ſunt virilia. Thlaſiam itaq; intelligi oportet, qui quodammodo non in vniuerſum animam, ac mentem conuulſam habeat: contuſam verò ſeruantem aliquatenus in ſeipſo fortitudinem ad bene agendum. Eunuchum autem, qui in vniuerſum ijs, quę viris cōueniunt, ſit priuatus. Atqui par ferè vitium eſt neque omnino viriliter agere velle, et non integre id facere. PAL. Quo pacto ais? CYR. Prolabuntur enim nonnulli ad carnalia deſideria, totas quodammodo habenas affectui laxantes, atque permittentes: mollēq;, atque effœminatam mentem ad intemperantes voluptates abijcientes. Alij verò continentiam admirātur, pulchroq; conatu ad eius exercitationem feruntur: contrarios verò motus reformidant: ſed voluptatis impetus non ferentes, mollitiæ ſuccumbunt. An nō igitur eum, qui in vniuerſum fortitudinis exercitationem detrectat, meritò Eunuchum vocaueris? Eum verò, qui ita animo affectus eſt, vt viriliter agere velit, ac virtuti perficiendæ impar ſit, thladiam dixeris? corporis vitia eleganter ad morum qualitatem transferens, et imaginem quandam ſpiritualium, atque obſcuriorum, ea, quæ ſub ſenſum cadunt, conſtituens? PAL. Omnino. CYR. Eijcitur verò vna cum his etiam Ammonites, et Moabites, vt impij, atque execrabiles, et leonum inſtar ſanctis imminentes: et rectè agere ſolentes inuidiæ telis petunt. Porrò Ammonites typus ſunt crudelium, immitiumq; hæreticorum. Moabitæ verò eorum, qui adhuc in errore idololatrico verſantur, et dæmonum ludibrio expoſiti ſunt. Deo enim odioſi ambo ſunt, ac cognato inter ſe ad uerſus ſanctos delicto flagrant. PALLA. Non ſatis intelligo, quod dicis. CYRIL. Intelliges ſtatim minimo negocio. Ammonitæ enim deſcendentes ex Eſau, propinqui, et conſanguinei erant filijs Iacob, Iſraëlitis inquam. Cœterum ipſam, neſcio quo pacto, naturæ legem deſpicientes, qui ex Eſau erant, conſanguinitatis iura negarunt, rigidosq; ſe, atque immites, et inexorabiles propinquis ſuis, ac conſanguineis, hoc eſt, Iſraëlitis præbuerunt. Cum enim Aegypto egreſsi, ad Ammonitarum regionem veniſſent, tanquam fratrem obſecrauit habitatorem regionis Moyſes, vt tranſeundi facultatem daret, et afflictorum miſereretur. Ipſe verò non permiſit. Ad quid hoc dico? Imò potius arma arripuit, et bellum mouit, graueq; damnum intuliſſet, niſi iuxta diuinum oraculum Iſraëlitæ declinaſſent. Ita enim ſcriptum habetur: * Et miſit Moyſes nuntios ex Cades ad regem Edom, dicens: Hæc dicit frater tuus Iſraël: Tu ſcis omnem laborem, qui inuenit nos: et deſcenderunt patres noſtri in Aegyptum, et habitauimus in Aegypto dies plures, et afflixerunt nos Aegyptij, et patres noſtros, et clamauimus ad Dominum, et exaudiuit Dominus vocem noſtram, et mittens angelum eduxit nos de Aegypto: et nunc ſumus in Cades ciuitate ex parte finium tuorum: præteribimus per terram tuam: non tranſibimus per agros, neque per vineas, neque bibemus aquam è lacu, via regia ibimus: non declinabimus ad dexteram, neque ad ſiniſtram quoad tranſierimus fines

Ammonites, et Moabites ſpiritualiter hæreticos, et idololatras ſignificāt.

Num. 20

fines tuos. Et dixit ad eum Edom: Nõ pertransibis per me, alioqui in bello exibo in occursum tibi. Et paulo post. Et exit Edom in occursum eorum in turba graui, et in manu forti. Et non voluit Edom concedere Israël, vt trãsiret per fines suos. Et declinabit Israël ab eo.* Nonne clarus hic, ac manifestus est sermo? PAL. Non admodum. CYR. An non intelligis, quòd cõsanguinitatis vinculo cum Israëlitis coniuncti, inhumani, ac crudeles, nihilq; à feris agrestibus differentes sint re ipsa deprehensi? Cum enim misereri oporteret, vt fratrum in ærumnis, ac laboribus versantium, hostiliter in eos feruntur. Idcirco ait Lex: *Non ingredientur in ecclesiam Domini, quia non occurrerunt vobis cum panibus, et aqua, egredientibus vobis ex Aegypto.* hoc est, propter eorum in gentem inhumanitatem, et immanem morum crudelitatem. Videas autem huiusmodi aduersum nos, qui rectà incedere volumus, hereticorum populos, ac præfectos. Quid enim attinet, quòd vnum, ac solum Deum Patrem agnoscant, fidemq; in Filium, et Spiritum sanctum amplectantur, si non in vniuersum integram habent erga nos fraternitatis opinionem, et spuriam quandam cognationem metiuntur, sed in persecutionibus constitutis opem non ferunt, imò potius sua ipsorum nequitia onerant? A nobis exierunt, sed non ex nobis sunt, sicut scriptum est. Si enim ex nobis essent, nobiscum vtiq; mansissent. Quibus etiam Saluator fictitiam pietatem præ se ferentibus, non autem facere solentibus, quæ ad gloriam ipsius pertinet,
Matt.12. dicet, et quidem meritò: *Qui nõ est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.* Nonne tibi Ammonitis similes videntur inuisi Deo hæretici, à misericordia pietateq; prorsus alieni? PAL. Omnino. CYR. Vide autem etiam Moabitas, si videtur, infestissimos hostes eorũ, qui vni soli naturaliter, ac verè Deo seruire cupiũt. Erant enim idolorum cultores, vaticinijsq;, et incantationibus maximè addicti, auiumq; volatus non parum expauescentes. Frendentes autem dentibus ob Israëlitarum prosperitatem, Balaam conduxerunt, vt ipsis malediceret. At verò ineffabili Dei potestate os vatis ad benedicendum ipsis etiam præter voluntatem suam conuersum est. Huiusmodi ferè est Græcanicorum aduersus nos bellum, Saluatoris nostri gloriæ inuidentium, omnemq; diaboli vim contra nos educentium: quam diuina, et cœlestis gratia profligat, dæmonumq; impotentiam eneruat, et eorum insidias, ac fraudes in nostram contumeliam commutat. PAL. Ita est. CYR. Ammonitis autem, et Moabitis sancta adiri non possunt: et quidem meritò. Quibus enim audacia, confidentiaq; affinis, ac cognata est, eos etiam par est, æqualibus pœnis inuolui. Animaduerte autem Legis perfectionem. Siquidem eos planè à sanctis seiungit, ac ne ad colloquium quidem admittendos esse prædixit, dicens: *Non dices pacifica illis: et quæ vtilia sunt illis cũctis diebus tuis in sempiternum.* Nonne verò hoc est, quod nos manifestè illud sanctorum par docuit, Paulus, inquam, et Ioannes? Hic enim inquit: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, huic ne salutem quidẽ dicite.* 2. Ioan.
Atq; hoc est illud: Non dices pacifica

Dd 2 ipsis,

ipsis, et quæ vtilia sunt illis. Alter verò discipulus: *Hominem hæreticũ, inquit, post vnam, atq; alteram reprehensionem deuita: sciens quòd euersus sit.* Hoc est illud: Non loqueris ea, quæ ipsis vtilia sint. Ait enim Lex oportere eis, qui peruersi sunt, cedere, dicentes: *Incedite luce ignis vestri: et flamma, qua exarsistis.* Cœterum Ammonites ad quartam vsq; generationem excluditur. Moabites verò etiam ad decimam vsq;, per tempus, vt ego quidem arbitror, indignationis suæ aduersus ambos magnitudinem Deo significante. Minor enim verisimiliter hereticorum pœna futura est. Dicat enim quis de ipsis, quemadmodum ferè de Iudæis. *Testificor enim ipsis, quòd zelum Dei habent, sed non cognitionem * Putãtes enim se rectos, ac sapientes esse, fefellerunt seipsos miseri, veritatis dogmatibus repugnantes, fictitioq; zelo occupati, Dei gloriæ patrocinari se arbitrãtur, cùm rectè incedentibus repugnent. Moabitæ verò, hoc est, Græcorũ cœtus nudè, ac palàm absq; vlla simulatione diuinæ gloriæ resistunt. Idcirco etiã grauiorem pœnam Lex ipsis imponit. Cœterum ambos à sacro ambitu, tanquam profanos, Deoq; odiosos arcet. PALLA. Res itaque non indemnis est, quantum attinet ad pollutionem, cum extraneis quibusdam, et diuersa sentientibus, vel sermones solùm conferre. CYRIL. Recte censes. Atqui Lex eos, qui abluti, ac puri, et familiares iam Deo sunt, idcirco ab illorum abominatione seiungit, dicens: *Et erit, cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, in quam ingredieris illuc, ad possidendum ipsam, et deleuerit gentes magnas à facie tua, Chetæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, et Chanæum, et Pherezæum, et Euæum, et Iebusæum, septem gentes magnas, et multas, et fortiores vobis, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, et percuties eos, internetione delebis eos: non inibis cum eis fœdus, neq; misereberis eorum, neq; sociabitis cõiugia ad eos. Filiam tuam non dabis filio eius: et filiam eius non accipies filio tuo. Seducet enim filium tuum à me, et seruiet Dijs alienis, et irascetur furore Dominus in vos, et delebit cito.* Firma itaq; Lex. Non enim inibis, inquit, fœdus cum eis. Nulla enim societas, coniunctiove est sanctificato cum profano: aut illuminato cum eo, qui in caligine, ac tenebris versatur: aut ei, qui admissus est, cum eo, qui reiectus: aut ei, qui sanctum, ac diuinũ tabernaculum ingressus est, cum eo, qui exclusus est. PAL. Quodnam verò est Legis consilium? Et cur, ac quidem in vniuersum ab impuro seiungit purum, etiam si pulchrè in virtute exercitatus sit? CYRIL. Magna valde huius rei necessitas fuerit: ne id, quod rectè constitutum est, ad ea, quę non conuenit, impellatur: et vi quodammodo illata, à recto dimoueatur: aut voluptate incitante, aut ob existentem in natura ad hoc inclinationem, quæ nos in vitium propellat. Inclinare enim eam semper ad malum diuinus etiam nobis sermo testatur. Assiduè enim vergit, inquit, mens humana ad malum à iuuentute. Adijciam autem tibi ad manifestam demonstrationem, quæ filiæ Iacob accidisse leguntur. PALLA. Dinam fortasse dicis, vt arbitror. CYRILLVS. Omnino, Palladi.

Ita

Tit. 3.

Hæreticos fugiẽdos.

Esai. 50.

Ammonites ad quartam vsq; generationẽ: Moabites vero ad decimã vsque a tabernaculi ingressu exclusi, quid significet.

Rom. 10

Deut. 7.

Puri ab impuris, cur necessario separandi sint.

Gen. 33. Ita enim ſcriptum eſt in libro Geneſeos: *Et venit Iacob in Salem ciuitatem Sicimorum, quæ eſt in terra Chanaam, quando venit de Meſopotamia Syriæ, et caſtrametatus eſt ſecundum faciem ciuitatis: et acquiſiuit partem agri, vbi ſtatuit tabernaculum ſuum ab Emor patre Sychem centũ agnis: et ſtatuit illi altare, et inuocauit Deũ Iſraël. Egreſſa eſt autẽ Dina filia Liæ, (quã peperit Iacobo,) vt cognoſceret filias indigenarum, et vidit eam filius Sychem filius Emor Eueus, princeps terræ: et accipiens eam, dormiuit cũ ea, et humiliauit eam. Et intendit animæ Dinæ filiæ Iacob, et dilexit virginem, et locutus eſt ſecũdum mentem virginis ei.* Vides itaq;, quòd cùm quidem adhuc in tabernaculo patris ſui verſaretur, in quo etiam inuocabat Deum Iſraël, et venerandum altare erectum erat, illibatam virginitatis gloriam tuebatur. Cum verò paterno tabernaculo egreſſa eſt, relictoq; loco ſancto, mulieribus extraneis commiſta eſt, ſtatim ad inuſitatam contaminationem cõpulſa eſt, virginitatisq; laudem amiſit, alienæ libidini, preter voluntatem quidẽ ſuam initio ſubiecta: poſtmodum verò etiam voluntariè cum oppreſſore congreſſa. Locutus eſt enim, inquit, ſecundũ mentem virginis illi. PAL. Ita eſt. CYR. Age ergo, quæ ſub ſenſus cadunt, ad ſpiritualium imaginem transferentes, dicamus: quod veluti tabernaculũ quoddam eximiam vitam inhabitans anima caſta, puraq; ſit futura, et ab omni cõtaminatione libera. Si verò egreſſa fuerit, et ad alienigenarum filias ſe cõtulerit, hoc eſt, ſi ſcrutetur, atq; conſideret eorum, qui in mundo ſunt, vitam, eximiam eius, atq; illuſtrem mẽtem labefactari neceſſe eſt. Neq; enim indemnis fuerit ijs, qui rectè viuere inſtituerunt, malorum ſocietas. Atqui diuinus Dauid, non extra ſacrum tabernaculum verſari velle deprehenſus eſt, intus verò eſſe, neq; ab eo ſeparari in precipuis votis habebat, dicẽs: *Vnum petij à Domino, hoc requirã, vt inhabitem ego in domo Domini, omnes dies vitæ meæ: vt videam ego voluptatem Domini, et inuiſam templum ſanctum eius. Quia abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorũ meorum texit me in abſcõdito tabernaculi ſui.* Sanctum, vt arbitror, diuinumq; tabernaculum dicens, ſanctæ vitæ firmitatem, atq; conſtãtiam: in quam quodammodo ingreſſus, affectibus, hoſtilem in ipſum impetum facientibus, inexpugnabilis eſt. PAL. Ita videtur. CYR. Quid verò? Nõne manifeſtius, veriusq; quis intelligat, quòd eos, qui longè omni inquinatione ſuperiores, optimeq; cõſtituti ſunt, ſubuertat nonnunquam alienigenarum conſuetudo, adferens in exemplum Solomonis vitæ exitum, quæq; illi in ipſo ſenectutis limine euenerunt? PAL. Quo pacto ais? CYRIL. Erat quidem is adeò præclarus, ac celeber, vt incõparabili gloria reliquos omnes antecelleret. Traductus verò eſt ad turpitudinem: imò potius fœdiſsimè in extremam in Deum impietatem prolapſus eſt. Scriptũ eſt enim in tertio libro Regum: *Et magnificauit Solomonem ſupra omnes reges terræ diuitijs, et prudentia: et omnes reges terræ quærebãt faciem Solomonis, vt audirent prudentiam eius, quã dederat Dominus in corde ipſius.* Porrò hunc adeò celebrem, atq; illuſtrem, in tantumq; ſapientiæ faſtigiũ eue-

Marginal notes: Dinæ hiſtoria Geneſ. 33. ſpiritualiter declarata. — Pſal. 26. — Tabernaculũ ſanctũ, Pſalmo. 26. quid ſignificet. — Solomõ ob cõſuetudinem cũ alienigenis ſubuerſus. — 3. Reg. 10

euectum, vt incredibilem admirationem, etiam remotissimis nationibus de se concitaret, malarum mulierum voluptas de statu suo dimouit, et quodammodo diuino tabernaculo expulsum, in idololatriæ foueam detrusit.
3. Reg. 11 Scriptum est enim: *Et rex Solomon erat amator mulierum, et duxit mulieres alienigenas, et filiā Pharaonis, Moabitidas, Ammonitidas, Syras, et Idumęas, Chettæas, et Amorrhęas, de gentibus, quas negauit Deus filijs Israël: *Non ingrediemini ad eos, et ipsi nō ingrediētur ad vos, ne inclinēt corda vestra post idola eorū.* ad eos copulatus est Solomon, vt amaret. Et fuerunt ei vxores imperantes septingentæ, et concubinæ trecentæ. Et factum est in tempore senectutis Solomonis, et non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui. Et abijt Solomon post Astarten abominationem Sidoniorū, et post regem eorum, simulachrum filiorum Ammon. Et fecit Solomō malum coram Domino, et nō secutus est Dominum, sicut Dauid pater ipsius.* An nō dolendum est, huiusmodi malis affectum fuisse eum, qui celeberrimum illud Ierosolymitanum templū ædificarit? qui diuinis thronis assidentem sapientiam petierat? cuius incōparabilis prudētia vniuerso terrarum orbi miraculo erat? qui tanquam lucifer vrbibus, atq; regionibus conspicuus erat, ita turpiter mulierum amore victum, fœdissimisq; voluptatibus addictum in tantam dementiam procidisse, vt ipsam etiam erga Deum pietatem in vniuersum despexerit? Damnosum itaq;, et quidem absq; vllo dubio est, cum alienigenis societatē inire: damnosum etiam in primis à carnalibus voluptatibus vinci. Quiq; ita affectus est, immundus, Deoq; odiosus est. Neq; verò absq; virtute ad sacrum, ac diuinum tabernaculum ingressus patet, neq; acceptabilis hostia offerri potest. Scriptum est enim in Deuteronomio: *Non erit meretrix Cap. 23
de filiabus Israël: et non erit scortator de filijs Israël. Nō erit colligens tributum ex filiabus Israël, neq; mercedem exigēs ex filijs Israël. Nō offeres mercedem meretricis, neq; preciū canis in donum Domini Dei tui ad omne votum, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et vtrunq;.* PAL. Quàm acuta, vtilisq; lex? CYR. Euge ô Palladi: optimè enim censes. Admiraberis enim, vt arbitror, multo etiā magis, cum intellexeris, quòd prohibens procliuitatem ad voluptates, incontinentem, ac libidinosum eijcit. Vide enim, quo pacto, etiam eos, qui voluntaria, spontaneaq; turpitudine sese contaminant, necnon eos, qui veluti ex necessitate quadam alios eò pertrahunt, insimulat: et per quos fieri vetat, certiores efficit: accusationemq; ipsis, cui ægrè sufficientem excusationem inuenire possint, intēdit. Neq; enim ignorantiæ iam amplius culpa est, sed vecordiæ deinceps, et inobediētis mētis accusatio est. PAL. Quo pacto ais? CYR. An non enim ex se quidam ad scortandum ferūtur, et mercede conductas mulieres, aut pueros aliorum libidini vendunt? PAL. Maximè. CYR. Quid verò? nōne etiam quidam turpi lucro dediti suas ipsorum ancillas alijs prostituūt? aut ex masculis etiam, quos emerint fortasse, quæstum faciunt miseri? De quibus Propheta dicit: *Et puellas Ioel. 3
vendiderunt pro vino, et biberunt.*

Verum enim eſt, quod eò prauitatis, atq; immunditiei quidam deueniant, vt impiè audeant, ex huiuſmodi turpitudine pecunias colligere. PAL. Intelligo. CYR. Scortantur itaq; voluntariè, qui quidem in tantum mali efferantur, deinde ad hoc ſua ſponte feruntur τελεσφόροι porrò fuerint, qui tributa conferunt, veluti ex neceſsitate, alijs, et libidinis mercedes ab emptoribus colligunt. PAL. Rectè ais. CYR. Vetat itaq; omnino hanc rem Lex: et impurũ, qui id fecerit, ſtatuit: atq; à ſancto tabernaculo arcet, ſacrumq; altare ab eo adiri nõ poſſe declarat: neq; ſacrificium ipſius, neq; votum ſuſcipiẽdum eſſe dicens. Verum enim eſt, quòd non ſint pura vota ex mercede meretricis. Pari autem modo odioſum eſſe, atq; execrabile precium canis. Canem autẽ, vt arbitror, vocat, qui ad immunditiem pronus ſit, quiq; acceſſorijs rebus totus incũbit. Precium autem canis id, quod ipſi fortaſſe pro ipſo offertur. Inclamat itaque Lex: Non erit meretrix ex filiabus Iſraël: et non erit, qui ſcortetur ex filijs Iſraël. Sapientiſsimus autem Paulus conſonat clamans: *Fugite ſcortationem. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt: ſed qui ſcortatur, in propriũ corpus peccat.* Vocat autem etiam ad meliora expetenda eos, qui ad continentiæ laudem aſpirant. Inquit enim rurſum: *Obſecro igitur vos fratres per miſerationes Dei, exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, beneplacentem Deo, rationalem cultum veſtrũ, neq; conformemini ſeculo huic: ſed trãſformemini per renouationem mẽtis veſtræ: vt probetis, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum eſt, acceptũq;, et perfectum.* An non enim revera ſanctam puriſsimamq; hoſtiam eſſe cenſes, turpitudinis depoſitionem? PAL. Ita dixerim. Quis enim dubitet? CYR. Ac diſcedentibus quidem nobis à carnali voluptate, lætatur Deus. Succenſet autem vehementer, ſi ad mollitiem relabamur, carniſq; deſiderijs indulgere volentes graui ſupplicio afficit. Fit enim nonnunquam, vt feruens, atque intemperans voluptas nos ad defectionem à Deo cogat. Quòd verò ita ſe res habeat, manifeſto argumento fuerit Solomonis exẽplum. Cœterum multo ante hunc tẽpore Iſraëliticus populus eodem malo affectus cernitur. Scriptũ eſt enim, *Et manſit Iſraël in Sethim, et contaminatus eſt populus, vt fornicaretur in filias Moab. Et vocauerunt ipſos ad ſacrificia idolorum ſuorum, et comedit populus de ſacrificijs ipſorum, et adorauit idola eorum, et ſacrificauit Iſraël Beelphegor. Et iratus eſt furore Dominus Iſraël, et dixit Dominus Moyſi. Accipe omnes duces populi, et traduc eos Domino contra ſolem, et auertetur ira furoris Domini ab Iſraël.* Vides, quo pacto extimulatur, ac tantum non inuitus ira ſua aduerſus nos inuehitur clementiſsimus ſua natura Deus? Brutalis enim res eſt, pulchrarum, mulierum inquam, amore furere: impiumq; in primis eſt, effrenem voluptatem cum pietate erga Deum commutare. Idcirco etiam traducuntur Domino contra ſolem, hoc eſt, à tignis erectis ſuſpenduntur ad Orientem conuerſi. Atque hoc genere ſupplicij puniebantur, typo tantum non hoc apertè proclamante, quòd is, qui huiuſmodi vitijs inuolutus fuerit,

Precium meretricis, aut canis nõ offerendum.

Canis ſpiritualiter quis dicatur.

1. Cor. 6.

Rom. 12.

Voluptas aliquãdo eſt cauſa defectionis à Deo

Num. 25

Pœna eorum, qui Num. 25 cõtra ſolẽ ad Dominũ traducũtur, qd ſignificet.

iudicis oculum omnia cernentem, et cui nulla ratione imponi potest, minimè latebit, neq; pęnam effugiet: quin potius iuxta prophetæ vocem, in spectaculum omni carni exponetur, acerbas peccati sui pœnas luens. PAL. Adduci itaq; quodammodo in conspectu Dei contra solem, publicũ supplicium de eo sumendum significat. CYR. Omnino. Neq; verò nobis sermo à scopo aberrat. Quòd verò scortátes, siue scortatione affecti adeò turpis, atq; profanæ vitæ à Deo culpandi sunt, quodq; ei, quæ occulta sunt, manifesta sint: quæq; in vnoquoq; secreta latent, explorata sint, per aliam etiam legem nobis præfigurauit. Scriptũ est enim in Numeris: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Viri, si tansgressa fuerit vxor eius, et contempserit eum cõtemnens, et dormierit quis cum ea coitu seminis, et latuerit ab oculis viri sui, et cęlauerit: ipsa autem fuerit polluta, et testis non fuerit contra eam, et ipsa non fuerit comprehensa, et superuenerit ei spiritus zelotypiæ, et zelauerit vxorem suam, ipsa autem polluta est: vel venerit super eum spiritus zelotypiæ, et zelauerit vxorem suam, ipsa verò non fuerit polluta, et ducet homo vxorem suam ad sacerdotem, et offeret donũ pro ea, decimam partem Ephi farinã ordeaceam, non effundet super eam oleum, neq; imponet super eam thus. Est enim zelotypię sacrificiũ memorationis commemorans peccatum. Et adducet eam sacerdos, et statuet eã coram Domino. Et sumet sacerdos aquam puram viuentem in vase fictili, et de terra existente super pauimento tabernaculi testimonij, et accipiens sacerdos immittet in aquam. Et statuet sacerdos mulierem coram Domino, et discooperiet caput mulieris, et dabit super manus eius sacrificium memorationis, sacrificium zelotypię. In manu autem sacerdotis erit aqua reprehensionis execrata hæc: et adiurabit eam sacerdos, et dicet ei: Si non dormiuerit aliquis tecum, si nõ transgressa es, vt pollueteris sub viro tuo, innocens esto ab aqua redargutionis execrata hac. Si verò tu transgressa es marita existens, aut polluta es, et dedit quis concubitum suum in te præter virum tuum, et adiurabit sacerdos mulierem in iuramentis execrationis huius, et dicet sacerdos mulieri: Det Dominus te in execratione, et in iuramento in medio populi tui, cum dederit Dominus femur tuum decidens, et vterum tuum diruptum, et introibit aqua execrata hæc in vterum tuũ, vt dirumpat ventrem, et decidat femur tuum. Et dicet mulier: Fiat, fiat. Et scribet sacerdos execrationes has in libro, et delebit in aqua redargutionis execrata, et potabit mulierẽ aqua redargutionis maledictæ. Et introibit in eam aqua redargutionis maledictæ. Et accipiet sacerdos de manu mulieris sacrificium zelotypiæ, et imponet sacrificium coram Domino, et offeret illud super altare. Et apprehendet sacerdos de sacrificio recordationem eius, et offeret illam super altare: et post hæc potabit mulierem aqua. Et erit, si fuerit polluta, et latuerit virum suum, et introibit in eam aqua redargutionis execrata, et rumpet vterum, et decidet femur eius, et erit mulier in execratione in populo suo. Si verò non fuerit polluta mulier, et mũda fuerit, et innocens fuerit, et seminabit semen.* Atq; ita quidem Lex se habet.

Deo occulta manifesta sunt.

Num. 5.

Zelotypiæ Lex.

habet. Dixerim verò, quòd ea, quæ dicta sunt in pauca cōtrahens, diuinus nobis Paulus scribit: *Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea, quæ fiūt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonū, siue malum.* PAL. Fac quidem hæc rectè dicta. Singula verò minutim explica. CYR. Mulierem adulterij suspectā, si indicta causa delata fuerit, ad sacerdotem adduci iubet, et quidem in oculis Dei constitui. Atq; hoc est, vt arbitror, omnes coram Christo sistendos esse. Deinde offerri pro ea iubet donum, farinæ ordeaceæ, quæ neq; thure aspersa, neq; oleo madefacta sit. Sacrificium enim zelotypiæ est, cōmemorans peccatū. Manifestum igitur est, quòd vniuscuiusq; veluti odor quidam ascendit ad Deum: ijs quidem, qui vecordiæ sese tradiderūt, turpitudinis suæ incusans: eorum verò, qui ad rectam inculpatamq; vitam cōtendunt, virtutem testificans. Idcirco dicimus, et quidem meritò, eorum, qui suspecti non sunt, dona simila triticea constare, eaq́; thure aspersa, oleoq; madefacta. Comitatur autem omnino humanam vitam, (cuius typus est simila triticea) in odoris fragrantia, atq; hilaritate, censeri apud Deum. Degeneris autem, ac brutalis vitæ manifestum signum est farina ordeacea. Brutale enim est, prorsusq; ab homine alienum, intemperātia appetituum laborare, et effreni, atque impotenti in absurdas voluptates impetu ferri. Idcirco mulier degeneris vitæ accusata, ordeaceam farinam Deo obtulit, absq; thure, et oleo: hoc fragrantia adoris, et hilaritate. Sacrificium enim commemorans peccatū. Vbi verò commemoratio est peccati, quo pacto, aut vnde hilaritas cōsistere posit? Neq; enim in spe coronę versatur, qui iudicatus est, sed in metu supplicij, atq; ignis. Præterea mulier nudo capite corā iudice sistitur, hoc est, non in consueto ipsi, ac decenti ornatu. Quænam verò huius ratio sit? Quòd nimirum perturbati ordinis, siue ornatus culpetur, et immūditiei accusetur. Memineris verò etiam Pauli, qui cum Legis peritus esset, mulierē non velatam Deum orare nō permittit, ex ipsa naturæ lege eas velari oportere demonstrans. *Coma enim, inquit, illi pro velamine data est.* Non igitur amplius ornatum obseruat mulier, quæ perditi ornatus accusata est. Nuda autem etiam aliter intelligi potest. Nuda enim omnia præ oculis iudicis exposita sunt, nemoq́; planè latere posit scrutantem corda, et renes, cum alioqui per vocem prophetæ ita dicat: *Deus propinquans ego sum, dicit Dominus, et non Deus è lōge. An à me quicquā abscondetur?* Cæterū quod Christus sit index, figuratè rursum subindicat. Aquam enim, ait, viuentem, ac puram in vas testaceū immitti debere cū puluere, qui fuerit de pauimēto tabernaculi. Pręterea aquas execrationis bibere iubet mulierem adulterij suspectam. Ac, si quidem criminis rea fuerit, disrumpetur, inquit, eius venter, et femur decidet. Si verò libera fuerit à culpa, falsaq; de ipsa suspicio concepta sit, seminabit semen. PAL. Quænam igitur horum ratio est? Aut quo pacto nobis etiā per ea, quæ modò dicta sunt, Christus significatur? CYR. Per aquam quidem viuē tem ac puram, viuicans Dei verbū intelliges: quod reuera purū, atq; omnino peccati expers est: quod in carne factum

2. Cor. 5.

Vita vniuscuiusque veluti odor quidā ascēdit ad Deum.

Farinæ ordeaceę oblatio, quid significet.

Mulier adulterij suspecta cur nudo capite ante sacerdotē cōstituatur.

1. Cor. 11.

Christus index.

Lex zelotypie spiritualiter declarata.

factum est, veluti in testaceo vase. Quòd enim caro puluis, et ex terra, quo pacto dubium esse potest? Per terram verò de pauimento tabernaculi, ad mortem propter nos demissum intelliges. Dictum est enim hominis naturæ: *Terra es, et in terram reuerteris.* At per verba maledictionis eum qui pro nobis factus est maledictio, eò quòd pependerit in ligno, optimè intelliges. Scriptum est enim, quòd *maledictus omnis, qui pepēdit è ligno.* Quando igitur in humanæ mentis altitudinem descenderit Deus secundū naturam existens Emanuel, eos quidē, qui vitijs inuoluti fuerint, arguet puniens. Qui verò non, frūctiferos declarabit. Hoc enim, vt arbitror, est: Seminabit semen: animæ fœcūditatem corporali affectione significante. PA. Optimè ais. CYR. Scortatio igitur, et carnis vitia corrūpunt hominem, atq; à familiaritate cum Deo deturbant. Qui enim carni affixi sunt, Deo placere non possunt. Carnem autem, vt ego quidem existimo, carnalem cogitationem vocat. Ita enim, quod scriptum est, rectè intelligatur. Morum verò dissonātia à rectitudine, vanusq; ad quæuis absurda impetus execrabiles nos, ac profanos statuit. Nō igitur solùm conuenit nos carnalibus affectibus fortiter obuiam ire, verumetiā morum facilitate conspicuos esse: dilectionisq; erga fratres summam curam gerere, et iustitię gloria eminere: ac præterea accurata, pulchreq; exercitata mente præditos esse: quæq; rectæ de Deo opinioni indiuulsè adhæreat, et in dogmatum inquisitione id, quod syncerum, atq; irreprehensibile sit, tueatur. Huiusmodi enim revera perfecti sunt, in quibus nihil eorum, quæ optima censentur, desiderari possit. Perfectum enim oportere esse hominem Dei, diuinus etiam Paulus testatur. Perfectum autē vocat, qui ad omne opus bonū bene instructus sit, optimeq; constitutus ad virtutis executionem. An non ita rem se habere censes? PAL. Quit neget? CYR. Vide itaq; quo pacto figuratè Lex humanos mores animalibus rationis expertibus, auibusq;, et aquatilibus assimilans, quamplurimis modis nos iuuat. Neq; verò mireris, cum et plantis ipsis nonnunquam nos comparet ex vniuscuiusque naturali qualitate, pulchrè admodum ea, quæ in nobis sunt, significans. Inquit enim alibi Deus per vocem Esaiæ, eorum, qui in Christum per fidem refloruerunt in vitam, odoris fragrantiā subindicans, (manifestum autem, quòd spiritualē, et virtutis sublimitatem:) *Et faciam in solitudine aquam viuentem, et in terra carente aqua, fluuios: et collocabo in terra arida Cedrum, et Buxum, et Myrtum, et Cypressum, et Populum.* Et rursum: *Et pro ·Stæba·, succrescet Cyparissus: et pro Conyza, ascēdet Myrtus.* Stæbam, vt arbitror, et Conyzam efferas adhuc, et incultas animas, quæq; instar agrestis spinę in conspectu Dei apparent, scitè appellans. Quin etiam lapidibus nonnūquam sanctorum cœtus comparatur. *Lapides enim sancti voluūtur super terram.* Atqui fermento etiam simile esse, et grano Synapi regnum cœlorum Saluator ipse dixit. Multis itaq; manifestissimisq; similitudinibus humanos mores significare, sacræ scripturæ familiare est. PAL. Ita aio. CYRIL. Vide itaq;, quòd innumeras animantium species, necnon volatiliū, et aquati-

Margin notes: Genes. 3. — Deut. 21. — Perfectus quis a Paulo vocetur. — Mores humani in sacris literis p omnis generis animalia describuntur. — Esai. 41. — ·Alias, vrtica·. Cap. 55. — Zacha. 9. — Luc. 13.

aquatilium vtiliter ob oculos ponens: hæc quidem tanquam impura omnino detestatur: hæc verò admittit, et à reprehensione vendicat: vt nimirum rectè intelligant Dei cultores, quidnam facientes, admittendi non sint: à quibus etiam prudenter abhorrentes ab omni culpa liberi, illustresq;, et cõspicui sint futuri, diuinamq; approbationem consecuturi. Lex autem hac de re ita se habet: *Et locutus est Dominus ad Moysen, et Aaron, dicens: Loquimini filijs Israël, dicentes: Hæc animalia, quæ comedetis de omnibus animalibus, quę super terram. Omne animal diuidens vngulam, et vngues diuidens duarum vngularum, et reducens ruminationem in animalibus, hæc comedetis. Sed ab his non comedetis, à non reducentibus ruminationem, et à non habentibus diuisas vngulas, et diuidentibus vngues. Camelum, quoniam non reducit ruminationem, et vngulam non diuidet, immundum hoc vobis: et Chærogryllum, quoniam reducit ruminationem, et vngulam non diuidit, immũdum hoc: et Leporem, quia reducit ruminationem, et vngulam non diuidit, immũdum hoc à vobis: et Suem, quoniam bifidam habet vngulam, et diuidit vngues vngulæ, et hoc non reducit ruminationem, immundũ hoc à vobis. A carnibus ipsorum non comedetis per se, et mortua ipsa nõ tangetis: immunda hæc vobis.* Manifestè igitur Christus: *Non quod ingreditur, inquit, in os, coinquinat hominem.* Dictum autem est etiam alibi ad diuum Petrum, sindone cœlitus demissa quatuor eius extremitatibus colligatis, in qua omnia descripta erant quadrupedia terræ, bestiæq;, et reptilia, et volatilia cœli. *Et facta est vox ad Petrum: Surge Petre, macta, et vescere. Reclamante autem Petro, et Legis obseruationem ad huc formidante, ac dicente: Nequaquam Domine, quia nunquã edi quidquam immundum, et commune: neque ingressa est in os meum caro impura. Dei vox rursus ad eũ edita est: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris.* Quin et D. Paulus scribit: Quòd cibus nos non statuat apud Deum. Minimè igitur obscurum est, Legem nihil omnino eorum, quæ in rerum natura sunt, impurum statuere: quin potius omnia nouit esse munda mundis: sed vniuscuiusq; animalis naturam, humanorum morum qualitatibus conferens, non mediocriter iuuat. Facilè autem id, quod dico, intellexeris ita sese habere ex his rursum. Quæ enim ab omnibus dãnata sunt, odio prosequẽda esse præcipit: Camelum, inquam, Chærogryllum, Bubonem, Cataractem, et Ascalabotem, ac •Migalem•. Nunquid igitur in his manifesta est legislatoris mẽs? PAL. Omnino. CYR. Ad morũ itaq; qualitatẽ trãsferenda sunt, quæ nõnullis animalibus ratione carẽtibus naturaliter insunt, describẽte quodãmodo in se vnoquoq; alicuius mores, et quibus rebus addicti sint, significãte. An non enim etiã apud nos moris est, eos, qui feruẽtes admodũ, robustiq; sunt, audaciaq; alios superãt, Apros, aut Leones, aut aliud quidpiã eiusmodi vocare: eos verò, qui mitiores, sedatioresq; sunt, submissiusq; se gerũt, oues, et colũbas, atque trãquillitatis nomine ornare solemus, cõuenientẽ vniuscuiusq; morib⁹ significationẽ ex rebus manifestioribus inducẽtes? PA. Ita est. CY. Eamus itaq;

Leuit. 11

Matt. 15.

Act. 10.

1. Cor. 8.

•Murem atanæũ.

Leones quinam sint spiritualiter.

itaq; ad ipsam Legis mentem, et quid nam sit, quod præcipit, diligenter inquiramus. PAL. Eamus. CYR. Iustitiæ gloria, atq; adeò omnis in vniuersum probitatis laus, ex vniuscuiusque mente proficiscitur. Perficitur autem duobus, mea quidem sententia, modis: duplicemq; in se rationem habet. PAL. Quo pacto ais? CYRIL. Aut enim de nobis ipsis benemereremur, ab surdas, damnatasq; voluptates profligantes mortificantes membra terrena, mentem mansuetudine optimè cõstitutam præ nobis ferentes, et spiritualem paupertatem exercentes, purumq;, ac syncerum intellectum conseruantes: aut alioqui erga fratres bona opera præstamus: eos, qui nos affligere, molestiaq; afficere volunt, minimè lædentes: afflictis subuenientes, mœstos consolantes: errãtes præ ignorantia in rectam viam dirigentes, ac manu quodammodo ad id, quod melius est, ducentes: egenis opitulantes: atq; ad ea, quæ Deo grata sunt, exequenda, summa animi contentione enitentes. Nonne igitur duplex est iustitiæ ratio, quæ erga nos ipsos, quæq; erga alios exercetur? PAL. Ita videtur. CYR. Vngulam itaq; bifidam, siue pedem bisulcum Lex huic rei comparat. Pes enim incessus actiui secundum operationem symbolum est, ac typus. Porrò rectè eos pedibus incedere dicimus, qui magna animi alacritate ad virtutem, atq; inculpatam vitã contendunt. Atq; ita Dauid etiã alibi cantat: *Pes meus stetit in directo:* hoc est, In iustitia incessi, et rectitudine: odi autem peruersum. De peccatoribus verò: *Veloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio autem, et miseria in semitis eorum.* Incessus itaq; symbolum est pes. Bisulcatio verò, manifestus typus est, nos in vtrumq; rectè inofenseq; ire posse: in id, quod ad nos ipsos, et quod ad alios pertinet. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Præterea quis nam sit, qui rectè, ac scienter in vtrũque se confert, seipsum pariter, atque alios iuuare valens, morum qualitate inquam, et insuper sapiens ac prudẽs, et in sermonibus de Deo domicilium quodammodo cor suum constituens: sursum, ac deorsum semper in se versans diuinorum dogmatum sensus: atque assidua meditatione, inuestigationeq; mãdens, ac veluti extenuans ea, quę per adeò subtiles cogitationes mẽte conceperit? Is certè omnino similis fuerit animali reducenti ruminationem, et cibum ventriculo conceptum eructanti semper, et dentibus subigenti, donec iam tritus satis, cõcoctioniq; aptus, in vsum corporis vertatur. PAL. Rectè ais. CYR. Mundum verò animal esse ait, cuius pes in bifidã vngulam desinat, reducatq; in ventre ruminationem. Qui enim bonus erga seipsum pariter, atq; alios esse consueuerit, studiaq; amplectatur, et in scientia exercitatus sit, (manifestum autẽ quòd in ea, quæ de Deo) optimè ad virtutem comparatus erit: atq; in ijs, quæ ad seipsum pertinent, ad omnia laude, admirationeq; digna consequẽda bene constitutus. Si verò quis huiuscemodi hominis particeps factus fuerit, iuxta disciplinam, inquam, et quodammodo sermonem ab eo exceptum, manducarit: et si imitari, sectari velit eum, qui huiusmodi laude, ac gloria præditus sit, purus, ac mundus erit. Vnà enim cũ puro viuet, illiusq; scientiæ, et bonitatis, veluti effigiem quan-

Iustitiæ opera duplicia sũt

Vngula bifida, quid significet.

Psal. 25.

Psal. 13.

Ruminans animal spiritualiter quid significet.

quãdam suis moribus referet. Hoc, vt arbitror, est, oportere nos comedere omne animal bipartitã naturaliter pedis vngulam habens, et reducens ruminationem. Mũda enim huiusmodi esse Lex statuit, iuxta rationẽ modo dictã. PAL. Intelligo quid velis. CYR. Is igitur, qui optimè, perfecteq; ad virtutẽ cõpositus sit, figuratè significatur, veluti in animali bifidam vngulam habẽte, et reducẽte ruminationem. Quòd verò bonum, vtileq; sit, eos auersari, qui ita animo affecti non sint, ac quodãmodo claudicent ad bonum, neque ad perfectitudinem virtutis pertingãt, rursum declarat: neque ea, quæ reducant ruminationem, si bipartitis vngulis careant: neq; rursus ea, quæ bifidas vngulas habent, si non ruminent, probans: quin potius ipsa immunditiei dãnans, atq; ijs, quæ coinquinare solent, annumerans. Actiuę igitur operationis, et qualitatis morum typum esse vngularũ pedis partitionẽ cõfirmauimus, rectè sentientes: et quæ figuratè dicta sunt, ad veritatẽ transformãtes. Ruminationẽ verò, sermonis de pietate, et dogmaticę doctrinę, rectè accurateq; signũ esse statuimus. Nonne ita esse cẽses? PAL. Omnino certè. CYR. Imperfecta itaq; virtute præditus esse meritò dicetur, nullãq; ferè admirationem, ac laudem mereri, qui bonis quidem operibus glorietur: dogmaticæ verò rectitudinis expers sit, neque virtutis sermones mente conceperit. Quòd autem hoc etiã vice versa ita se habeat, obscurum esse nõ potest. Dogmatica enim rectitudo, et diuinorum sermonum dulcis cura, nihil nos iuuare poterit, ad perfectã nobis virtutis opinionem conciliandam, nisi operũ splendor sit coniunctus. Qui enim in vtroq; genere dexter fuerit, is demum solidam, perfectamq; laudem meretur. Is verò, in quo alterutrũ desideratur, huic exigua gloria debetur. Huiusmodi quid etiam Saluator ostendit, dicens: Minimum quidem in regno cœlorum vocari eum, qui docet ea, quæ ipse non pręstat. Magnum verò, atq; eximium, qui opera cum doctrina coniungit. Immũdum itaq; statuit Lex eum, qui altero caret. Quòd verò ab his abscedere oporteat, nullaq; ratione horum particeps cerni, declarauit, dicens. *De carnibus non comedetis, et morticina ipsorum nõ attingetis.* Neq; enim cum viuentibus, inquit, versabimini. Et si quis fortè eiuscemodi moriatur, propriam mẽtem puram conseruabitis, ne tantillum quidẽ ea, quæ ab ipsis facta sint attingentes, scripta nimirum, et impurorũ cõmentationes. Sunt enim hæc, hominis vitæ reliquiæ. Porrò huiusmodi quid indocti hæretici facere consueuerunt. Errarunt enim proculdubio ij, qui ignorantiæ, qua laborant, authores ipsi extiterunt: ac veluti reliquias quasdam suę ipsorum impietatis, discipulorum suorũ animis impresserũt. Hi verò, ac quidem libenter admodum accedunt, menteq; excipiunt, atque ineluibilem in se inquinationem admittunt, quippequi cadauerosas quodammodo carnes contrectarint, quæ extremo fœtore, immunditiaq; sunt refertæ. PAL. Ita est. CYR. Ponit itaque in exemplum eius, qui bifidam quidem vngulam non habeat, ruminationem tamẽ reducat, camelum,

Opera bona absque recta doctrina imperfecta sunt, et econtra.

Minim' in regno cœlorũ, quis sit.

Morticina spiritualiter. quæ sint.

animal robore, et corporis magnitudine præstans. Leporem autem, et chœrogryllum, omnia, vt ita dicã, reliquorum minima, per extrema, vt ego quidem arbitror, breuiter omnia comprehendens, nullo planè medij ordinis prætermisso. Perinde enim est, ac si dicat: A summo et maximo, ad infimũ et minimũ vsq; omnis, qui eiusmodi fuerit, impurus atq; immũdus est. Neq; enim est acceptio personarum apud Deum, sicut scriptum est. At siue quis sit magnus, atque elatus, diuitijsq;, ac gloria mũdanis ad summum fastigium euectus: inglorius, premijq; expers erit, si prauitatis accusationem incurrat. Siue quis sit paruus, pauperq;, et ignobilis: damnabitur immundiciei, nisi moribus virtuti conuenientibus glorietur. Neque verò quispiã abiectam suam cõditionem id mereri existimet, vt misericordiã à iusto iudice consequatur, nisi operum ornatu præditus sit, circa pietatis nimirũ, virtutisq; exercitia. Quocirca camelus quidẽ, lepus, et chero grillus, manifestus parui, et magni sunt typus. Quin et suem adfert, vt impurũ animal, ideo, quòd bifidam quidem vngulam habeat, nõ autem remandat cibũ, hoc est, non reducat ruminationem: significãs nimirum, exilem quandam, atq; inutilem esse operum gloriã, absq; sermone de pietate. Quẽadmodũ enim fides absq; operibus mortua est, ita etiam ècontrario. Emortuus enim omnino est operum ornatus, si cum Dei cognitione coniunctus non sit, ac nisi sermo de pietate animas nostras inhabiter. Infra autem subsistẽs, humoq; affixus, et reformidare quodãmodo

Acceptio personarũ nõ est apud Deum.

Sus bifidã vngulã habẽs, non autẽ ruminãs quid significet.

Nota. Fides absque operib' mortua est, et econtrario.

videtur oculos in altum erigere. Neque verò paucos ita affectos inuenias, qui honestã quidẽ nonnunquã, ac puram vitã degunt: Deum verò natura existentem, ac verum, nõ cognoscunt: solis quodammodo terrenis rebus mentis oculo affixi. Immũdus autem etiã huiusmodi rursum. *Nemo enim coronatur, nisi qui legitimè certauerit:* sicut scriptũ est. PAL. Coinquinatos itaque nos statuit, veluti in specie suis, et aliorum, si Legis reprehensionẽ incurramus. CYR. Rectè omnino dicis. Neq; verò id Legi sufficit, ex solis huiusmodi animalibus immundorũ similitudines trahere: per omnem verò quodammodo creaturam nos iuuare cupiens, omniũq; quę nobis vtilia sunt atq; cõueniunt, cognitionem abũdè nobis suppeditãs, etiam aquatilium genera persequitur, et volatilium: vt quod cuiq; innatum est, accuratè inuestigãtes, quidnã præterea Deo gratum, quid ingratũ, atq; odiosum sit, intelligere possumus: atq; ita legalẽ vitã instituẽtes, omnia, quæ inquinare solent, summa animi cõtentione detestemur, ac fugiamus. Lex itaq; rursum ita inquit: *Et hæc comedetis ab omnibus, quę in aquis: omnia, quæ sunt in eis alæ, et squamę in aquis, et in maribus, et in torrẽtibus, hæc comedetis. Et omnia, quæ non sũt illis alæ, neq; squamę in aquis, et in maribus, et in torrentibus, ab omnibus, quæ eructãt aquę, et ab omni anima viuẽte quæ in aqua, abominatio est, et abominatio erũt vobis. De carnibus eorũ nõ comedetis, et morticina eorũ abominabimini: et omnia, quęcunq; nõ sunt in eis pennulę, neq; squamę ex his, quę in aquis, abomi-

2. Thim. 2.

Leuit. 11. Aquatilia, quæ immunda.

abominatio hoc eſt.* PAL. Quænã verò in his ſit differentia, iuxta ſpiritualem contẽplationem, inquam, dicito. Neq; enim ſatis intelligo. CY. Faciam. Dicam enim quoad potero ea, quæ veluti per ſimilitudines in Lege adferuntur, ad manifeſtã lucẽ traducens. Quotquot enim in aquis ab omnium creatore piſces formati ſunt, alarum remigio quodãmodo vtentes, facilè quocũq; verſus forti, celeriq; motu ferũtur: et quidẽ cum ſol radiorũ ſuorum feruorẽ ſummo æquori immittit, in ſummo natant, ac vixdum ſumma aqua exilire audent: at potius infra ſemper delitecunt: quin etiã piſcatorum retia facilè elabũtur. Qui verò neq; ſquamis, neq; pinnulis præditi, ſed duris quibuſdã receptaculis, et teſtis ſibi annatis muniti ſunt, nequaquã in altum emergũt, ſed in imo ſolo ſe cõtinẽt, atq; in limoſis locis verſantur: imbecilles autẽ, facileſq; captu ſunt, et ab ijs, qui ſemel eos cõſpicati ſint, abſq; vllo ſudore capiuntur. Ac ſermo quidem de illis hic, manifeſtus, ac verus eſt. Eamus autem rurſus, veluti ex imaginibus, ac typis, ad manifeſtiora. PAL. Rectè ais, qui id tua ſponte aggrediaris. CY. Occupationes huius vitæ, et negotiorũ, quæ ipſa ſecũ trahit, ingẽtem colluuiem, atq; cõfuſionem nobis pulchrè ſignificás Pſal
Pſal. 103. miſta, ita canit: * Hoc eſt mare magnũ, et ſpacioſum. Illic reptilia quorũ non eſt numerus: animalia parua cũ magnis.* Piſcibus itaq; cõparandi ſunt, qui neceſſariorum, vtiliũq; curam prætermittentes, huc illuc feruntur, eaq; ſola captãt, per quæ carnales arguuntur, et varijs laboribus occupantur. PAL. Optimè ais. CY.

Piſcibus qui nam cõparandi ſunt.

Increpat verò huiuſmodi quoſdam etiam Chriſti diſcipulus, ita dicens: * Age nũc, qui dicitis: Hodie, et cras eamus in hác ciuitatem, et faciamus ibi annum vnũ, et mercemur, et lucrũ faciamus. Et paulò poſt: Pro eo, quod dicere debueritis: Si Dñs voluerit, et ſi vixerimus, faciamus hoc, aut illud. Nunc autẽ exultatis in ſuperbijs veſtris.* Inſtar piſciũ igitur pernatamus amplũ hoc, et vaſtũ mare, hoc eſt, mũdum. Diuerſa enim ferè eſt vniuſcuiuſq; vita. Nõnulli enim nõ in vniuerſum deflexerũt ad vitia, ſed intelligũt quidẽ, præ imbecillitate nõnunquam lapſi, carniſq; deſiderijs innatãtes, neq; ab alijs etiã vitijs ſeſe volũt ſeiũgere. (Multa enĩ delinquimus omnes, vt ſcriptũ eſt.) Deteſtantur autẽ vt abſurdũ ac deforme, apertè ac nudè turpitudini vacare: nemoq; ijs perſuadeat, vt in propatulo, publiceq; peccẽt: quin potius magnã curam adhibẽt, vt eorũ vitia ſecreta ſint.* Sapiẽtes enim occultant ſuã ipſorum turpitudinẽ.* ſicut ſcriptũ eſt. Hoc, vt arbitror, eſt inſtar tegminis ſquamas habere. Emergunt verò ſæpenumero etiã in altũ, (neq; enĩ ſemper humo affixi ſunt, verùm ſuperna etiã cogitãt,) velociterq; eſfugiũt, ſi quis eos in perniciẽ irretire velit. Hoc autẽ quis vocare poſsit, veluti pinnulis ſpiritualiter vti, et feruido admodũ mẽtis impetu ferri. PAL. Veriſimilia dicis. Figura enim eo nos deducit, vt ita ſe rem habere exiſtimemus. CYR. Quidã verò delinquunt, non clãm, ſed nudè: minimeq; occultè vitia ſua exercẽtes, de quibus meritò dicatur: * Quorũ gloria in infamia eorũ.* Indeſinẽter enĩ ad immũditiem vergũt, atq; in infimo

Iacob. 4.

Squamoſi piſces, quid ſignificẽt.

mo cœno volutãtes, bruta reuera; siue aliquid peius sunt. Huiusmodi verò omnino imbecilles, facilesq; captu futuri sunt, in absurdissimas voluptates abrepti. An non enim eiusmodi est eorũ, qui ita affecti sunt, vita? Mulieres enim meretricię et scortationi indulgẽtes, omneq; turpissimũ, corruptissimũq; effœminatorũ hominũ genus, quiq; in scenas prodeũt, et qui insabtiali libidine exagitãtur, ac quibus amicũ est errare in profanã idololatriã, detestabilem reuera vitã degũt, et extremæ inquinationis plenam. Distinguit itaq; Lex eos, qui quidem humanis vitijs laborãt, nõ autem in vniuersum subuersos: emergentes autẽ quodámodo in altũ, neq; terrenis solùm rebus adhęrescentes, sed cogitãtes etiã superna, et diuisos quodámodo Deo, ac mundo. Execrabiles autẽ statuit eos, qui tota mẽte ad indesinẽter ea, quę carnis ac mũdi sũt faciẽda cogitãdaq;, ferũtur: atq; in his omni pudore exuto, palàm, minimeq; occultè turpitudinem suam exercẽt. Prohibet verò non ab re horũ societatẽ: illorũ verò nõ item. Neq; enim cum malis, sed cũ bonis cõgredi tutum est. Scriptũ

Prou. 10 est enim. *Qui cõgreditur cũ sapientibus, sapiens erit: qui verò cõgreditur cũ stultis, cognoscetur.* Scribit

1. Cor. 5. autem etiã Paulus: *Si quis cum frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorũ cultor, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidẽ capiatis.* PAL. Rectè ais. Neq; enim res hæc dãno vacat. CY. De natatilibus itaq;, ac ijs, quæ in aquis versantur, Lex nobis hęc figuratè ob oculos ponit. Amplificãs autẽ quodammodo similitudinum aceruum, auium greges in mediũ affert, dicens: *Et hæc abominabimini ab auibus, et nõ comedentur: abominatio est: aquilam, et gryphum, et aquilam marinam, et vulturem, et miluum, et similia illis: et omnia corui genera, et similia illi: et struthionem, et noctuam, et larum, et similia illis: et accipitrem, et similia illi: et nycticoracẽ, et mergum, et ibin, et porphyrionem, et pelecanum, et cygnum, et herodionem, et charadrion, et similia illis: et vpupã, et vespertilionem: et omnia reptilia auium, quæ ambulant super quatuor, quæ habẽt crura superius pedibus ipsorũ ad saltandũ in ipsis super terram. Et hæc comedetis ab ipsis, bruchum, et similia: et attacũ, et similia illi: et ophiomacum, et similia illi: et locustam, et similia illi: et omne reptile ab auibus, quibus sunt quatuor pedes: abominatio est vobis, et in his polluemini. Omnis tangens morticina eorum, immundus erit vsq; ad vesperam.* Manifestus ne tibi est eorũ, quæ dicta sunt, sensus? PA. Nequaquã. CY. An nõ intelligis, quòd, sicut in alijs, ea, quæ vnicuiq; eorũ, quę iã nominauimus naturaliter propria, morũ nostrorũ varietates, atq; imagines præ se ferãt? PAL. Quo pacto ais? CY. Visne particulatim de singulis accuratè distinguẽtes, dicamus? PA. Omnino. CY. Interdicit itaq; Lex aquilã, accipitrem, aquilam marinam, necnon vulturem. Hæc enim aues sublimes admodum volant, et excelsis admodum locis gaudent: et ab humilioribus locis abhorrent. *Pulli enim, inquit, vulturis, altè volãt.* Huiusmodi autem ferè est superbus, atque arro-

Leuit. 11.

Aues immundæ quę sint, et quid spiritualiter significent.

Cyr. φυ γιογα.

arrogans, et elatæ mentis: quiq; modestas, intraq; mediocritatem poſitas cogitationes deſpicere cōſueuit: nequaquā ad humilia ſe demittens. Deteſtatur verò vnà cum his etiam miluum, et ſimilia illi: et coruum, et ſimilia illi: per quæ optimè ſignificatur rapax, promptumq; ad maleficia hominum genus: ac prioris quidem typus eſt miluus: alterius autem nigerrimus coruus. Obſcuri verò ſunt neq; omnibus cōſpicui, qui acres ad malum inferendum ſunt, et inexploratam multis in ſeipſis morum nequitiam occultantes. Innatum autē ferè ſemper eſt ijs, qui execrabili ſuperbia laborant, ſtudium nocendi, quibus poſsint: ac diuerſis verſutiarum modis eos aggredi, atq; ita diripere, et quidem inſatiabiliter. Idcircò ſubdit ſtatim, dicens: Et ſtruthionem, ac larū. Inſatiabiles enim eſſe hos arbitror, et quidquid eis occurrerit, corradere. Præterea, inquit, quòd et accipitrem, et ſimilia ei: et nycticoracem, et mergulū, et ibin, et porphyrionem, et pelicanum, et cygnum. Hæ verò aues eos præ ſe ferunt, qui crudeliter alijs inſidiātur: et quos poſſunt, vi adoriuntur: adeò vt quibuſdā vitæ periculum, ac metum inferre non vereantur. Accipiter enim omnibus debilioribus auibus grauiter inſultat, et paſſeres inſectatur, arreptosq; interficit. Catarractes autem, et ibis, et porphyrion, (addiderim verò etiam pelicanum) piſcibus infeſti ſunt, et eorum interitu ſibi victum parāt. Huiuſmodi verò ſunt omnes, quātum ad morum feritatem attinet, qui nihili faciunt aliorum interitum ob priuatā ſuam libidinem, quiq; mutui amoris legē deſpicientes, et charitatis iura infringentes, etiam hoc in vniuerſum à nobis meritò audiant: * Ne quæratis quæ veſtra ipſorum ſunt, ſed etiam quæ aliorum. *Charitas enim proximo malum non operatur. * Reijciēdam autem rurſum eſſe, ait, vlulam, et herodionem, et charadrion, et ſimilia illis: vpupam etiam, ac veſpertilionē. Has autem aues noctis amicas eſſe cenſeo, et tenebris gaudere, ac in ijs libentiſsimè volare, ſolis autem lucem odiſſe, neque in ea quidquam agere poſſe. Sunt verò huiuſmodi manifeſtè malorum operatores. Verum enim eſt, quod Chriſtus inquit, * Quòd omnis, qui mala facit, odit lucem: neque accedit ad lucem, ne arguantur opera eius. Qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, vt cōſpicua fiant facta ipſius, quòd per Deum ſint facta. * Immūdæ autē ſunt volucres reptiles, quæ incedunt, inquit, ſuper quatuor, quēadmodum ferè ſunt muſcæ, atq, his affinia. Innumera autē hæc puſilla, ac deſpecta, quæq; altum volare nō valent. Quænam itaq, huius rei ratio ſit, quòd etiam de his Lex agat, conſiderare neceſſarium eſt. Quemadmodum enim, cum animantium mentionem faciebat, nominato camelo, adiecit ſtatim leporem, æqualiter omnino impuros ſtatuens, qui prauitatis accuſati ſint, ſiue magnus quis ſit, ſiue paruus (nulla enim eſt apud Deum acceptio perſonarum, ſicut ſcriptum eſt,) ita etiā hîc, meminit quidem aquilę, nominatoq; auiū rege, deſcēdit rurſum ad minimum eorum, quæ alis præditæ ſunt: æquali gradu cōſtituēs paruū, ac magnū: ſi abſurdi alicuius opifex eſſet, repre-

1. Cor. 10

1. Cor. 13

Ioan. 3.

Locusta, et bruchus qd significent.

hensione vtiq; non vacaret. Eximit autem ex hoc genere locustam, et bruchũ, atq; his similia, ob robur nimirum, quo ad superiora tẽdere possunt, neq; semper infimis adhærescunt, sed subinde in altum se tollũt, facileq; prosiliunt. Huiusmodi verò censendus est, qui vitam quidẽ degit mũdanam, cœterũ pietatis, dilectionisq; erga Deum planè expers non est. Hic enim non in vniuersum terrenis astrictus est, neque totus infernis rebus acquiescit, sed superna etiã cogitare subinde illi curæ est, ac interdum ad cœlestia enitendo gloriã sibi parat, terrenis infra se relictis. Porrò qui immunda attigerit, et cõtaminatus fuerit, vestem abluere debere, et ad vesperum mundum futurum, ait: Christi mysteriũ pulcherrimè significans, per quẽ mundati sumus, remissionẽ per sanctum baptismum consecuti, in tẽpore nimirum aduentus ipsius, sub vesperum quodammodo facti, hoc est, ad finem labente presenti seculo. Nũquid enim vltimis temporibus Dei verbum incarnatũ esse dicimus? PAL. Omnino. CYR. Cœterũ aliter etiam Lex immundum futurum esse ait, qui attigerit, aut feram bestiam, aut aliud quodpiam immũdorum animaliũ.

Immũdi veste abluta ad vesperũ mũdi efficiũtur.

Ablutio vestium quid significet.

Leuit. 11.

Reptilia immunda.

Ita verò ait.* Et omne, quod ambulat super manus suas in omnibus animalibus, quę ambulant super quatuor, immunda erunt vobis. Omnis tangens morticinia illorum, immũdus erit vsq; ad vesperam. Immũda hæc erunt vobis. Et huc vobis immunda ex reptilibus, quæ reptant super terram, mustela, et mus, et crocodilus terrestris, mygdale, et chameleon, et stellio, et lacerta, et talpa: hæc immunda erunt vobis ab omnibus reptilibus, quæ repunt super terram. Omnis tangens morticia illorum immundus erit vsque ad vesperam: et omne in quod inciderit super illud de mortuis ipsorumim, mũdum erit ab omni vase ligneo, vel veste, vel pelle, vel sacco. Omne vas, in quo factum fuerit opus in ipso, in aquam tingetur, et immundum erit vsque ad vesperam, et purum erit. Adiecit autem his, quòd erit immũdum omne vas, in quod inciderit morticinium, et vas fictile, et pelliceum, et vestis, cibusq;, ac potus, prę ter fontes aquarum, et lacum, et cõgregationem aquæ.* Videtur autẽ Lex per feras quidem bestias, latronum crudelissimos significare, qui extremum omnium malorum, homicidium nimirum, nihili faciunt, sed tantum non, qui in eos inciderint, dilaniant, atrocissimè interficiẽtes, omni misericordia abiecta.

Feræ bestiæ typus latronum.

Mus, et mustela, typus furum.

Per murem verò, et mustelam, et his similia, crocodilum, inquam, terrestrem, lacertam, et stellionem, meticulosos, atque imbelles, et pauidos nocte oberrãtes fures, qui clam dormientibus damnum inferre solent, vehementerq; timent, ne apprehendantur: et eorum, quos iniuria affecerũt expergefactionem summopere formidant. Nunquid enim furacissima sunt animalia, mustela, et mus, atq; ad metum prona, statimq; se terrenis antris occulunt, si quis strepitum excitet? Crocodilus autẽ terrestris, atque huic similia, libentissimè noctu, non autem interdiu pastũ quærunt. PAL. Ita est. CYR. Immundum itaque est omne genus hominum latrocinijs addictũ, siue imina-

immanium ferarum instar, manus sanguinem sitientes habeat: siue etiam exilia furta committat, sicut mus, et mustela, aut stelionis, ac talpæ instar tecta, ac muros subeuntis. Et si quis attigerit eos, qui contaminati sunt, culpæ particeps futurus est: societas enim cum huiusmodi, immundos omnino statuit. Vasa autem cōtaminata, siue inquinata, hominum typus sunt. Homo enim instar vasis est. Exemit autē ab inquinatione, fontem aquæ, lacum, et cōgregationem aquæ, etiam si quid in ea inciderit, quod secundum Legem inquinandi vim habeat: non permittens, vt arbitror, eos, qui sub Lege sunt, intolerabilem eam, atq; humeris suis imparem existimare, eiusq; obseruationem negligere, quippe qui extremum hac ex re damnum percepturi essent, vt nimirū vrbes nonnunquam, ac domos suas desererent, infectis atq; inquinatis aquis, necessario planè, et quæ nulla ratione carere possint, aquarū vsu sublato. Indulsit itaque hac in parte Lex, et de sua seueritate aliquid detraxit, ob eorum, qui sub Lege erant necessitatem, atque vtilitatem. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Porrò ex æquo cum alijs immūdum esse ait, etiam inundorum animalium morticinum. Adiecit autem, quòd hæc etiam tangētes contaminatura sint. Ita verò scribit: * Si autē mortuum fuerit aliquod ex animalibus, quæ licet vobis comedere, tangens morticina illorum, immundus erit vsque ad vesperam: et comedens a morticinijs illorū, lauabit vestes suas, et immūdus erit vsq; ad vesperā. * Quod quidem manifestè, vt ego arbitror,

Immundorū societas, immundos efficit.

Fons aquæ cura morticinorū contactu nō cōtaminetur. Leuit. 11.

Leuit. 11.

illud significat: * Si quis cum vocetur frater, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut ebriosus, aut cōuitiator, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. * Si quis enim in vniuersum eorū, qui probitatis opinionem sibi conciliarunt, ac iam mūdati sunt, atq; in societatē spiritualem per fidem suscepti, mortem ex peccato sustineat, is execrabilis, ac detestandus habeatur. Qui enim mortuis operibus cōtaminatus est, eum, qui ipsi cōiungitur, coinquinat. Cœterum etiā si quispiam cōtaminatus fuerit, purgabitur per aquā ad vesperum. Quidnam verò hoc sit, iam declaratū est. Animaduerte autē quòd eum, qui morticina edentē attigerit tantùm, immundū fore dicat: neq; eum: qui illorū mortis particeps factus fuerit, reprehensione, ac culpa liberans, neq; rursus innoxium esse dicens eum, qui prope eum accesserit, aut attigerit. Ego enim ita sentio, prudenter cauēdum esse, non solùm ne eadē, quæ mali, præstemus, verumetiam ne cōsuetudinem quidem cum ipsis ineamus. * Qui enim attigerit picem, inquinabitur: * inquit: et verus est sermo. Quòd verò ad morum qualitatem, ea, quæ in similitudinibus sunt vtilia, à Lege transferantur, facilè quis ex ijs, quæ adijciuntur intelligat. Inquit enim rursum. * Et non polluctis animas vestras in omnibus reptilibus, quæ mouentur super terram: quoniam ego sum Dominus Deus vester. * Quam enim labem hominis animæ induxerit mortuum animal, aut mortui tactus? Quid enim illi nocuerit cibus in ventrem receptus, atque in secessum missus,

1. Cor. 5.

Malorū cōsuetudo dānosissima. Eccles. 13

iuxta Saluatoris vocē? PAL. Nihil, vt ego quidem censeo. Rectè enim sentis. CYR. Oportere itaque arbitror nos instar eorum, qui nauigãdi peritissimi sunt, omnem mouentes rudentem, extra omnem inquinationem ferri, ac veluti tranquillum, minimeq; fluctuosum littus vitã Deo gratissimam carpere. Neque enim alia quàm hac, et quidē sola via, adiri potest. Quòd autem res ita se habeat, facilè fuerit videre. Scriptũ est enim rursum in Exodo: *Et Moyses erat pascens oues Iethro soceris sui sacerdotis Madian: et duxit oues in desertum, et venit ad montem Dei Choreb. Apparuit autem ei angelus Domini in flamma ignis ex rubo: et vidit, quòd rubus ardebat igne, at rubus non comburebatur. Dixit autē Moyses: Accedens videbo visionem magnam hanc, quare non comburitur rubus. Postquam autē vidit Dominus quòd pergebat ad vidēdum, vocauit eum Dominus ex rubo, et dixit: Moyses, Moyses. Ille autē dixit: Quid est? At ille dixit: Nō appropinques huc. Solue calceamētũ de pedibus tuis. Etenim locus, in quo tu stas terra sancta est.* Intelligis, quo pacto nemo iuxta purissimum Deum sisti potest, nisi omnes animæ suæ sordes prius abstergat, mortēq; omnem, in rebus nimirũ, abijciat à pedibus, hoc est, à spirituali ad res agēdas incessu? Nunquid enim calceamēta mortui animalis reliquię sunt? PAL. Quis neget. CYR. Typus itaque mortis res hæc est: qua si quis se exoneret, abruptis vinculis per quæ à nobis auferatur, propè sistetur, et familiaris fiet Deo, aptusq; ad alios deinceps saluandos. Electus itaq; est

Exod. 3. Moyses ascēsurus montem Choreb calceamēta deponere iussus, quid significet.

Deus absque vllis sordium et mortis reliquijs adeũdus.

Calceamēta typus mortis. Mortui enim animalis reliquiæ sunt.

Moyses in legationem, et ad redemptionem filiorũ Israël. Porrò sacer etiam sermo nobis inclamat: *Fili, si sapiens fueris tibi ipsi, sapiens eris etiam proximo.* PAL. Rectè ais. CYR. Quid verò? An non hoc etiã his adijciemus? PAL. Quidnam? CYR. Cum Deus in specie ignis in montē Sina descensurus esset, iussus est Moyses populum Israëliticũ ad videndum Deum præparare. Modũ verò præparationis, ipse omniũ Dominus præscripsit. Inquit enim Dominus ad Moysen. *Descendens, testificare populo, et sanctifica eos hodie, et cras, et lauent vestimēta sua, et sint parati in diem tertium. Nam die tertio descēdet Dominus in mōtem Sina coram omni populo.* Sanctificari igitur prius, necesse est, eos, qui familiaritatis ad Deum amatores sunt: et quibus curæ est, ipsi quodammodo astare, atq; seruire, omne suum robur, promptitudinemq; ad omne opus bonum conferentes. Is verò, qui ita affectus fuerit, aptus deinceps erit ad ipsum Deum intuendum, iuxta ipsius Saluatoris vocem. *Beati enim mundi corde, quoniã ipsi Deum videbunt.* Atqui, si videtur, diuinũ etiam Abraham eò splēdoris, dignitatisq; euectum aspice: et particulatim, quæ de eo scripta sunt, dicamus. Scriptum est enim: *Et dixit Dominus ad Abrahã: Tu autem pactum meum custodies, et semen tuum post te in generationes suas. Et hoc pactũ quod obseruabis inter me, et vos, et inter semen tuũ post te. Circuncidetur vobis omne masculinum, et circuncidetis carnē pręputij vestri, et erit in signum fœderis inter me, et vos. Et infans octo

Prou. 9.

Exod. 19

Moyses, populũ montem Sina conscensurũ sanctificare iussus, quid significet.

Matth. 5. Beatimũdo corde.

Gen. 17. Abrahami laus.

die-

dierum circuncidetur vobis, omne maſculinū in generationes veſtras. Vernaculus domus tuæ, et emptitius ex omni filio alieno, qui non eſt de ſemine tuo, circūciſione circuncidetur: et erit pactū meum in carne veſtra in fœdus æternū. Et incircunciſus maſculus, qui nō circūcidetur carnē præputij ſui in die octaua, exterminabitur, et delebitur anima illa de genere ſuo, quia pactū meum diſsipauit. Deinde inquit. Et accepit Abraham Iſmael filiū ſuum, et omnes vernaculos ſuos: et omnes qui empti ſunt, et omne maſculinū virorum, qui in domo Abrahā: et circuncidit præputia eorum in tēpore diei illius, ſicut locutus eſt ei Deus.* Qualisnam igitur fuerit obedictiæ merces, aut quanā ratione circūciſio vtilis fuerit, ex ijs, quæ deinceps dicūtur, intelligemus. Apparuit enim illi, inquit, Deus ad quercum Mambre, ſedente ipſo in oſtio tabernaculi ſui in meridie. Suſpiciēs autem oculis ſuis, vidit. Et ecce tres viri ſteterunt ſuper eum. Et vidēs occurrit in occurſum eis de oſtio tabernaculi ſui, et adorauit ſuper terrā, et dixit: Domine, ſi vtique inueni gratiā coram te, ne tranſeas ſeruum tuū: accipiatur aqua, et lauētur pedes veſtri: et refrigeramini ſub arbore. Et accipiam panem, et comedetis, et poſtea tranſibitis in viam veſtrā, cuius cauſa declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Et dixerūt: Sic faciemus, vt dixiſti.* Circunciſio enim in carne, typus erat, et quidem manifeſtus admodū circunciſionis intellectualis, et in ſpiritu, ſecundum quam omnem mentium noſtrarum labem Chriſtus eximit. Circunciſi enim ſumus, iuxta beati Pauli vocem, circunciſione nō manu facta in exutione carnis. Exuti enim quodāmodo veterem hominem corrumpētem iuxta cōcupiſcētias mendacij, et carnis voluptates ſpiritus vi, atq; efficacia tantumnō præciſi, digni diuina viſione efficimur, vtq; ſacrum hoſpicium fiamus ſanctæ, et cōſubſtantialis Trinitatis. *Qui enim diligit me, et ſermones meos in generatione hac, veniemus ego et Pater: et māſionem apud eum faciemus, et in ipſo diuerſabimur,* inquit Saluator. Neque verò his ſolùm finibus pietatis merces circunſcribitur: ſed veluti iam ſuſcepti ad familiaritatē quodāmodo ad Deū, quæ in ipſo ſunt, recognoſcemus, per ipſius nimirū reuelationē: quemadmodū ferè etiā diuinus Abrahā, de Sodomorū euerſione doctus fuit. Deus enim tanquā amico eam communicauit. Vide igitur, quàm innumeris bonis diſceſſum ab immunditia Deus cōpenſet. Idcirco etiā Paulus: *Obſecro vos fratres, inquit, per miſerationes Dei, exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctā, beneplacentem Deo, rationalem cultum veſtrū.* Et Ieremias propheta manifeſtè exclamauit: *Ablue à malitia cor tuū Ieruſalem, vt ſalueris.* PAL. Accedendū igitur eſt ad Deū, nō in immunditia animæ, ſed veluti in ſancta, et inculpata vita. Ita enim rectà ad id, quod conuenit, perueniemus. CYR. Omnino Palladi: neque multo labore opus fuerit, ad reuera intelligendā rei huius rationē, ſi ſanctorū vitas diligenter, ac prudenter inquirere velis. Quæ enim veteribus figuratè acciderunt, admonitionis modos nobis præſcripſiſſe, diuinus

Circūciſio in carne, typus circunciſionis ſpiritualis.

Coloſ. 2.

Circunciſio ſpiritualis qualisnā ſit.

Ioan. 14.

Rom. 12.

Ierem. 4.

Paulus

Paulus ait. Quòd igitur puros, ablutosq; nos ad Deum accedere oporteat, facilè quis ex his rursum intelligat. Dina enim filia Iacob, veluti virgo nubilis conspicata filias Sicimorum, egressa est tabernaculum paternum. At non conquieuit Sichem filius Emor. Captus enim statim amore puellæ, stuprum virgini Hebrææ intulit alienigena, atque incircuncisus adhuc. Filij verò Iacob rei indignitatem ægerrimè ferētes, eos, qui Hebræam ac sororem ea cōtumelia affecerant, bello aggressi sunt. Mœrentem verò, ac supplicem diuinum Iacob, totiusq; generis sui internecionem metuentem, Deus rursum accessit, et saluauit. Quonam verò modo, dignū est, quòd animaduertatur. Ita igitur scriptum est. * Dixit autem Iacob Simeoni, et Leui: Odiosum me fecistis, ita vt malus ego sim omnibus habitantibus terram, inq; Chananæis, et Pherecæis. Ego autē paucissimus sum in numero, et congregati super me, percutient me, et delebor ego, et domus mea. Illi autē dixerunt: Sed sicut scorto vtētur sorore nostra? Dixit autem Deus ad Iacob: Surgens, ascende in locum Bethel, et habita ibi: et fac ibi altare Deo, qui apparuit ibi, cum fugeres à facie Esau fratris tui. Dixit autē Iacob domui suæ, et omnibus, qui cū eo: Tollite deos alienos de medio vestrum, et mundamini, et mutate vestimenta vestra, et surgentes ascendamus in Bethel, et faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis: qui fuit mecum, et saluauit me in via, qua ambulaui. Et dederūt Iacob deos alienos, qui erāt in manibus eorum: et inaures, quæ in auribus eorum. Et abscōdit ea Iacob sub terebintho, quæ in Sicimis: et perdidit ea vsq; in hodiernum.* Vides, quo pacto adierit omniū Dominus trepidantem iustū? Et extruere iubet altare in odorem suauitatis, splendidumq; donarium futuræ ipsi salutis, atque auxilij? Ipse verò necessariò hoc fieri debere intelligens, prius expiari eos precipit, falsi nominis deos de medio tollentes, atque alias vestes induentes. Cœterum arbitror, hoc significare synceritatem fidei, ac vitæ puritatē. Integrè enim, atq; vniformiter Deo addictos esse, non diuisos mente, neque ad dæmonici erroris reliquias declinare, meritò intelligi potest per deiectionem deorum alienorū. At verò per mutationem vestium, vitam quodāmodo puram indui. Ita enim etiā sapiētissimo Paulo scribere visum est. An nō enim manifestè dicentem audis? *Exuite veterem hominē, qui corrūpitur, iuxta concupiscentias erroris: et induite nouum renouatum iuxta imaginem eius, qui ipsum creauit.* Exutionem verò carnis, carnalium voluptatum depositionem appellās. Scribit autem alibi etiam Solomon: *In omni tempore sint vestimenta tibi splēdida.* Dixerim verò, et quidem rectè admodum intelligens, nō in tantam vanitatem deuenisse Solomonem, vt iuueniliter vestium splēdorem, atq; ornatum nobis cōmendet: at verò vestimento splendido cōparat, ablutam quodammodo, et ab omnibus sordibus liberam vitam. Siquidem quo pacto quis induat Dominum nostrum Iesum Christum? An non ita iudices, quòd euāgelicæ vitæ gloria indutus, id omnino prestiterit?

Gene. 34

Vestium mutatio Gene. 34 synceritatē fidei, ac puritatem vitæ significat.

Ephes. 4

Eccle. 9.

Christus quo pacto induatur.

ſtiterit? PAL. Ita certè. CYR. Si verò quis ad illuſtrem illum Ioſephũ ſe cõferat, inueniet, eum nihil, quod ad pietatem attinet, prætermiſiſſe: atque ita ſibi perſuaſiſſe, quod cooperetur ei quacunq; in re, atque opituletur Deus. Cum enim ſumma proſperitate frui, et delitijs affluere, ijsq; indulgere poſset, ad quæ iuuentutis feruor effreni impetu proripere ſolet, hoc quidem minimè fecit. Lõgè enim abeſt, ſed potiorem quodammodo ſortem habuit, eam, quæ apud Deum eſt: continentiæq; labores præſtantiores duxit temporarijs voluptatũ lenocinijs. Sciebat enim, quòd dulcia quidem initio ſunt carnis irritamenta: ac veluti fauo quodam, mentem præſtigiantia: quòd verò in finem deſinant minimè ſuauem. Pœnæ enim, atq; ſupplicia, et quid nõ huiuſmodi malorum, delinquentiũ capitibus imminent? Viſne autem nonnulla eorum, quæ de eo ſcripta ſunt, dicamus? PAL. Omnino. CYR. *Et erat, inquit, Ioſeph, pulcher facie, et decorus aſpectu valde. Et factũ eſt poſt verba hæc, et iniecit vxor domini eius oculos ſuos in Ioſeph, et dixit: Dormi mecũ. Ille autem non voluit. Dixit autem vxori domini ſui: Si dominus meus non ſcit, propter me in domo ſua: et omnia, quæcũq; ſunt ei, dedit in manus meas, et nõ eſt in domo hac, neq; excipit à me quidquam, præter te, eò quòd tu vxor eius es: et quomodo faciam verbum malum hoc, et peccabo coram Deo? Quando autẽ loquebatur Ioſeph diem ex die, et nõ obediuit ei dormire cum ea, vt coiret cũ ea. Facta eſt autẽ talis quædam dies, et intrauit Ioſeph in domum facere opera ſua, et nemo erat in domo intus: et attraxit eum veſtimentis, dicens: Dormi mecum. Et relinquens veſtimenta ſua in manibus eius, fugit, et egreſſus eſt foras. Et factum eſt, vt vidit, quòd relinquens veſtimenta ſua in manibus eius, fugit, egreſſa eſt foras, et vocauit exiſtentes in domo, et ait illis, dicens. Videte: introduxit nobis ſeruum Hebræum illudere nobis. Intrauit ad me, dicens: Dormiam tecum: et clamaui voce magna. Cum autẽ audiret ipſe quòd exaltaui vocem meam, et clamaui, relinquens veſtimenta ſua apud me, fugit, et egreſſus eſt foras.* Vides quo pacto mulier quidem ad concubitum recuſantem ipſum cõpellebat? Huic verò mens ad continentiam optimè conſtituta erat, planeq; inuicta: cum alioqui puer admodum eſſet, vixdum ſeptemdecim annos natus, cum primum barba excreſceret, in ipſo voluptatũ vigore, atque adeò in ipſis feruentiſsimis affectibus: atq;, vt ita dicamus, duris, indomitiſq; cupiditatibus. Solet enĩ effreni deſideriorum impetu primę pubertatis ætas præcipuè efferri, ægerrimè continentiæ frena admittit. At verò diuinus Ioſeph ab inſtituto ſuo dimoueri nõ poterat: nõ ad eam, quam iuuentus ſecum trahit, diſſolutionem, atq; inſolentiam, nullam moderationem, correctioneq; adhibens: neque rurſus metuens, quòd hoſpes, et ſeruus eſſet: nam ad vtrumq; hoc à fratribus ſuis cõpulſus erat, Iſmaëlitis vẽditus. Poſtquã verò, neque ab impuriſsima voluptate ſuperari, neque libidinis impetu domari potuit, calumniatur eum mulier, accuſationem in iuuenem detor-

Ioſephi laus.

Gen. 39.

detorquens: et cum eius postulatis morē gerere noluisset, flagitiosum appellat: ideoq; deinceps in vinculis habitus fuit iuuenis: cœterum diuino beneficio saluatus est, statimq; luculentam continentiæ suæ mercedē reportauit, totius Aegyptiorum regionis princeps declaratus. Quocirca tametsi ad continentiæ laudem consequendam multi subeundi sunt labores, grauesq; sunt propositi sudores, faciles eos ducunt veri pietatis cultores. Cōsequētur enim equalem laboribus laudem, et sudoribus dignam mercedem. Idcirco etiam diuinus Dauid omni laude dignissimum iuuenem hoc patientiæ nomine admiratur, dicens: *In seruum vēditus est Ioseph. Humiles reddiderunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animā eius. *Ferrū, vt arbitror, dicens, grauem, ac rigidam laborum vim, per quos peccata sunt exprimēda, et ab omni labe, inquinationeq; discedendum, perueniendumq; ad sanctam, purissimáq; vitam, euangelicá nimirum in Christo: per quem, et cum quo, Patri gloria cum Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Psal. 104

Ferrum pertransijt animā eius, quid significet.

Explicit libet decimusquartus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPI ſcopi Alexandrini, de Adoratio ne in ſpiritu, et veritate.

Liber decimus quintus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugenſi Interprete.

Quòd oporteat puros, ablutoq; peccato Deo ſiſti: Et quòd in Chriſto rurſum noſtra purificatio cõſiſtat.

Toto igitur libro manifeſtè, aperteq; demõſtratũ eſt, Palladi, mundos nos, et ablutos domum Dei adire debere, familiaritatem cum ipſo per ſanctificationem conſequentes. Ita enim propitiũ Deũ habituri ſumus: atq;, vt ita dicamus, pleno oculo res noſtras intuẽtem, cõuenientiq; ſanctis miſericordia nos proſequẽtem.

Eſa.66. *Super quẽ enim aſpiciam, inquit, niſi ſuper humilem, et placidum, et tremẽtem ſermones meos?* Sanctas enim reuera manus porrigit, atq; adeò in ipſas Deitatis aures inclamabit, qui ita affectus fuerit, vt ad finẽ voti ſui pertingẽs præ lætitia dicat:

Pſal.17. *Audiuit è tẽplo ſancto ſuo vocem meam, et clamor meus coram ipſo ingredietur in aures ipſius.* An non enim diuinũ Dauid apertè nobis canentem audiſti, quòd *oculi Domi- Pſal.33.
ni ſuper iuſtos, et aures eius ad precationem eorũ?* PAL. Audiui. CYR. Porrò quòd verus ſit ſermo, dubitare nefas fuerit. Cœterum ad eradicandam peccatorũ labem, quænã ratio à nobis adhiberi poterit? *Delicta Pſal.18.
enĩ quis intelliget?* Et multa delin- Iacob.3.
quimus omnes:* Et natura ipſa procliuitate quadam ad peccandum laborat, facileq; ad vitia fertur, ſternẽte nobis quodammodo ad id viam abſurda, execrabiliq; voluptate. PAL. Rectè ais. Atque ego quidem tibi vera prædicanti minimè reluctor. CYR. Caro enim terrena, peccati lege in ſeipſa laborat. *Mens ve- Geneſ.8.
rò humana prona admodũ eſt à iuuentute ad declinandũ ad mala,* ſicut ſcriptũ eſt. Idcirco etiam meritò ſacra ſcriptura nos increpat, dicens:
*Omnes declinauerunt, ſimul inuti- Pſal.13.
les facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſq; ad vnum.* Cum itaque nulla eſſet auerſio mali, Deus ac Pater nobis Filium ſuum Saluatorẽ, ad redemptorem ex cęlo miſit, iuſtificantem fide, et à pœna liberãtem, et eos, qui infirmi erant, robuſtos efficientem: qui tenebris obſiti erant, illuminantem: qui colliſi erant, reli-

Christus peccatũ delet.

gantem: errantes dirigentem, ac à diaboli tyrannide eripiētem, qui ipsi subditi erant. PAL. In Christo igitur peccati turpitudinem abstergimus: atque ita purgati, et ab omni macula liberi, accedimus per ipsum ad Deum et Patrem. CYR. Rectè intelligis. Porrò sanctos prophetas audire est, tanti, tamq; admirandi, et optabilis beneficij magnitudinem pleno ore proclamantes. Micheas enim sapientissimus ita alibi inquit: *Quis Deus sicut tu, tollens peccata, et qui transit iniquitates eorum, qui reliqui sunt in hæreditate eius? Non cōstituit in testimonium iram suā, nam procliuis est ad misericordiam.* Alius autem rursum: *Memēto horum Iacob, et Israël ne obliuiscaris mei. Ecce deleui sicut nubē iniquitates tuas: et sicut caliginem peccata tua.* Et quamplurima alia testimonia facilè quis ex diuinis literis colligat, rei huius veritatem testificantia. Ijs verò, quos aperta, atque manifesta fides comitatur, alia accumulare, superuacaneum esse arbitror. PAL. Quòd quidem manifesta res sit, omnibus cōstat. Velim autem equidem etiam ex legalibus figuris purificationē in Christo significatam videre. CYR. Vide igitur, quandoquidem ita tibi placet. Contaminatos enim, et iniquitatis, transgressæq; legis reos, sacrificareq; Lex iubet, dupliciter sacrificiorum modos distinguens. Quędam enim pro nobis ipsis occisum Emanuelem describunt. Quædā verò etiā nos ipsos moriētes mundo, propriamq; vitā, ac salutem in odorem suauitatis offerentes. An nō enim mortificātes mēbra terrena, mentemq; nostrā à mundanis auocamentis, terrenisq; voluptatibus retrahētes, diuinā, atq; euāgelicā vitā viuemus? PAL. Omnino. CYR. Sacrificiū igitur est, quæ veluti in morte Christi fit, spiritualis expurgatio. Votū autē, ac donū, veluti à nobis, consecrare Deo vitæ nostræ honestatē, ac sanctimoniā. Prędistinguit itaq; Lex, atq; apertè testatur, oportere irreprehēsibiliter ad hæc accedere, vtiliter quidē, ac necessariò. Cū verò ex sacrificijs, quæ offerūtur, hæc quidē significarint Christū, veluti pro nobis occisum: hęc autē etiā nos figurent, tantūnon adolētes Deo propriā vitā: ideo omni macula vacua ea esse debere, inquit: nullaq; ex parte mutila, siquidē immaculatus Christus. Neq; enim cōmisit peccatū. Neq; verò nos ipsos suscipiat Deus in sordibus adhuc versātes, et peccati turpitudine laborātes. Scriptū igitur est in Leuitico: *Et locutus est Dñs ad Moysen dicens: Loquere Aaron, et filijs eius, et omni multitudini filiorū Israël, et dices ad eos: Quicūq; obtulerit dona sua à filijs Israël, et de aduenis in Israël, secundū omnē cōfessionem suā, vel secundū omnem electionē suam quæcūq; obtulerint Dño in holocaustū, accepta vobis, masculum immaculatum ex bobus, et ex ouibus, et ex capris: omnia, quæ habuerint maculā in se, nō offerent Dño: quoniam nō acceptabilis erit vobis. Et homo, qui obtulerit sacrificium salutaris Dño, soluens votum vel per electionē, vel in festis vestris ex bobus, vel ex ouibus, immaculatum, erit acceptabile, omnis macula nō erit in ipso. Cęcū, vel cōfractū, vel lingua scisū, vel prurientia, vel scabiosa, vel impetigines ha-

Mich. 7. ἐξαίρων ἀνομίας apud. lxx nō habetur, et facit sensū mutilū, si demas.

Esai. 44.

Purificatio peccatorū per Christū figuris veteris legis cōprobatur.

Leuit. 22

Oblationes, quales esse debeāt.

habentia, non adducēt ea Domino, et in oblationem nō dabitis de eis ſuper altare Domino: et vitulum, vel ouem, aure ſciſum, vel cauda amputatum, victimas immolabis eas tibi ipſi. In votum autē tuum nō accipiētur. Contrictum, et confractum, et exciſum, et conuulſum, nō offeretis ea Domino, et in terra veſtra non facietis. Et ex manu filij alienigenę nō offeretis dona Dei veſtri ab omnibus his, quoniā corruptiones ſunt in eis, et macula in eis. Non accipiētur hęc vobis.* Vides, quo pacto apertè, explicateq; pręcipiat Lex ijs, qui ex ſanguine Iſraël ſunt, et extraneis, qui in ipſis immiſti fuerint, aduenis inquā, vt in rebus ſacris accuratam rationē eorum, quæ maculata ſunt, habeāt? Oportere enim, inquit, offerri à nobis maſculū, et quidē immaculatū: hoc eſt, robuſtū, et a vitijs liberum. Mollities enim, et effœminata cogitatio, interiorq; mentis mutilatio, aſpernabilis, reiectitiaq; apud Deū eſt. An non immundum eſſe cenſes eum, qui his rebus obnoxius fuerit? PAL. Quis dubitet? CYR. Deteſtatur itaq; Deus animū eneruem, remiſſumq;, ac languidū. Amat verò robur, veluti in maſculorū natura deſcriptū, ſi coniunctam habeat maculæ carentiam. Porrò hæc manifeſtus typus ſunt Chriſti. Maſculus enī ſimul, et immaculatus Emanuel: ſi modò reuera eſt virtus Dei, et ignarus peccati. Maſculus autē etiā alia ratione. Excellit enim ſemper, præſtantiusq; alio eſt maſculū genus: ac præterea ſummū principatum obtinens. Pręeſt enim, et incōparabiliter præſtátior eſt vniuerſis, ac principatum obtinet: etiá ſi iuxta nos factus

Mas, xpi typus.

eſt Filius, et paſtor inter oues annumeratus eſt vtiliter. Impura verò, et ad ſacrificiū inepta ſunt, cœcū, et cōfractū, et lingua ſciſum, et pruritu laborans, et ſcabioſum, et impetigines habens: quin et aure truncatum, et cui præciſa eſt cauda: prætèrea ſi quod teſtes fortè cōpreſſos, aut confractos habeat, et ad eunuchi vitium vergat. Hoc enim, arbitror, ſignificare contritum, et cōfractum, exciſum, et auulſum. PAL. Nōne verò hæc ad mores noſtros ſunt transferēda? CYR. Omnino. Neq; enim aliter quàm hoc pacto ſpiritualis lex fuerit. Nulla verò apud Deū vmbratilis cultus ratio habeatur: neq; leges quæ ad eum cultum pertinēt, vnquā præſcripſiſſet, niſi vt veritatis, quæ in eo latet, ſummam pulchritudinē præfiguraret. PAL. Rectè ais. Perſequere igitur particulatim de quaq; re ſermonem, rationemq; explica. CYR. Aggrediar itaq;, ac quidē perlibenter. Cœcum igitur videtur inſipiētem, atq; imprudentē vocare, neque diuinum lumen in ſe habētem, hoc eſt, illuminationem per Chriſtū in Spiritu. Immundus autē omnino inſipiens, ac infidelis iudicandus eſt. *Niſi enim credideritis, neq; intelligetis,* inquit. Cōfractum autē rurſus appellat, qui toto corpore laborat, et nihil ſanū in ſe habet: qui neq; rectè incedere, neq; quidquá boni facere valet, et ſanitatis in Chriſto, atque in Spiritu planè eſt expers. Patiūtur autē huiuſmodi quid ij, de quibus per quendam ſanctorū prophetarum ſcriptū eſt, *Hæc dicit Dominus: Ecce ego do in populum iſtum infirmitatē, et infirmabuntur in ea patres vnà cum filijs. Vicinus, et pro xi-

Cult⁹ vmbratilis, cur a Deo inſtitutus.

Cœcus ſpiritualiter quis ſit.

Cōfracti ſpiritualiter, qui ſint.

Ierem. 6.

ximus eius peribunt. Atqui diuinus Psalmista, eos, qui in fide, quæ est in Christo, iustificati sunt, hilares indu-
Psal. 102. cit, psallentes, ac dicentes: *Benedicat anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates meas: qui redimit ab interitu vitā meam.* Lingua
Linguæ mutilatio spiritualiter quid significet. vero præcisum, mea quidem sententia, qui rectè loqui nesciat, neq; voce exprimere valeat verbū fidei, quod prędicamus, iuxta scripturam, quod
1. Pet. 3. est ex bona cōscientia respōsio apud Deum. Cæterum quòd etiam hoc vitio liberi futuri sint in præsentia, siue aduentu Christi, Propheta nobis
Esa. 32. declarat: dicens: *Et linguę balborum velociter loquētur pacem.* Lingua igitur precisus, eum, qui balbus adhuc est, significat: quiq; nondum doctus est cœlestem illam, atq; à Patre pacem loqui, hoc est, Christum, siue quę de Christo sunt. Prurigine vero, ac scabie, impetigineq; la-
Scabies spiritualiter quid significet. borantes esse dicimus, qui in seipsis malè affectam mentem habeāt, grauiq; peccatorum interitu intus laborant, neq; cōpescere, atq; ad minus redigere vitia sua, sed potius latiùs serpere mala sua, atq; in peius dilatari cupiunt. Pruritus enim, et scabies agrestis, atq; impetigo, semper propagare se videntur, et per incremēta ad peius vergere, donec vniuersam paulatim carnem depascantur. Huiusmodi etiā sunt animorū vitia, quibus nisi maturè occurras, eaq; præscindas, effreni impetu semper in de-
Auris trūcatio spiritualiter quid significet. terius feruntur. Eum verò, cui auris truncata, aut cauda præcisa sit, inobedientem, ac refractarium, eumq; qui non omnino honestus sit, significare arbitror: ijs enim, quibus auris
Caudæ trūcatio præcisa est, nonne auditus vitio laborare censes? PAL. Maximè. CYR.
spiritualiter quid significet. Animalia verò caudis carentia, anne inter formosa collocaris? Nequaquam. Multa enim deformitate ex se prædita sunt. Indecens itaq;, ac deformis, qui veluti in animali cauda carente obliquè significatur. Detestatur verò omne id, quod masculū quidē est, quantū attinet ad naturā: virilia autem munia exercere non valet: eunuchum inquam, aut com-
Eunuch' spiritualiter quid significet. pressos testiculos habentem. Sunt verò eiusmodi in opinione quidem fortitudinis ad virtutem, non autem efficaces ad virtutis gloriam consequendam: exucci verò, et steriles, ac fœcunditatis laude multifariam priuati. Innumera enim propemodum improborum affectuum turba nos ad imbecillitatem, mollitiemq; propellit, atque ad id præterea, vt fructiferi esse nequeamus. Idcirco, vt
eunuchorū varia genera quid significet. ego quidem arbitror, multis etiam nominibus eunuchorum genus Lex appellat. Contritum enim, et confractum, et excisum, et auulsum vocat. Diuersa enim valde sunt in nobis affectuum genera, que nos diuersis quodammodo vijs ad imbecillitatem, molitiemq; deducunt. PAL. Verisimilis est sermo. CYR. Quòd
Alienigenarū manu sacrificia oblata Deo ingrata sūt. verò insuper odiosum Deo sit, per manus alienigenæ sacrificia Deo offerri, declarauit, dicens: Et ex manu filij alienigenæ non offeretis dona Domino Deo vestro. Per quod figuratè significatur, quòd per solū Christum Pater adiri possit. Ipse enim re uera est noster immaculatus et magnus sacerdos, ac mediator œconomicè. Quemadmodū enim diuinus
Philip. 2 Paulus scribit: *In ipso enim oblationē habuimus in spiritu ad Patrem.*

Ma-

Macula igitur liberos eſſe oportet eos, qui ſuas ipſorum animas Deo, ac Patri conſecrare velint, mediante Chriſto. *Sancti enim eritis, inquit, ſicut et ego ſanctus ſum.* PAL. Optimè ais. CYR. Atqui enumeratis ſacrificij modis, veluti in bobus, et ouibus, per alias etiam rationes progreditur, immaculatos procedere eos, qui id facere conſueuerunt, debere optimè præcipiens. Inquit enim rurſus in Leuitico: *Omne ſacrificium, quod obtuleritis Domino, non offeretis fermentatum. Omne enim fermentum, et omne mel non adijcietis in illo offerre Domino. Donum primitiæ offeretis Domino. Super altare autem non ponetur, nõ imponetur in odorẽ ſuauitatis Domino. Et omnis oblatio ſacrificij veſtri ſale condietur. Non ceſſabit ſal fœderis Domini à ſacrificijs veſtris. In omni dono veſtro offeretis Domino Deo veſtro ſal.* Fermentum itaq; verſutiæ typus eſt: non autem in vniuerſum, atque illius tantùm: quæ deteſtabilis eſt, ſed etiam alterius: eius, inquam, quæ bona, ac laudabilis eſt, quam etiam ſapientiæ ſermo bonis, ac ſimplicibus hominibus tribui prędicat. Medium enim quodammodo eſt verſutiæ nomen. Mel autem nõnúquam nobis corporalem voluptatem obliquè ſignificat: vt cũ dicitur: *Ne attendas mulieri prauæ. Mel enim diſtillat è labijs mulieris meretricis.* Nonnunquam verò etiam bonæ dulcedinis typum præ ſe fert. Scriptũ eſt enim. *Comede mel fili. Bonus enim fauus, vt dulceſcat tuũ guttur.* PAL. Vetat itaque Lex offerri in ſacrificium Deo fermẽtum, et mel. Suſcipitur enim ab offerente in donum, et primitias. In odorem verò ſuauitatis nequaquã offertur. Quid autem inſuper figura ſibi velit, declara. CYR. Difficilis, Palladi, res eſt. Quid enim hoc ſignificet, neque deteſtanda hæc cenſere: rurſum verò in oblationem, et ſacrificium offerenda non eſſe, quo pacto nõ difficile intellectu ſit? Ego itaq; ſic ſentio, verſutiam nonnunquam animę ſanctæ, ac bonæ eſſe, ſi opportunè adhibeatur: et ſi ad pietatem erga Deum referatur, minimè reiectitiã apud eum eſſe: cœterum nõ eodem loco, quo virtutis fragrantia cenſebitur, neque in ſpirituale ſacrificium annumerabitur. Simplicitas enim maiore in pretio eſt apud Deum. Miratur ſiquidem ſcriptura ſacra diuinum Iacob, ita dicens: Et erat Iacob vir ſimplex habitans domum. Aliena enim eſt omnino à ſimplicibus verſutia. Ad ſanctos verò Apoſtolos ipſe Saluator inquit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, et ſimplices ſicut columbæ.* Simplicitas enim veneranda eſt apud Deum, verſutiaq; longè præſtantior. Verſutia verò laboris patientia Apoſtolatus miniſterio, ſiue functioni cõuenientior eſt, qua ſuo tempore vſus eſt beatus Paulus, omni ratione cauens, ne intẽpeſtiua morte ab aduerſarijs afficeretur. Verſutia itaque ad Dei cultum relata, acceptabilis quidem fuerit: nulla verò ratione in fragantiam virtutis annumeretur, ſi iuxta propriã ſuam naturam expendatur. Porrò eâdem planè ratione etiam mel, in carnalis voluptatis typum ſumpta, ſignificet, vt arbitror, mundanam hãc, et carnalibus voluptatibus obnoxiam vitã. Venerandæ enim ſunt nu-

Leuit. 19

Leuit. 2.

Fermẽtũ offerri in ſacrificijs nõ poterat.

Fermẽtũ typus verſutiæ.

Verſutia bona, et mala.

Mel, vocabulum mediũ.

Prou. 5.

Prou. 24

Mel, et fermẽtũ, cur in ſacrificijs offerri vetita ſint.

Simplicitas Deo gratiſsima.

Matt. 10.

nuptiæ, liberorum procreationi inseruientes, et qui in Christo ijs vtuntur, culpari quidem per Legem non poterunt: cœterum nō hoc virtutis loco quibusdā ascribetur: neq; eandē ex hoc, quam ex cōtinentia, laudem consequentur. Beatus verò Paulus ijs, qui matrimonium contrahunt, præcipit: *Ne separemini abinuicē, nisi si quid ex consensu pro tempore, vt vacetis orationi, et precationi. Et rursum in vnum conueniatis, inquit, ne tentet vos Satanas, propter intemperantiam vestram.* Adijcit autem ijs: *Hoc autem dico iuxta indulgētiam, non iuxta præceptum.* Vides itaq;, quòd veniā det actibus coniugij. Quo pacto igitur, virtus censeri potest, cui veniæ medela adhibetur? De virgine autem inquit, quòd magis beata sit, si ita maneat, hoc est, innupta. Non ergo reijciendū est mel, (acceptæ enim sunt Deo nuptiæ.) Cœterum non in odorem suauitatis, quemadmodum virtutis mores. Cœterum ad sacrificia quidē adhibetur sal. Oportet enim nos sapienter, ac prudenter sacrificare, ad quoduis bonū optimè constitutos. Insulsum enim, atq; insipidū quid, eos, qui piè viuere volūt, minimè decet. Idcirco etiā Saluator: *Vos estis sal terræ,* sanctis discipulis dixit. Præcipit autē etiā Paulus: *Sermo vester semper cum gratia sit sale cōditus, vt sit gratus audiētibus.* PA. Constat itaq; id, quod prudēs, ac gratiosum est, per salē significari. CY. Ita est. Explicatis igitur optimè moribus, quos ad sacrificandū conferre debemus, necessariū esse arbitror, vt nunc ex ipsis sacris literis videamus, quānam tandem ratione ij, qui peccato laborant, morbum illum exuere possint, quæq; ipsis ex peccato imminent damna, propulsare. Scriptū itaq; est in Leuitico: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicēs: Loquere filijs Israël, dicēs: Anima, si peccauerit coram Domino non sponte in omnibus præceptis Domini, quę nō oportet facere, et faciat aliquid ex illis, siquidē sacerdos primus vnctus peccauerit, vt populus peccet, et offeret pro peccato suo, quod peccauit, vitulum ex bobus immaculatū Domino pro peccato, et adducet vitulum ad ostiū tabernaculi testimonij coram Dño, et immolabit vitulū coram Domino. Et accipiens sacerdos vnctus cōsecratus manus de sanguine vituli, et inferet illū in tabernaculum testimonij, et intinget sacerdos digitū in sanguinem, et asperget à sanguine septies digito coram Domino iuxta velum sanctū: et imponet sacerdos de sanguine vituli super cornua altaris thymiamatis cōpositionis corā Dño, quod est in tabernaculo testimonij. Et omnē sanguinē vituli effūdet in basim altaris holocausti, quod est apud ostia tabernaculi testimonij, et omnē adipē vituli, qui peccati, et auferet ab eo adipem cooperiens intestina, et duos renes, et adipē, qui in ipsis, qui super ilia: et reticulum, quod super iecur, cum renibus auferet illud, quemadmodū aufertur a vitulo sacrificij salutaris. Et offeret sacerdos super altare holocausti, et pellē vituli, et omnem carnē ipsius cū capite, et extremitatibus, et vētre, et fimo: et offeret totū vitulū extra castra ad locū mūdum, vbi effundunt cinerē, et cōburent illū super ligna in igne, in effusione

Marginalia: 1. Cor. 7. — Sal, cūr sacrificijs adhibeatur. — Matth. 5. — Colos. 4. — Leuit. 4. — Peccata imprudēter cōmissa, quo pacto veteri lege expiarentur.

ſione cineris cremabitur. Si autẽ omnis congregatio Iſraël ignorãter peccauerit, et latuerit verbum ab oculis cõgregationis, et facienti vnũ de omnibus mãdatis Domini, quę nõ oportet facere, et peccauerit, et cognitũ fuerit illis peccatũ, quod peccauerũt in eo: Et adducet cõgregatio vitulũ ex bobus immaculatum pro peccato, et adducet illum ad oſtia tabernaculi teſtimonij: et imponent ſeniores congregationis manus ſuas ſuper caput vituli coram Domino, et immolabunt vitulũ corã Domino.* PAL. Quænam igitur fuerit horum ratio, ac ſenſus? CYR. Manifeſtus Palladi, neq; difficilis intellectu ijs, qui rectè omnino ſentire velint. In Chriſto enim eſt purificatio ſacerdotũ, ac populi: parui ſimul, ac magni: ac, vt breuiter dicam, omnium: tametſi ſinguli fortaſſe delinquentes deprehendamur, ob diuinæ legis ignorantiã, aut non ſponte fortaſſe propulſi ad id, quod totius vniuerſi Dño Deo diſpliceat. Idcirco etiã diuinus Dauid nobis inclamat, dicẽs:* Delictorum iuuentutis meæ, et ignorantiarũ ne memineris.* At verò tanquã bonũ, mitem, ac miſericordẽ, naturæq; noſtræ imbecillitatis nõ ignarum, beatus Iob tantum non manifeſtè incuſat, quòd ad remittenda quibuſdam peccata, tardius, lentiusq; procedat, ita inquiens:* Cur non oblitus es iniquitatis meæ, et mũdaſti peccatum meũ?* Præclamauit itaq; Lex, quòd in Chriſto, et quidem ſolo, iuſtificãdi ſunt per fidem, qui peccatis inuoluti ſunt. Ipſe eſt enim, qui inſtar vituli pro nobis immolatus eſt ad ſacroſancti tabernaculi oſtium, vt nobis aditũ ad interiora aperiret: ipſe

Pſal. 24.

Iob. 7.

tollens peccata noſtra, iuxta Prophetæ vocem. Hoc enim arbitror ſignificare, manus ſuper vitulum impoſitionem. *Ipſe per propriũ ſanguinẽ ingreſſus ſancta ſanctorum, ſancta à nobis redẽptione inuenta, quiq; vna oblatione perfecit in æternum ſanctificatos:* iuxta beati Pauli vocem. Ipſe eſt, qui aſperſione proprij ſanguinis ſanctificat eccleſiam: atq; hoc quidem abundè. *Intinget enim, inquit, ſacerdos digitum in ſanguinẽ, et aſperget de ſanguine ſepties digito coram Domino. *Acceſsimus enim, inquit, ad cœleſtem Ieruſalẽ, et ad congregationem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, et ad ſanguinem aſperſionis meliora loquentem, quàm loquebatur ſanguis Abel.* Siquidem ſanguis Abel clamauit ad Deum, condẽnans interfectorem. Precioſus autẽ ſanguis Saluatoris omniũ noſtrum Ieſu Chriſti clamat pro nobis meliora ad Deum. Effuſus enim eſt in pretiũ omniũ vitæ. Affundebatur autẽ ſanguis vituli, ad baſim altaris. Etenim ſacroſancta reuera eſt Chriſti mors. Atqui cũ auferuntur quidem inteſtina, adeps, et renes, et reticulũ hepatis. Fragrãtia enim omnia in Chriſto, interiora ſimul, et exteriora. Sanctũ enim erat Verbum, nihilq; in ipſo eſt, quòd purum non ſit. Pellis autem, et reliqua extra portam cõburuntur, ne ipſum quidem paſsionis locum ignotũ nobis relinquente Lege. Idcirco etiam diuinus Paulus nobis ait:* Exeamus igitur ad eum extra portam, opprobrium eius portantes, hoc eſt, pro nobis, et propter nos, Crucem.* Quin et ipſe Saluator alibi ait: *Qui non tollit crucem ſuam, et ſequitur

Hebr. 9.

Hebr. 12.

Sãguinis Abel, et ſãguinis Chriſti comparatio.

Heb. 13.

Matt. 10.

tur

tur me, nō est me dignus.* Videtur autē sacratissimus Paulus extra portam, extra mundum intelligere. Lōgè enim extra mundanam vitā nos constituit voluntas sequēdi Deum: quod et Paulus rursum testatur. Ita enim de Christo inquit: *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Sancti vtique in terra versantes, non quidem terrenè actiones suas, vitamq; instituunt, sed potius vt in cœlo conuersationem suam habeant, enituntur. Expurgatio verò inquinatorum est, cinis aqua aspersus. Peccati enim expiatio, Saluatoris passio est; sanctificans nos per aquā, per quam adipiscimur nō carnis sordium depositionem, sed animarum nostrarum labis ablutionē: *Lauamini enim, inquit, et mundi efficiemini: * vt propheticus nobis supra sermo præcepit. PAL. In vitulo itaq;, veluti in imagine, ac typo, Christi mors propter nos, et pro nobis adumbratur. CYR. Rectè cēses: ac præterea mireris, vt opinor, vbi hoc etiam cognoueris. PAL. Quidnam? CYR. Si enim peccauerit, inquit, præfectus vnà cum subditis, siue ipsa per se subiecta multitudo, vitulus quidem in sacrificium adhibebitur. Si verò præfectus priuatim peccauerit, offerat, inquit, hircum ex capris. Si verò quis plebeius, non iam mascula, sed fœmella sit victima. Recitabo autem, si placet, etiam leges hac de re scriptas. Ita enim inquit: *Si autem princeps peccauerit, et fecerit vnum de omnibus præceptis Domini Dei sui, quod non fiet, inuitè, et peccauerit, ac deliquerit, et cognitū fuerit illi peccatū, quod peccauit in ipso, offeret donum eius

Gal. 6.

Cinis aqua aspersus ad expianda peccata, quid significet.

1. Petr. 3.

Esai. 1.

Principū et populi peccata diuerso modo expiátur.

Leuit. 4.

hircum ex capris, masculum immaculatum, et imponet manum suam super caput hirci, et immolabunt illum in loco, vbi immolabunt holocausta coram Domino, pro peccato est. Et imponet sacerdos de sanguine, qui est peccati, digito super cornua altaris holocaustorum, et omnē sanguinē eius effundet iuxta basim altaris holocaustorū: et omnem adipem eius offeret super altare, sicut adipem sacrificij salutaris: et propitiabit pro eo sacerdos de peccato eius, et dimittetur illi. Adijcit verò: Si autem anima vna peccauerit inuitè ex populo terræ, in faciendo vnū de omnibus pręceptis Domini, quod non fiet, et peccauerit, et cognitum fuerit ei peccatum, quod peccauit in eo, feret donum capellam ex capris immaculatam, fœminam feret pro peccato, quod peccauit, et sacrificandi modo exposito. Si autem ouem obtulerit, inquit, donum suum pro peccato, fœmellam immaculatam offeret illud.* Intelligis igitur, Palladi, mysterij altitudinem, veluti in speculo, atque vmbra veteribus adūbratam? Correspondet enim delictorum magnitudini sacrificiorū oblatio. Et vitulus quidem offerebatur pro principe, et populo, communi quodammodò peccato, atq; eodem peccato laborantibus. Hœdus verò vnus pro vno, siue vna anima. Seipsum enim obtulit Christus, simul quidem pro omnibus, veluti in imagine vituli, grauis, ac magni sacrificij.*Vbi enim abundauit peccatum, inquit, superabundauit gratia.* Hœdi verò, aut ouis instar se obtulit sigillatim, ac priuatim, ideo quòd similis factus est, in quam ijs, qui sub peccato

Roma. 5.

cato

cato erāt, et in iniquis reputatus eſt, iuxta ſcripturas. Iniquitatis autem typus eſt hœdus, veluti ſterilis, atq; aridus. Idcirco Chriſtus quidem ſanctos tanquam oues ad dexteram collocat. Malos verò, et iniquitatis operatores, veluti hœdos, ad læuam. Excellens itaq; eius, ac ſupernaturalis gloria, vt in vitulo nobis ob oculos ponitur. Quòd verò ſimilis nobis factus ſit, et cū iniquis reputatus, per hircum intelliges. Mactatus autem etiam eſt veluti ouis, ob innatæ ipſi manſuetudinis ad immolationē eminentiā. *Sicut ouis enim ductus eſt, inquit, et ſicut agnus coram tondēte mutus, ſic non aperuit os ſuum.* At ſi fuerit fortè princeps is, qui peccato obnoxius erat, maſculus hircus offerebatur. Si verò quis è populo, et priuatus, fœmella erat victima, ſiue ouis eſſet, ſiue ex capris: per ſacrificiorū differētiam Saluatoris noſtri œconomiæ ſapientiā Lege ſignificāte. Principatus enim, ac præcipuus honor maſculo generi tribuitur. Secūdę verò partes, fœminino. Reſpōdet itaq; vniuſcuiuſq; delicto expiatio per Chriſtū in præfectis, ac principibus, et ſubditis, ac in ſingulis etiā ſubiectorū. Neq; enim æqualis fuerit ratio peccati in principe, atque in populo: maior verò culpa præfectorum, quippe abundatiore gratia locupletati ſunt. PAL. Intelligo quid velis. Prēſtātius enim altero eſt maſculū. CYR. Vides autē in Chriſto, veluti in gloria differentiā. Princeps enim eſt, atq; vniuerſorū præfectus proculdubio, vt Deus, ac Dn̄s. Factus autē veluti in ordine ſecundus propter humanitatē. Cōſtitutus enī eſt ſub Lege, tanquā ſub pręfecto poſitus. PA. Veriſimilis eſt ſenſus. CY. Porrò alios etiā peccatorum modos ſubiūgit, et vniuſcuiuſq; expiationē præmōſtrat, veluti in Chriſto peractā. Ita verò ait: *Si autē anima peccauerit, et audiuerit vocē iuramēti, et hic teſtis vel vidit, vel cōſcius fuit: ſi nō indicauerit, portabit peccatum ſuum. Anima, quę tetigerit omnem rem immundā, vel morticinū, vel à beſtia occiſam immundā, vel morticina abominationū immundarū, vel morticina iumētorum immūdorū, vel tetigerit de immūditia hominis, de omni immūditia eius, quam tangens pollutus fuerit, et latuit ipſum: poſt autē hoc cognouit, et errauerit anima, quæ iurauerit, diſtinguens labijs ad malefaciendū, vel benefaciendum per omnia, quæ diſtinxerit homo cū iuramēto, et latuerit eum, et iſte cognouerit, et peccauerit vnum q.d de iſtis, et dixerit peccatū, in quo peccauerit in eo: et feret, pro quibus deliquit Dn̄o, pro peccato, quod peccauit, fęminā de ouibus agnā, vel capellā ex capris pro peccato, et propitiabit pro eo ſacerdos pro peccato, et dimittetur ei peccatū.* Vide itaque, quod eum, qui vocē iuramēti audierit, ac nihili planè rem eam fecerit, necnō alijs peccatis obnoxiū, ac præterea qui periurij dānatus ſit, in eodē planè d̄licti genere collocat. Exitiale enī reuera peccatū, atq; ad extrema mala ducēs Dei cōtēptus, delictūq; carnali immūditiei ꝑpinquū, et cōgnatū. An non enī ęquali ordine habēda ſunt deteſtabile periuriū, et iuramēti cōtēptus? PA. Omnino. Par enī ferè eſt vtriuſq; culpa. CY. Atqui horū etiā expiatio fit per cōfeſsionē, et agniculæ, ſiue ouis immolationē.

*Dic

Hœdus, typus iniquitatis.

Eſa. 53.

Leuit. 5.

Iuramēti aut periurij expiatio.

Cōfeſsionis peccatorū neceſsitas.

* Dic enim tu primus iniquitates tuas, inquit, vt iustificeris.* Quin etiam diuinus Dauid exclamat, dicens:

Psal. 31.

Dixi, edisseram cõtra me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei. Cœterum ad perfectam ablutionem sola confeßio nõ sufficit. Liberat autem absolutè Christi mors, qui pro nobis passus est, nostraq; omnium peccata subijt, veluti in specie incõsultorum animaliũ: in vitulo, inquam, et oue, ac capra. Inexcusabilem verò quodã modo declarans Lex, eorum, qui peccato obnoxij sunt, et in immunditia versantur, negligentiam in offerẽdo sacrificio, si facultates nõ suppetant ad vitulum, aut ouem offerendam, ea, quæ ad manum, et in potestate nostra sunt, offerre iubet, dicens:

Leuit. 1.

Si autẽ non potuerit manus eius, quod satis est ad ouem, feret pro peccato, quod peccauit, duas turtures, vel duos pullos columbarum Domino: vnum pro peccato, et vnum in holocaustum, et feret ea ad sacerdotem: et adducet sacerdos, quod pro peccato prius: et retorquebit sacerdos caput eius à verticillo, et non diuidet. Et asperget de sanguine, qui pro peccato, super parietem altaris: at reliquum sanguinis asperget super basim altaris. Peccati enim est. Et secũdum faciet holocaustum, vt decet, et propitiabit pro eo sacerdos pro peccato suo, quod peccauit, et dimittetur ei.

Turtur, et columba, typus Christi.

Turturi itaque, et columbæ optimè comparandus est Dominus noster Iesus Christus: quòd turtur sonora maximè, loquacißimaq; auis sit: columba verò mitißima, ac summè mansueta. Vtrumque autem in Christo est. Vniuersum enim orbẽ terrarum euangelicis prædicationibus personauit turtur cœlestis, sonorum quoddam melos immittens, et Dei, ac patris voluntatem illustrãs. Quemadmodum enim diuinus Ioãnes, inquit:

Ioan. 3.

* Is, quẽ Deus misit, verba Dei loquitur.* Vocauit autẽ etiã nos ad imitationem innatæ ipsi mãsuetudinis, ita dicens:

Matth. 11

Tollite iugũ meũ super vos, et discite à me, quia mansuetus sum, et humilis corde.

Turturis caput præcidi vetitũ in sacrificijs quid significet.

Accipiet igitur, inquit, turturem sacerdos, et contorquebit caput eius vngue. Ita enim occiduntur mansuetiores aues. Cœterum non in vniuersum præscindit, caput nimirum. Ita enim peracta est Christi mors, non in diuisionem, sed in vnitatem. Idcirco etiam olim Paschæ legem instituens, agnum quidem immolari iussit, cœterum in vna domo comedetur, inquit: neq; efferetur quidquam de carnibus eius foras.

Christus nequaquã diuisus, sed integer est.

Christus enĩ nequaquam diuisus est, sed vnus integrè in singulis, et in omnibus existit: atque ipse est pax nostra, recolligens nos in vnitatem, cum ad eam, quæ inter nos est, vnanimitatẽ, tum per se ad Patrẽ in spiritu. Quòd igitur nobis Christi mors, non disiunctionem, sed vnitatem cõciliet, obliquè significauit sacrificari quidem auem, non autem in vniuersum caput à verticillo diuelli. Quòd verò ecclesiam proprio sanguine sanctificet, significatur per id, quòd tabernaculum, et quę in eo, sanguine auis aspergãtur. Vnicus verò turtur pro peccato offertur, et vnicus in holocaustũ. Intelligitur autem per vtrũque Christus, et moriens pro nobis, et in odorem suauitatis holocaustũ factus Patri: atq; omnium vitæ pre-

tium ſeſe exhibens. PAL. Rectè ais. CYR. Imminuit porrò Lex, atq; ad ſummam facilitatem deducit ſacrificij modum, et conuenientem vniuſcuiuſque modulo laborem præſcribit, præcidens omnem tergiuerſationem, omnemq; eorum, qui in culpa fuerint, negligẽtię excuſationem excludens. Ita verò rurſum ſcribit: *Si autem nõ inuenerit manus eius par turturum, vel duos pullos columbarum: et feret oblationem ſuam pro peccato ſuo, decimam partẽ œphi, ſimilam pro peccato, nõ effundet ſuper illud oleum, neq; imponet ſuper illud incenſum: quoniam pro peccato eſt, et feret illam ad ſacerdotem, et accipiens ab ea ſacerdos plenũ pugillum ſuum, memoriale eius imponet ſuper altare in holocauſtis Dño. Peccati enim eſt. Et propitiabit pro eo ſacerdos pro peccato eius, quod peccauit ab vno horũ, et dimittetur ei. At reliquum erit ſacerdoti, vt ſacrificiũ ſimilę.* Atqui in his quidẽ de Chriſto nõ amplius. Offerẽtis verò vitam, et in Chriſto acceſſum, cõſecrationemq; in Deũ, oblationis ratio nobis ob oculos ponit. Offertur enim ſimila, ex qua fit panis. Vitæ autẽ typus eſt panis. Cœterũ neque thure eam aſpergi debere, neq; oleo madefieri ait: ſapiẽter, vtiliterq; cauſam eius illi declarans, quòd nimirũ pro peccato ſit, à quo lõgiſsimè omnino abſit hilaritas, veluti intellecta: necnõ ſuauitas odoris per thus ſignificata. Dubium verò eſſe nõ poteſt, quin triſtiſsima fœdiſsimaq; res in nobis ſit peccatũ. Locupletabitur autẽ in ſe virtutis hilaritate per ſpem in Deũ, multã etiã odoris ſuauitatẽ habẽtem, veluti in qualitate, ſpiritua li nimirũ. Typus igitur vitæ carẽtis hilaritate, et odoris ſuauitate vacuæ ſimila eſt abſq; thure, et oleo. Cœterũ in Chriſto etiã ipſa trãſmutabitur ad hilaritatem. Suſcipit autẽ etiã ſuauitatẽ odoris in fide. et offertur Deo, per ipſum abſtergẽtem inquinatos, atq; abluentem ſpiritualiter eos, qui peccatorũ labe laborant. *Accipiet enim, inquit, ſacerdos de ſimila, afferetq; ad altare holocauſtomatũ Domino.* In Chriſto enim noſter acceſſus eſt, per quę ipſum adimus, qui cõtaminati eramus: iuſtificamur autẽ per fidẽ, et in odorẽ ſuauitatis conſecramur Patri: non quidẽ nos ipſos amplius, Chriſtũ verò in nobis ſpiritualem odoris fragrantiam habẽtes. PAL. Veriſsimus eſt ſermo. CYR. Præterea ſi quos cõtigerit offẽndere Deum, aut ſurripere aliquid eorũ, quæ ſanctificata ſunt, neq; promiſſũ preſtare, neq; ſtatim offerre, negligẽtiæq; hac in parte, aut obliuionis vitio laborent, expurgat rurſum. Ita enim ſcriptũ eſt: *Et locutus eſt Dñs ad Moyſen, dicẽs: Anima, ſi latuerit eam obliuione, et peccauerit inuitè de ſanctis Domini, et feret pro delicto ſuo Domino arietem immaculatum ex ouibus pretij argẽti ſiclorũ, ſiclo ſãcto, pro quo deliquit, et quod peccauit de ſanctis ſoluet, et quintã partem apponet ſupra illud, et dabit illud ſacerdoti: et ſacerdos propitiabit pro eo in ariete delicti, et dimittet ei.* Grauiſsimũ enim peccatũ reuera eſt, ſurripere aliquid ſanctificatorũ, et conſecratorum in gloriam Dei. Eãdem verò ratione nõ minor culpa fuerit, nõ perſoluere ꝓmiſſa. *Fili enim, inquit, ſi voueris votum Dño, ne moreris reddere. Bonũ nõ vouiſſe

Leuit. 5.

Sacrificiũ pro peccato, cur neq; thure, neque oleo aſpergatur.

Triſtitia comes eſt peccati.

Furtũ rei ſacræ imprudẽter ablatæ, quomodo expietur.

Leuit. 5.

Vota nõ perſoluta, quo pacto expietur in lege.

Eccleſ. 5.

vouisse te, quàm vouisse, et nõ præstare.* Diuinus etiam Dauid alibi
Psal. 75. ita canit: *Vouete, et reddite Domino Deo vestro.* Supplicio verò affecti sunt filij Eli, quòd quædam sanctorum suffurati essent, sibiq; assumpsissent, quæ Dei erant. Quisnã igitur sit etiam huius peccati remittendi modus, aut quo pacto pedem culpa sint exempturi, atq; euasuri? Primùm quidem si ablata cum fœnore restituant. Persoluet enim quintuplum, inquit. Deinde si arietem precio emptum in sacrificiũ obtulerit. Typus autẽ est hæc res Christi, quẽ præfecti Iudæorum emerunt quodãmodo triginta denarijs, quos discipulo proditori persoluerũt. In Christo itaq; culparum, quę in Deum cõmittuntur, remissio est. Quòd verò etiam peccata, quæ in homines delinquuntur, ipse remittat, facillimũ fuerit videre, proximam huic legem consulentibus. Ita verò habet: *Anima, quæ peccauerit, et contemnens contempserit mandata Domini, et mentita fuerit contra proximum in deposito, vel de societate, vel de rapina, vel læsit aliqua in re proximum, vel inuenit perditum, et mentiatur de eo, et iurauerit iniustè de vno ex omnibus, quę faciet homo, ita vt peccet in his, et erit, quando peccauerit, et deliquerit, et reddat rapinam, quã rapuit: vel offensam, quam offendit: vel depositũ, quod creditum est ei: vel perditionem, quam inuenit de omni re, quã iurauit pro ea iniustè, et soluet ipsum principale, et quintã partem eius addet super illud, cuius est, illi reddet, qua die redargutus fuerit. Et pro peccato suo offeret Domino arietem immaculatum de ouibus pretij, in quod peccauit: et propitiabit pro eo sacerdos coram Domino, et dimittetur ei, circa omnia, quę fecit, et peccauit in illo.* Vides ęqualem in vtroq; expiationis modum: (persoluet enim cum fęnore, et arietis oblationem) vtq; peccata in Deũ pari ratione, qua quæ in fratres et proximos, auertenda esse, Lex dicat? Atqui nulla in Christo iustificatio ex parte, siue mutila est: quinpotius perfecta eius, quod contaminare solet, ablutio est. Idcirco etiam dixit: *Amen amen dico vobis, quòd qui credit in me, habet vitam æternam, et in iudicium non venit, sed transijt ex morte in vitam.* Si verò iudiciũ euasit, qui iustificationem in fide nactus est per Christum, necesse planè fuerit dicere, illum etiã culpam euasisse, nullamq; in illum actionem reliquam esse, iuxta hanc rationem in quam. *Deus enim iustificans, quis condemnans?* Quocirca si afflictis fratribus, facultatibus nostris succurramus, promptissimam in Christo iustificationẽ cõsequemur. Ita enim Zachęus publicanus vocatus ad apostolatum, non solum iubetur sequi vocantem, verumetiam si quem defraudasset, quadruplum persoluere. Necessariũ enim planè esse iudico, vt qui inhabitãtem in seipsis per Spiritum, Christum habituri sint, prius omnes sordes abluantur, et culpas abstergantur: atq; ita splendidas, sincerasq; animas Deo sistant, quemadmodum ferè diuinus Psalmista ad summum huiuscemodi virtutis euectus exclamabat, dicens: *Paratum est cor meum Deus, præparatũ est cor meũ, cantabo, et psallam.* Quẽadmodum enim puræ lanæ tinctu-

ras

Marginalia: In Christo est remissio peccatorũ, quæ in Deũ, et homines committuntur. — Leuit. 6. — Peccata in proximos eodẽ modo expiãtur quo, quę in Deum cõmittũtur. — Ioan. 6. — Rom. 8. — Psal. 56.

ras imbibunt. Si verò quid sordium in ijs reliquum sit, non ita tenaciter inhęrent, sed facilè depereũt: ita etiã Christus puras, ac sanctas animas sui participes facit: eas verò, quæ ita affectæ non sunt, nequaquam inhabitat. *Sanctus enim Spiritus sapiẽtiæ fugiet dolum, sicut scriptũ est; neq; morabitur in corpore obnoxio peccatis.* Subuenientes itaque afflictis, et amoris officijs fratrum dolores, atque ærumnas mitigantes, nos ipsos ab omni culpa liberabimus, remissionemq; in Christo consequemur. PRL. Rectissimè ais. CYR. Placent ne verò, vt his alia etiã peccatorũ genera adijcientes, quę cuiq; expiatio diuino oraculo præscripta sit, persequamur? PAL. Omnino. Ingentem enim nobis hac de re sermo fructum attulerit. CYR Scriptum itaque est in Numeris: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israël, et eijciatur è castris omnis leprosus, et omnis seminifluus, et omnis immundus super anima, à masculo vsq; ad fœminam eijcite è castris, et non contaminabunt castra ipsorum, in quibus ego cognoscor in ipsis.* Quòd igitur ob ea, quæ necessitate quadam, ac præter nostram voluntatem nobis eueniunt, Lex nequaquam per hęc, quę dixi, succenseat, cuius manifestum est. Cur enim puniatur corporis vitium, aut quo pacto iustè per Legem cõdemnetur, qui corporalibus morbis laboret? Prudenter igitur, vtiliterq; corporis morbi in imaginem, ac typum morborum animi transferuntur. Ita enim Lex spiritualis est futura, sanctaq; omnia, que de singulis olim à Deo oraculo edita sunt, nõ

Sap. 1.

Num. 5.

Leprosi expiatio.

cos, qui inuoluntarijs morbis corripiuntur, puniẽtia: sed de his, qui deliquerint, supplicium sumẽtia. PAL. Quàm pulchrè disseris. CYR. Castris itaque eijci iubet leprosum. At primùm accuratissimã inquisitionẽ fieri præcipit, morbiq; rationem explorari, ita dicẽs: *Et locutus est Dominus ad Moysen, et Aaron, dicens: Homini, cui fuerit in cute corporis ipsius cicatrix significationis, vel lucens, et fiat in cute corporis eius tactus lepræ, ducetur ad Aaron sacerdotem, et vnum filiorũ eius sacerdotum: et videbit sacerdos tactũ in corpore cutis eius: et si capillus in cute tactu mutata sit in albũ, et aspectus tactus eius humilis à cute corporis eius, tactus lepræ est: et videbit sacerdos, et polluet illũ. Si autẽ vitiligo alba fuerit in cute corporis eius, et humilis nõ fuerit aspectus eius à cute, et capilus eius non mutabit pilum albũ, ipsa autẽ est obscura, et segregabit sacerdos tactũ septem dies: et videbit sacerdos tactum die septima: et ecce tactus manet coram eo: nõ creuit tactus in cute, et segregabit eum sacerdos septem dies secũdo: et videbit eum sacerdos die septima secundo: et ecce obscurus tactus nõ creuit tactus in cute, et mũdabit eum sacerdos. Significatio enim est. Et cum lauerit vestimẽta sua, mundus erit. Si autẽ cõmutata creuerit significatio in cute, postquã vidit eũ sacerdos, vt mundaret eum, et visus fuerit secundo á sacerdote, et videbit sacerdos, et ecce creuit significatio in cute, et polluet eum sacerdos, lepra est?* Subtilis admodũ res est, Palladi, neq; facilis intellectu hac de re sermo. Necesse itaq; esse arbitror Legis sensum in

Leuit. 13.

Hg pau-

pauca contrahere, et quid sibi velit, explicare: ac prius morbi differentiā declarabo. Lepra itaq; grauissimus humanorū corporū est morbus, difficillimusq; curatu. Exedit enim, ac deuorat carnē, eamq; emortuā reddit. Concauum enim vulnus efficit, depasta, ac subsidēte in se semper cute, corruptela nimirū semper ad ima vergente. Vnde, vt ego quidem arbitror, pili in summis locis marcidi albescunt, atq; instar plantę cuiusdam vnà cum subiecta terra exarescunt. Lepra igitur huiusmodi ferè morbus est. Alius verò rursum est carnis morbus leprę non absimilis, vitiligo alba dictus. Cœterū non petit altum dolor, neq; morbi sensum ad interiora corporis immittit: sed in summo, ac vixdum corpore viget, neq; pilos in album immutat, neq; immodicé propagatur, ac serpit, sed paucis remedijs adhibitis, facilè reprimitur, atque compescitur, pristinæq; saluti restituitur exardescēs caro. Lepram itaque mortem carnis esse in cōfesso est. Vitiligo autem alba lepræ suspitione laborat, non autem reuera lepra ac mors est. Lex igitur leprosum immundū decernit, vtpote qui iam carnis mortem patiatur. Liberat verò, neq; impurū statuit eum, qui vitiligine laboret, vtpòte de quo suspicio quidem lepræ concipi possit, nequaquam tamē ea infectus sit: Idcirco inquit: *Si fuerit cicatrix significationis, et tactus lepræ, et aspectus cutis eius depressior, pilorumq; in albedinem transmutatio, vtpote qui vnà cum carne, è qua oriuntur, emoriantur, lepra omnino est iudicanda. Serpit enim, atque in altum propagat mortem. Si autem fuerit quædam in albedinem immutatio, exploretur, inquit, à sacerdote, et segregetur iterum.* Neque enim abs re: Siquidem ipsa dierum dilatio, morbi rationem probans, rei veritatem inquirentibus nonnunquā ostēdit. Si enim pili diuersum colorem assumpserint, et cutis subsederit, ac concauitatem quandam contraxerit, vitiligo iam in lepram abijt. Si verò nihil horum acciderit, non est, inquit, iudicandus immundus. Neque enim est lepra, sed quiddam lepræ simile, atque affine, hoc est, vitiligo alba. Sermo itaque, quem præ manibus habemus, eiusq; explicatio bene habet. Age verò, ad spiritualia nos conferamus, interioresq;, atque occultos sensus inuestigemus. PAL. Pulcherrima profectò, vtilissimaq; res. Cyr. Oportet itaque eos, qui in Christo viuificati sunt, viuificatione inquam, spirituali, à mortuis operibus discedere, longissimeq; remotos: Sunt verò hæc, vt opinor, ea, per quæ animæ mortem ferri contingit, mentemq; exarescere, effreni impetu ad ea, quæ carnis, et mundi sunt, vergētem. Si enim verum est, quòd *qui in carne seminat, ex carne messurus sit interitum: et qui secundum carnem viuunt, Deo placere nō possunt,* quo pacto tandem dubiū esse potest, quin morituri etiā sint? Mortuus itaque, et operibus mortalitatis inuolutus est, qui animam, ac mentem contaminatam habet, mundanaq; prauitate refertam. Ac si quis hanc spiritualem lepram appellare velit, nequaquā errauerit. Immūdus enim est huiusmodi in oculis Domini. Polluet etenim eum, inquit, sacerdos. Auditurus siquidē est coram di

Margin notes: Lepræ descriptio. — Vitiliginis albæ descriptio. — Lepra, et vitiligo, spiritualiter declarata. — Gal. 6.

uino tribunali, peccatoribus accenſus: *Diſcedite á me operatores iniquitatis. Non noui vos.* Vitiligini verò, et cicatrici ſignificationis comparandi ſunt, qui adhuc in exilibus deſiderijs verſantur, neque adhuc ea, quæ animo conceperunt, opere, ſiue re ipſa præſtiterunt. Nunquid enim verum eſſe cenſes, quod prius animum noſtrum adoriantur voluptates, et cogitationes nos inuadant ad ea, quæ per Legem vetita ſunt, pellicientes: antea quam eas ad effectum, vt ita dicam, traducamus? PAL. Omnino. Memini enim, B. Dauid dicentis: *Priuſquam humiliarer ego deliqui.* CYR. Rectiſsimè ais. Peccat enim omnino mens, etiam ante quàm peccatū operetur, ac perficiat, grauida quodammodo voluptate. Cœterum cum adhuc in ſola tantùm cupiditate peccatū conſiſtit, mens, veluti in æquilibrio eſt conſtituta, in vtramq; partem reſpiciens, integrumq; ei eſt, quo velit inclinare, neq; adhuc mortē ſubijt, ſed propemodū ſubſtitit, parturiens in ſe peccatū. Huiuſmodi quid etiā Saluatoris diſcipulus manifeſtè nobis inclamat, dicēs: *Nemo enim dicat, cum tentatur, ſe à Deo tentari. Nam Deus vt malis tentari non poteſt, ita neq; ipſe quenquam tentat. Vnuſquiſq; verò tētatur, dum à propria concupiſcentia abſtrahitur, et ineſcatur. Deinde cōcupiſcētia poſtquam concepit, parit peccatum. Peccatū verò progignit mortē.* PAL. Ita eſt. CYR. Mors itaq; veluti in ſpirituali lepra, inquam, quæ ex peccato prouenit, non in ſolis cupiditatibus mente cōceptis conſiſtit, ſed in earū executione, atq; actu: et quādiu mens malū adhuc parturit, nōdum mortificatio, nondum mors iudicāda eſt. Neq; enim omne peccatū ad mortem, queadmodum Saluatoris diſcipulus dixit, ſed ſuſpitione eorū, quæ mortem inferre ſolent, laborat. Suſpectā verò eſſe lepræ vitiliginē, iam diximus. Videbit enim, inquit ſacerdos eū, qui eo morbo laborat, vitiligine inquam. Et ſi quidem non videatur nō immutata in leprā, non polluet eum: at potius ſegregabit. Neq; enim culpa caret apud Deum, vel ſola cupiditate nequitiæ proximū fieri. Si verò reſiſtat malo, nec in peius vergat, mundus ſit, inquit. Cōſultiſsimum itaq;, ac reuera ſalutare eſt, mortificationē, operum inquā, deuitare, ipſo effectu, ſiue actu mentem interimentium. Conſultū præterea profligare affectus, etiā ſi leui tantùm cupiditate nos irritent. Hoc enī arbitror ſignificare, à lepra ipſa, et à vitiligine liberum eſſe. Audiſti enim, quòd præcipuam quādam noſtri curam gerit Deus, ſecundum naturam exiſtēs Emanuel, magnus noſter pōtifex: atq; admittit quidē eos, qui prauitatē omnem abluerint: excludit verò ſanctis caſtris, quos contaminatos immundoſq; deprehēderit. PA. Veriſsimus eſt ſermo. CY. *Sancti enim eritis, inquit, quia ego ſanctus ſum.* Animaduerte autem, quòd ablutis veſtibus purū fore ait, expiationem per aquā nobis præclamans Lex, ac veluti in typis ſub ſenſus corporales cadentibus, Baptiſmi myſterium nobis deſcribens. PAL. Intelligo. CYR. Vide itaq;, Palladi, Legis intentionem. Traducit enim quodammodo cogitationes noſtras in contrarium, quodq; vtile nobis

Luc. 13.

Concupiſcentiæ peccatū quale ſit.

Pſal. 118.

Iacob. 1.

Mors ſpiritualis nō in cupiditatibus mēte cōceptis conſiſtit, ſed in earū executione.

Peccatū, nō omne ad mortem.

1. Ioan. 5.

Leuit. 19

Ablutio veſtiū, typus baptiſmi.

sit, omnibus modis ob oculos ponit. PAL. Quo pacto ais? CYR. Inquit enim rursum: *Et tactus lepræ si fiat in homine, et veniet ad sacerdotem, et videbit sacerdos, et ecce cicatrix alba in cute, et ipsa mutauit pilum album, et à sano carnis viuæ in cicatrice, lepra antiqua est in cute corporis eius, et polluet eum sacerdos, et segregabit eum, quoniam immundus est. Si autē florens floruerit lepra in cute, et cooperuerit lepra omnē cutem tactus à capite eius vsq; ad pedes eius secundū totam visionem sacerdotis, et videbit sacerdos, et ecce cooperuit lepra omnē cutē corporis eius, et mundabit tactū, quoniā totū cōmutabit albū, mundus est. Et qua die visum fuerit in eo corpus viuēs, contaminabitur, et videbit sacerdos corpus sanum, et cōtaminabit eum: corpus sanum immundum est, lepra est. Si autē conuersum fuerit corpus sanum, et mutatū fuerit albū, et veniet ad sacerdotem, et videbit eum sacerdos, et ecce mutauit tactus in album, et mundabit sacerdos tactum, mundus est.* PAL. Quænam verò intelligi posit in his conuersationis ratio? CYR. An nō intelligis, quòd lepram quidem esse asseruimus mortificationem, quæ ex parte in viuente carne fit, quiq; hoc morbo laborat, reiectitius est, vt immundus? PAL. Intelligo. CYR. Vide itaque, quo pacto viceversa res nobis rursum in contrarium deflectitur. Si enim quis fuerit, inquit, totus in vniuersum leprosus, atque vniuersali mortificatione laborauerit, nihil omnino sanū habens, is, non iam immunditiei accusetur: mundus est. Si verò viuente corpore aliquæ in ipso reliquiæ resederint, condemnet, inquit, sacerdos ipsius immunditiem. Contaminabit enim ipsum corpus viuens, et lepra est: et perinde ac leprosus culpabitur. PAL. Equidem quod dicis, assequi nequeo. Si enim lepra ex parte cuipiam adueniens, eum contaminat: quo pacto eadem totum in vniuersum corpus occupans mundum efficiat? CYR. Subtilis res est. Neque verò existimādum est Legem nobis contemplationem sibi ipsi repugnantem, atque discrepantem ob oculos ponere, sed vnicuique rei prudētem atque vtilem, et irreprehensibilem rationem accōmodari posse. Atqui age, dicamus, si placet. PAL. Omnino. Dices enī mihi percupido. CYR. Duplici, vt arbitror, modo laudabilem, atque legalem vitam degemus. Aut enim viuentes ipsi, mortificationem, quę ex affectibus, et peccato fit, fugientes (atque hoc est, non esse affectum lepra. Viuo enim corpori mortificatio ex parte adueniens, lepram efficit.) aut alioqui alio modo per bonā mortificationem mūdanè viuere nequaquā sustinētes, veluti coronā quādā vitę bene actę laudem sumus reportaturi. Ita enim quibusdam diuinus Paulus scribit: *Sic et vos existimate nos ipsos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu.* Viuentes itaq; in Christo, ea, quæ ipsi placent, exequendo, ac pręstando, mortificari detestabimur, ab affectibus nimirū, et peccatis. Mortui verò peccato, sicut scriptum est, vitam in eo execrabimur, rectè sentientes. PAL. Declara mihi hoc paulò apertius. Neque enim adhuc satis assequor. CYR. An non, Palladi,

Leuit. 7.

Leprosus ex parte, immundus est: leprosus vero totus, mundus, spiritualiter declaratum.

Rom. 6.

Viuens Chriſto, totus peccato moriatur, neceſſe eſt.

Moriens peccato, nulla ſui parte peccato viuat, neceſſe eſt.

di, idcirco Christum pro nobis mortem ſubijſſe dicimus, vt viuentes nõ amplius ſibi ipſis viuant: ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, ac reſurrexit; hoc eſt, Chriſto? PAL. Dicimus procul dubio. CYR. Viuimus itaq; Chriſto inſtituentes vitam noſtram euãgelicè, mortificationem ex peccato, ſiue mortem ex affectibus odio proſequentes. Vnde et diuinus Petrus de Chriſto ait: *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuere-mus.* Oportere enim arbitror, eos, quibus curæ eſt illuſtrem vitam agere, ab omni eo, quod mortẽ inferre poſsit, quamlongiſsimè abeſſe: efficereq;, vt ab omni peccatorum labe liberi ſint. PAL. Rectè ais. CYR. Nequaquam igitur vitium veluti in lepra ſignificatũ patiatur, qui in Chriſto quidem viuere voluerit, euangelicisq; præceptis acquieſcere, mortificationem, quæ ex peccato eſt, propulſans. PAL. Ita cenſeo. CYR. Atqui vnus quidẽ hic modus eſt, quo Deo placere poſsimus. Alter verò hoc pacto rurſus rectè præſtetur.

1. Pet. 2.

Colloſ. 3.

Oportet enim nos mortificãtes mẽbra terreſtria, ſtuprum, immunditiam, mollitiem, concupiſcentiã malam, et auaritiam, mortuos quodammodo peccato videri: atque hoc quidem in vniuerſum, non amplius in ipſo viuentes: quod et Paulus confirmat, dicens: *Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato; vt gratia abundet? Abſit. Qui mortui ſumus peccato; quomodo poſthac viuemus in eodem?* Quemadmodum igitur eum, qui Chriſto viuere velit, ſi ex parte mortificetur, Lex immundum ſtatuit: ita etiam in moriẽdo peccatis, viuere in eis, inquinatio rurſus eſt, Legisq; reprehenſione nõ vacat. Idcirco inquit, Quòd ſi cuipiã lepra vniuerſum corpus peruaſerit, mortificatioq; omnia membra occuparit; ſignificauerit eum, qui mortuus quidem fuerit peccato, nullaq; amplius in carpore eius contaminatio eſt. Mundus enim, inquit, eſt totus in vniuerſum mortuus peccato, nullo ipſi loco conceſſo, inq; nulla ipſius parte morari quodammodo ſinẽs. Si verò, inquit, corpus in ipſo viuens rurſum appareat, contaminabit ipſum corpus viuens. Viuere enĩ in vniuerſum peccato, etiã ſi ex parte tantùm, execrabilem eum, qui eo laborat, efficit. *Parum ſiquidẽ fermenti, inquit, totam maſſam fermẽtat.* Et verus eſt ſermo. Si verò mutatum fuerit corpus viuens, et conuerſum ad lepram, ſoluatur, inquit, accuſatio: mundus eſt. Liberatus enĩ eſt à viuendo ex parte peccato, tranſferente ſe ad laudabilem mortificationem mente, optimamq; reuera tranſmutationem adepta. Breuiter itaque in ſummam redigam, quę dixi. *Si viuimus Deo, nihil ſit in nobis mortuũ. Si verò mortui ſumus peccato, nihil eius in nobis viuum relinquatur. Hæc enim nobis optima via fuerit ad vitam, quæ ſanctos deceat, quæ nihil in ſe reprehenſione dignũ habeat.* PAL. Rectè ais. CYR. Minutius verò eiuſmodi morbos reſtringens Lex: *Si fuerit, inquit, ſuſpicio, quòd lepra quiſpiam laborauerit, aut in vulnere cicatrice obducto, aut in parte corporis combuſta; ſacerdos eâdem planè diligentia cautioneq; vtatur. Et ſi id, quod videtur effloreſcere album, non tranſmutetur*

Rom. 6.

1. Cor. 5.

 tur

tur ad lepram, mundus sit, inquit. Si verò manifesta fiat cõuersio albi ad lepram, immundus est, atq; execrabilis.* Innuit verò nobis per hęc etiã Lex, quòd innumeri animorum nostrorum morbi, quibus iam tẽporis spacio cura adhibita, et cicatrix quodãmodo obducta est, si nostra ipsorum vecordia recrudescãt, explorat quidẽ eos Christus summus noster pontifex, rectamq; statim de ijs sententiã feret. Si enim, inquit, morbus in sola cogitatione subsistit, is, qui ita affectus est, nequaquam pœna caret: (separabitur enim.) Cœterũ nõ omnino reiectitius est, neque in vniuersum emortuus. Si verò cogitationes, cupiditatesq; superet morbus, et iam totus immutatione in peius laborauerit, eum, qui iam secũdo eo morbo affectus fuerit, pœnæ, quæ immũditiei debetur, subijciet. Cauẽdum itaq; in primis est, ne vitia, quę iam sopita sunt, denuò suscitemus, neúe mentis vulnera cicatrice obducta refricemus: atq; ad ea, quę initio erant, redeamus: aut alioqui ad nos etiã pertinebit illud à sancto proclamatũ:* Contigit ipsis, quod verũ habet prouerbiũ: Canis rediens ad proprium vomitũ: aut sus abluta ad volutabrum cœni.* PAL. Rectè mihi videris, ac verisimiliter dicere. CY. De lepra igitur, et cicatricibus, ac vulneribus Lex nobis hæc. Adijcit autẽ insuper, atq; inquit:* Et viro, vel mulieri, quibus fuerit tactus lepræ in capite, vel in barba, videbit sacerdos caput. Ac si fuerit, inquit, in ea quædã depressio cutis tabefactæ, ac subsidẽtis, mutatioq; capilli ad albedinẽ, leprosus huiusmodi, atq; immũdus re uera cẽsendus est. Si verò nihil horũ

Peccatũ cogitationis nõ in vniuersũ occidit animam.

2. Pet. 2.

Leuit. 13.

Lepra capitis, aut barbæ, quid significet.

acciderit, radatur, inquit, caput, aut barbã is, qui ea vitiligine laborat: atque ita rursus ducatur ad sacerdotẽ, atq; exploretur.* Significatione enĩ, siue vitiligine illa non diffusa in amplum, sed vno in loco subsistẽte, aut alioqui imminuta, mundus rursum erit. Neque enim lepra est morbus: at potius eius suspicio, et opinio. PAL. Quisnam verò horum sensus fuerit? CYR. Duplex est in nobis immunditia, Palladi: carnis, et spiritus. Et cõtaminant quidem carnem absurdæ eius, impiæq; affectiones, animamq; simul et mentem, præcipuè verò delatio ex rectitudine dogmatica ad deteriora, sanæq; fidei amissio: ac prætereа fraudes, et mẽdacia, periuria, obmurmurationes, elationes, contentiones, æmulationes, aliaq; his similia, quæq; æqualis prauitatis dãnantur. Videtur itaque in his Lex animi affectus nobis ob oculos ponere: morbosq;, qui mẽti accidere solent, declarare velle. Caput enim typus est mentis. Barba verò, prudẽtis intellectus. Est enim etiam ipsa signũ perfectionis. Animaduertit itaq;, et diligẽter explorat nostra summus omnium pontifex, hoc est, Christus, ipsamq; mẽtem intuetur, interioresq;, ac occultas nostras cogitationes rimatur: et si quæ fortè fuerit immutatio, aut à recta fide ad id, quod secus se habet, aut ad morũ prauitatem, et cõsiliorum peruersitatem ipsi maximè inuisam, reijciet nos, vt inquinatos, atq; in vniuersũ cõtaminatos decernet. Hoc esse censeo, affectum esse lepra in capite, aut barba. Si verò mens vt initio affecta fuerit, non autẽ integrè declinasse videatur ad laborandum ijs, quæ dixi, segre-

Immũditia carnis et mẽtis.

Caput typus mẽtis.

Barba, typus prudentiæ.

segregabitur quidem, et conuenientem pœnam luet: non autem in vniversum immundus est futurus, neq; alienus à Deo, sed ablutis vestimentis mundus erit, hoc est, accipiet in auxiliū iustificationem in Christo. Crinium verò abrasio, nudum vulnus sacerdoti exhibens, significauerit omnia quodammodo de medio tolli: nudumq;, ac liberum deitatis oculis aspectum quocunq; voluerit, expositum esse. *Neq; enim vlla est creatura occulta coram ipso: omnia verò nuda, et aperta oculis ipsius,* sicut scriptum est. PAL. Verè. Ipse enim alibi per vocem sancti prophete ita ait: *Deus propinquans ego sum, et nō Deus de longè. An à me quidquam absconsum erit?* CYR. Vide itaque, Palladi, Legem multo minutius adhuc hæc ipsa persequentem: nihilq; quod necessarium ad cognitionem sit, pretermittentē, quod non ad proprias regulas redigendo auditores iuuet. *Delicta enim nemo intelligit,* vt scriptum est. Multa verò delinquimus omnes. Magna enim imbecillitate laborat natura, et summa ad peccandum procliuitate: nemoq; planè liber est à sordibus: ac quemadmodū sacra scriptura inquit: Ne vna quidē dies vita eius super terram. Idcirco et diuinus nobis Psalmista canit: *Si iniquitates obseruaberis Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est.* Vide igitur Legem condonantem nobis vtiliter eiusmodi delictorum accusationem, ac præ sua benignitate mūdantem eos, qui ex lubricitate humana in acerbos tantum non, ac prope inuoluntarios lapsus inciderunt. Ita enim inquit: *Et viro, vel muliere, cui fuerint in cute carnis suæ candores splendentes, albescentes: et videbit sacerdos, et ecce in cute carnis suæ candores splendentes, albescentes, vitiligo est. Floret in cute carnis eius, mundus est.* Atqui, re diligenter explorata, carnis vitium est, atque affine lepræ, vitiligine laborare. Cœterum non laborat mortificatione, neq; in vniuersum damnatur. Eiusmodi autem ferè sunt etiam delicta in nobis. Vitia quidem proculdubio, cœterum nō mortem, animæq; interitum inferentia. Non nimis hæc expendit iudex, quia ipse nouit formationem nostram, naturæq; nostræ imbecillitatis non est ignarus. Indulget itaque nobis eorum remissionem ex innata ipsi benignitate. Atque hac ratione, vt arbitror, munda est vitiligo. Atqui bonorum etiam mentem nonnunquam leues quædam culpæ occupant: vt, exempli gratia, exiguæ quędam animæ concitationes, moderataq; efferuescentia ad iram aduersus fratres, et vanæ interdum gloriæ desiderium, alijq; huiusmodi affectus, qui etiam ijs, qui inculpatam vitam agunt, puriq; reuera sunt, interdum accidere solent. Humana enim hæc, omnibusq; ferè communia sunt, qui vitam in carne, et sanguine degunt. Describit itaque nobis Lex etiam hæc figuratè, atque ita ait: *Si autem alicui caluum fuerit caput eius, caluus est, mundus est. Si autem ante faciem eius caluum fuerit caput eius, recaluaster est, mundus est.* Capillorum inuoluntaria amissio, capitis morbus est. At verò caput in mentis typum

Heb. 4.

Psal. 18.

Peccata leuiora, Lex condonat.

Vitiligo cur in lege mūda dicatur.

Peccata quib9 sancti etiam nonnunquam laborant.

Caluitiū quid significet.

poni, modò diximus. Mentis enim sedes, ac domiciliũ est caput, prout quibusdam videtur. PAL. Memini. CYR. Per corporei itaque capitis morbos, mentis vitia verisimiliter intelligũtur. Exigua autem rursus, et quibus ignosci par sit. Liberat itaque nos Lex ab omni humano vitio, et inquinatione inuolũtaria, quæ nobis accidat. Siquidem ex necessitate quadam natura imbecillitate laboret. Ab omnibus verò in vniuersum vitijs liberi esse in præsenti seculo nõ possumus: sed potius futuro seculo conuenit, in quo peccatũ ab ipsis fundamentis euertetur, et in inculpatam omnino vitam trãsferemur. Præterea si fuerit, inquit, cicatrix significationis flauescens in caluitie eius, vel in recaluatione eius, leprosus, et execrabilis est. Abeunt enim nonnunquam etiam exigua vitia in grauia peccata, grauiterq; contaminant, nisi à nobis præscindantur: at liber potius, ac inoffensus ipsis ad deteriora trãsitus relinquatur. Exempli gratia. Irascitur quis nonnunquã paululum, eoq; vitio laborat: præcidatur modestiæ remedio, ne exiguo peccato paulatim incrementa accipiente, mortẽ ijs, qui eo affecti sunt, conciliet. Hoc enim est, vt arbitror, in caluitio efflorere lepram: ex re nihili in peiora lapsum, veluti in typo significantem. Rectè vtique a B. Dauide dictum censeo: *Irascimini, et nolite peccare.* PAL. Quam profundus sermo. CYR. Omnino. Intelligis enim me, vt arbitror, subtiliter de his rebus differere, neque absque multo labore huiusmodi speculationes, aut animo concipere, aut uerbis exprimere posse. Quòd verò, qui

Peccatis in hac vita in vniuersum liberi esse nõ possumus.

Paruis vitijs mature occurrendum.

Psal. 4.

grauioribus peccatis laborant, latere non possint, cum alioqui subinde leuissima quædam ignorentur, occultaq; sint, hinc etiam intelliges. Eos enim, qui caluitio laborant, mundos esse inquit, pulchrè nobis leuiuscula peccata ignoscẽs, vt modò diximus. At si fuerit, inquit, in caluitio lepra, hoc est, quando ex minoribus ad deteriora fertur malum, tunc demum aperta fit ipsius turpitudo, nullamq; rationem, quæ vitio suo patrocinari possit, habens. Idcirco inquit: *Et leprosus, in quo est tactus, vestimenta eius erunt soluta, et caput eius nudum, et circa os eius contegatur, et immundus vocabitur omnes dies, quandiu fuerit in eo tactus. Immundus existens, immundus erit, segregatus sedebit, extra castra erit eius conuersatio.* Porrò lacerari vestimenta, et nudum caput esse, significauerit, et quidem manifestè admodum, apertam minimeq; occultam turpitudinem. Obtegi verò partes ori vicinas, significat quodammodo nullã ipsi defensionem esse reliquã, neque dicere quidquam posse, accusante Deo immunditiam. Castris verò eijci, typus fuerit, illum non amplius in sanctorum cœtu degere, sed quodammodo à sacra multitudine relegatum, omnis boni expertem fore. PAL. O grauem, atque execrabilem rem. CYR. Ita est certè, Palladi. Idcirco etiam diuinus nobis Dauid inquit: *Peccata iuuentutis meæ, et ignorantias, ne recorderis. Iuxta misericordiã tuam recorderis mei, propter bonitatem tuam Domine.* Omnia verò quodammodo persequens Lex, seueritatem suam, etiam vestibus adhibet, laneis inquam, vel stu-

Lepra in caluitio, quid significet.

Leuit. 13.

Laceratio vestiũ leprosi, et obtectio oris, quid significet.

Psal. 24.

ſtupeis, vel in ſtamine, vel inſubtegmine, vel in pellicea veſte: ſi lepra fuerit, inquit, et horũ cuidam morbus acciderit, explorabit rurſum ſacerdos, et ſegregabit tactũ. Et ſi nulla fuerit ſignificationis immutatio in melius, abſumatur igne, lepra perſeuerans eſt. Cœterùm ablui debere præcipit id, quod affectum eſt. Et ſi poſt hoc appareat malum enatum, in ignem vt inutilem planè veſtem proijci iubet. Lanæ nimirũ rurſum, et ſtupæ, ſtaminiq́;, et pellibus cõparans, quæ apud nos ſunt. Quòd enĩ lanæ, aut ſtupæ, ſiue aliorum, nulla apud Deum ratio habeatur, quo pacto dubiũ eſſe poteſt? Grauiſsimum itaq́; peccatum eſſe cẽſebimus, poſt expiationem, ablutioneq́;, quã Chriſtus in nobis præſtiterit, nõ dimoueri à peccatis, ſed aſsiduè in ijs perſeuerare. Si enim nihil iuuerit abluens nos Chriſtus, igni puniẽdos tradet, quemadmodum ferè ſacerdos in Lege, cum ablutionem, quam adhibet, nihil ſtupę, aut ſtamini proficere ſentit, in ignem proijcit. PAL. Ita habet. CYR. Lepram itaq; Lex, eam, quæ veluti in operibus eſt, mortificationem pulchrè ſignificat, ea, ex quibus manifeſtè quis, ac ſenſualiter de obſcuriorum intellectu iudicet ſcitè conferens, carnalibusq́; comparationibus ſpiritualia declarans, et larga nos morborum animi cognitione inſtruens, clareq́; ob oculos ponens, tanquam in morbis corporis ea, que menti accidunt vitia. Ita enim rurſum in Leuitico proclamat. *Viro autem, cui fuerit fluxus ex corpore eius, fluxus eius immundus eſt. Et hæc lex immunditiei eius. Fluens ſemen ex corpore eius, ex fluxu, qui conſtitit in corpore ſuo per fluxũ ſuum, hęc immunditia eius in eo eſt. Omnis lectus, in quo dormierit ſuper eũ ſeminifluus, immundus eſt. Et homo, qui tetigerit lectum ipſius, lauabit veſtes ſuas, et lauabit corpus ſuũ aqua, et immũdus erit vſq; ad veſperã. Et ſedẽs ſuper vas, in quo ſederit ſeminifluus, lauabit veſtimẽta ſua, et lauabitur aqua, et immundus erit vſq; ad veſperã. Et qui tetigerit corpus ſeminiflui, lauabit veſtes ſuas, et lauabitur aqua, et immũdus erit vſq; ad veſperã. Si verò propius acceſſerit ſeminifluus ad mundũ, abluet veſtes, et lauabitur aqua, et immundus erit vſq; ad veſperã. Pręterea, inquit, execrabile, ac deteſtandũ fore omne vas, cui inſederit ſeminifluus. Et ſi abluerit manus aqua, etiã ipſa erit cõtaminata. Et ſi attigerit quis corpus ipſius, immunditiei illius omnino particeps erit. Et ſi ꝓpius acceſſerit aliquis, qui inquinatus nõ ſit, eandẽ impuritatis notã ſubibit: *Ideoq; vnà cum leproſis caſtris eijciebatur, neq; adiri, aut cum alijs verſari poterat, ſolo etiã manus cõtactu eos, qui acceſsiſſent cõtaminans. PAL. Quodnã verò fuerit animi vitiũ, quod corporali ſeminis profluuio cõparari poſsit? Spiritualis enĩ eſt Lex. An non ita ſe habet? CYR. Omnino. Rectè enim ſentis. Cœterũ illud animaduerte. Seminis ꝓfluuiũ naturę aptitudinẽ ad ſobolẽ creãdam eleuat, atq; eneruat, ſeminis ſuppeditationem nihili, et irritam efficiens, et mẽbrorum firmitatem laxans, inuoluntariam quodammodo corruptionẽ efficit, vt in diuturnis, atque aſsiduis ſordibus, qui eo vitio affecti ſunt, verſentur. A corporali itaq;

Leuit. 15. Seminiflui expiatio.

Seminis profluuiũ, ſpiritualiter quid ſignificet.

itaque morbo, et manifesta figura ad ea,quæ menti accidunt,se cōfert. Corrumpitur enim etiam ipsa mēs in ijs,quæ minimè oportet, ptodigaliter laborans:et in nihil,quod conducit,operam,actionesq; suas conferens:ita vt nullum legitimum fructum habeat, sed semper ad malum feratur,atque indesinēter ad turpia rapiatur. PAL. Quo pacto ais? CY. An non,amice, hominem creatum ad opera bona diuinus nobis Paulus inquit? PAL. Maximè. CYR. Naturam itaque nactus est ad omne opus laudabile exercendū aptam, beneq; comparatam. Nunquid enim sapientiæ,omnisq; doctrinæ capacem esse hominem censes? Continentiam verò,ac fortitudinem,necnon iustitiā, facilè quidem exerceat, si quæ par est exequi,et diuinis legibus acquiescere velit? PAL. Assentior. CYR. Si verò prætermissis his, non iam sapientem,sed stultum,ac vecordem se præbeat,neque ijs,qui ad veritatē instruunt, voluntatem suam accomodare velit,sed potius extra virtutis limites exorbitare malit, et cum ijs,quibus curæ est, recta torquere, atq; subuertere, in perniciem ferri: neq; optimam, synceramq; de Deo sententiam amplectatur, neq; in rebus agendis eam, quæ omni reprehensione vacua est, viam sectetur, nonne huiusmodi hominem seminis profluuium spiritualiter laborare dixerimus,quippequi ea,per quæ Deo fructū ferre par erat,in cassum absumat? PAL. Ita iudicarim. CY. Quid verò si prætermisso,ac neglecto iustitiæ cultu, gloriosissimoq; fortitudinis exercitio iniustus, ac voluptatibus deditus apparet, an non hunc simili vitio, quo, qui seminis profluuio laborat,affectum cēsebis: vtpote qui aptitudinē naturæ, qua, ad virtutem exercendam, præditus erat,in turpia absumit, spiritualiq; fœcunditati damna cum nulla vtilitate coniuncta prætulerit? PAL. Ita arbitror. CYR. Lex igitur longissimè à seminifluo discedere iubet, significans nimirum, cauendum nobis in primis esse ab eorum consuetudine, qui ad prauitatem deflexerint:fortiterq; propulsandos à nobis esse eos,qui Deo odiosi sint, vtpote assiduis sordibus laborantes. Neque enim indemnis reuera est,malorum societas,et consuetudo. Siquidem verum est,quod scriptū est,quòd *qui attigerit picē, inquinabitur ab ea.* Porrò contaminabit etiā omne vas, quod attigerit seminifluus,et lectū, et corpus,et vasa,et aquam, vasaq; lignea:figuratè significans,quòd immunditiei,quæ in ipso est,particeps sit futurus,etiam si quis tantùm propius,spirituali nimirum dispositione accesserit. Scriptū est enim: *Te ipsum purum conserua:et ne cōmunicaueris peccatis alienis.* Cœterū damnata etiam vitia, atque in imo nostrorum intellectuum recessu occultos morbos, omnemq; in vniuersum mollitiē Christus exterminat, expiatioq; per ipsum præstita: cum Lex id nequaquam præstare possit. Nemo enim iustificatur in Lege, sicut scriptum est. Videris autē id minimè fictum,si quę deinceps scripta sunt,expenderis. Inquit enim rursum; *Si autem mundatus fuerit seminifluus ex fluxu eius, numerabit sibi septem dies ad purgationē sui, et lauabit vestes ipsius,et lauabit corpus

Eccles. 13

1. Tim. 5

Leuit. 15

pus suũ aqua viua, et mũdus erit. Et die octaua accipiet sibi duos turtures, vel duos pullos columbarum, et offeret ea coram Domino ad ostia tabernaculi testimonij, et dabit ea sacerdoti: et faciet ea sacerdos vnũ pro peccato, et vnum in holocaustũ. Et propitiabit pro eo sacerdos coram Domino à fluxu eius.* Expurgat igitur seminifluum, et à morbo liberat. Cœterũ in Christo per aquã, et sanguinẽ. Numerabit enim, inquit, sibi ipsi septem dies, quibus expletur: et lauabit vestimenta sua, et lauabit corpus suũ aqua, et mundus erit. Purificatio verò septem dierum numero circũscripta, significat per omnem vitam, et in omni vitæ tẽpore abstergi, purgariq; debere pietatis adminiculis eos, qui ex mundana nequitia sese transferre volunt ad id, quod decet, ac par est. Hebdomadæ enim mẽsura, tẽporis impletionem in se cõtinet: reuolutionemq; ad id, quod initio erat, veluti ad finem, atque exitum de lapso tempore. Accedere autem oportere, vtiliterq; induci nostræ pietati, inquit, expiationẽ per Christum, et purificationẽ per aquam, veluti in ablutione corporis ac vestium, intellecto sancto baptismo, concurrente nimirum purificatione per sanguinem. Die enim octauo, inquit, accipiet sibi ipsi duos turtures, aut duos pullos columbarum. Octaua verò dies rursus nobis significet tempus incarnationis, quando pro nobis immolatus est Emanuel, sonorus reuera turtur, qui proprio sanguine perfecit in æternum sanctificatos. Quòd verò omnem odoris suauitatem Christi mors habeat (facta est enim pro mundi vita, et ad ablationem peccati) per duos turtures significatur, quorum alter pro peccato sacrificatur, alter verò in holocaustum. Quod autem etiam propitiatio factus sit Christus pro peccatis nostris iuxta scripturas, ostendit, cum dixit: Et propitiabit pro eo sacerdos corã Domino a fluxu eius. PAL. Rectè ais. CYR. Hoc igitur pacto seminifluum expurgari debere, diuina nobis Lex præcipit. Polluit autem etiam illum, cui inuoluntaria acciderit fluxio seminis, siue voluntaria, et fontem habens innatum motum. Et volũtaria quidem, quæ in congressu cum muliere fit, iuxta nuptiarum legem. Inuoluntaria autem, quæ in nocturnis insomnijs fit. Ita enim rursum ait: *Et si alicui exiuerit ex ipso cubatio seminis, lauabit totũ corpus suum aqua; et immundus erit vsq; ad vesperam. Et mulier, si dormierit vir cum ea cubatione seminis, lauabunt corpus aqua, et immundi erunt vsque ad vesperum.* Aequalia enim in vtrisq; sunt peccata, nihilq; planè inter ea differentiæ est. In profluuio itaq; seminis longum quodãmodo, perpetuumq; in nobis vitiũ significatur. In eo autẽ, de quo modò agimus, videtur Lex significare velle, eum etiã immundũ iudicandum, qui etiam si nõ totus, atq; integer in vniuersum corruptus sit, ex parte tamẽ, et raro eo vitio laboret. Eiusmodi quid etiã Saluatoris discipulus innuere videtur. *Quando enim, inquit, totam Legem quis impleuerit, peccet autẽ in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non facies adulterium: dixit etiã: Non occides. Si verò non faciens adulterium, committas

Seminiflui expuagatio per aquã et sanguinẽ, quid significet.

Octaua dies quid significet.

Seminis emissio voluntaria, aut inuolũtaria, quo pacto expietur.

Leuit. 15.

Iacob. 2.

tas

tas homicidium, factus est transgressor Legis. Qui enim semel deliquerit, siue Legem transgressus fuerit, etiam si in vno tantùm, atq; ex parte, is omnino accusationẽ incurret.* Immundus itaque est iuxta Legem, etiam si quis non ad extremam immunditiem peruenerit, sed tantùm ex parte ea laborare deprehẽdatur. Cœterũ non omnino reiectitius est. Purgatur autẽ etiam ipse per aquã in Christo. Tempus enim aduentus Saluatoris optimè significauit, cum ait, eum, qui pollutus est, ad vesperũ vsq; immundum fore. In cõsummatione enim tantum non, et ad occasum vergente præsente seculo, aduenit Christus: per quem, et in quo omnes, quas ex peccato contraxeramus sordes, abluti sumus, liberatiq; à paruis simul et magnis culpis, qui peccatis obnoxij eramus. Quòd verò ante aduentus tempus immunditiem ablui non poterat: (Nemo enim in Lege iustificatus est, iuxta scripturas:) ex hoc facilè intellexeris, quòd apertè dicat, immundum futurum vsque ad vesperum. PAL. Intelligo, quod dicis: et verus est sermo. CY. Addit verò his Lex de muliere sanguinis profluuio laborante, quæq; morbo cõtaminante laboret. Ac quẽ admodum in seminifluo omne vas contaminabatur, et omnis lectus, et omne vestimentum, omnisq; attingẽs, quiq; propius accessisset: ita planè idem de ipsa iudicium est. Expiat autem ipsam eâdem omnino ratione, qua seminifluum: aqua abluens, sacrificatisq; turturibus, ex propitiãte pro ea sacerdote. Transferens autem nos Lex ad sensus spirituales, et in morbis carnis versari non permittens: (Tradita enim sunt hæc in typum eorum, quæ ad mentem pertinẽt, interioraq;, ac spiritualia sunt:) subijcit apertè: *Atque ita facietis, vt caueant filij Israël ab immunditijs suis, et non morientur ob immũditiam ipsorum, contaminantes tabernaculum meum, quod in ipsis.* Mũdati enĩ, et sanctificati per Christum, tunc demum reuera splendidi accedemus, et non cõtaminabimus amplius sanctũ tabernaculum. Colemus autem puri, purè, purissimũ Deum versantes in ecclesijs. PAL. Optimè ais. CYR. Quòd vero humana natura prius inquinatione laborat, neque alia ratione mũdari potuerit, quàm per Christum verum sacerdotem, et sanctum sacrificium, intelliges: et quidem manifestè admodum, aliud etiam hac de lege oraculum inquirẽs. Scriptum est enim rursum in Leuitico: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicẽs: Loquere filijs Israël, et dices ad eos: Mulier, quæ semen susceperit, et pepererit masculum, immunda erit septem dies; et die octaua circuncidet carnẽ præputij eius: et triginta et tres dies sedebit in sanguine immundo suo. Omne sanctum non tanget, et sanctuarium nõ ingredietur, donec impleantur dies purgationis eius. Si autem fœminam pepererit, immunda erit bis septem dies, secundum dies separationis menstrui sui, et sex dies et sexaginta manebit in sanguine immundo eius. Et quando impleti fuerint dies purgationis eius super filio, vel filia, offeret agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, vel turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij ad sa-

cer-

[Margin notes:] Leuit. 15. — Humanã naturã inquinatã nulla alia ratione, quã per Christũ purgari potuisse, figuris Legis declaratur. — Leuit. 12. — Lex purgãdę mulieris quę peperit.

cerdotem,et offeret illũ coram Domino: et propitiabit pro ea ſacerdos,et purgabit eam à fonte ſanguinis eius.* PAL. Quænam igitur fuerit mulier,quæ peperit, et quænam fuerit de ea Legis mens? CYR. Argutè de his mihi agendum videtur. Acuta enim eſt præcepti ratio, neq; facilis intellectu: cœterum, quoad eius fieri poterit, inquiremus illud primùm,quòd præ alijs mihi admirationem mouet. PAL. Quidnã ais? CYR. Cum enim Lex contra omnẽ fœminam procedat, quæ pepererit maſculum,aut fœmellam,ac generaliter eas condemnet,exempta eſt ab

Beata virgo lege Leuit. 12 de immũditie mulierisquę peperit, nõ comprehẽditur.

hac infamia ſancta virgo,è qua natũ dicimus ſecũdum carnem Chriſtũ. Vide enim,ſi placet,Legis perfectionem:Mulier enim,inquit,et nõ omnis fortaſſe,nulla diſtinctione adhibita,ſed ſi quę ſemen acceperit,et pe perit maſculum, immunda ſit. Sed ab Spiritu ſancto diuinum corpus eſt conſtitutum,formatumq; ineffabili ratione in ſancta virgine, parua admodũ naturæ legum ratione habita. Nequaquam enim ſeminali fundamento egebat primogenitus ſanctorum,primitiæq; eorum,qui regenerationem ex Deo per Spiritũ ſunt conſequuti: de quibus apertè dictũ eſt: *Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis,ſed ex Deo nati ſunt.* Effugit itaque Legis cõdemnationem ſancta virgo,quæ nequaquam ſemine polluta eſt:ſancti verò Spiritus vi,atque efficatia diuinum fœtum peperit. Mulier autem,quæ peperit, eamq; ob cauſam immũda eſt,humana natura rectè,vereq; dici poteſt. Idcirco fœminę perſonam ipſi accommodabimus,quatenus na

Ioan.1.

Mulier, quæ peperit,ideoque im mũda eſt typus eſt humanæ naturæ.

turæ cõuenit. Accuſatur autem per Legem,et contaminationi obnoxia appellatur,ideo quòd peperit ad corruptionem, quòd nõ ſit in eo ſtatu, quo antè erat,cum eſſe à Deo conſecuta eſſet:(Facta enim eſt ad incorruptionem) at potius ad corruptionẽ traducta ſit,condemnata ob trãſgreſſionem, diuinæq; execrationis pœnam perpeſſa ſit,pręter naturam,natura. *Deus enim non fecit mortẽ, ſicut ſcriptum eſt, neque delectatur interitu viuentium, neq; eſt inferni regnum ſuper terrã. Creauit enim omnia,vt eſſent:et ſalutares ſunt generationes mundi. Inuidia autẽ diaboli mors intrauit in mundum.* Cõtaminat itaq; naturam aduẽtitia corruptio, et diabolica inuidia imperiũ adepta eſt mors, radicem habẽs peccatum. Polluit autem etiã alia ratione,ideo quòd veluti in delectatione carnali ſeminata ſint, quæ generata ſunt. Ac tale quid ſignificare videtur diuinus Dauid pſallens,ac dicẽs: *Ecce enim iniquitatibus cõceptus ſum,et in peccatis cõcupiuit me mater mea.* Immunda igitur eſt natura,veluti ex trãſgreſsione,atq; execratione ſuſtinens corruptionẽ,pręter Dei voluntatem. Creauit enim, vt eſſent,omnia: et verus eſt ſermo. PAL. Quanam ergo ratione liber quis ab immũditia futurus ſit,declara. CYR. Lex ipſa,Palladi,condemnans,viam nobis oſtẽdit. Separetur enim,inquit,vt immundus, ſeptem dies:et ſegregetur alios tres,et triginta, et ſedebit in ſanguine immundo ipſius: ſi maſculus nimirum fuerit fœtus. Si verò fœmellam pepererit, inquit,ſegregatio duplicabitur. Duplex etiam dierum ſeparatio erit. Si

Sap.1.

Pſal.50.

Mulier, quæ peperit masculum, quadragintadies immūda erat: quę fœmellā, octoginta.

igitur masculus fuerit fœtus, immūda est, quę peperit: et polluta septem et triginta tres dies, hoc est, quadraginta. Si verò fœmellus, bis septem et sexaginta sex, hoc est, octoginta. PAL. Quænam verò etiam huius rei ratio fuerit? CYR. Lex rursum carnalibus exemplis nos ad obscuriorum intellectum traducit, ac veluti tabulam quandam spiritualis contēplationis ea, quæ sub sensum cadūt, describit. Dicūnt igitur harum rerū periti, quòd si masculus in matrice conceptus sit, post quadraginta primùm dies formam accipere. Fœminam autem, vt infirmiorem, imbecilioremq; tardius ad id perduci, et bis quadraginta, hoc est, octoginta diebus egere, vt formam, siue speciem perfectè accipiat. Immūda ergo, quę masculum pepererit, per quadraginta dies: quæ verò fœmellam peperisset, per totos octoginta numero dies polluta, atque immunda erat, donec perfectè formata esset in vtero, et ad humanā speciem perducta. Pro expiatione verò ex Legis præscripto agnus, et turtur mactabitur ad ostia sancti tabernaculi, mediante sacerdote, et sacra peragente. Circumcidi autem oportere masculū ex Legis præcepto dicit, hoc est, octauo die. Atq; hic quidem est literę sensus. Nos autem ad spiritualem contemplationē

Circuncisio Legis

nos conferentes, age dicamus, quanam ratione natura, quæ nos in corruptionem, atque immunditiam peperit, inquinationem omnem profligarit, immunditiamq; effugerit: atque adeò eam, quæ ex Lege est, condemnationem. Multa enim secula separata transegit, hoc est, semota à cōspectu Dei. Tempus autem ante aduentum, quo regnauit mors, fuit ab Adam ad Moysen vsque. Obtinuit autem imperium in mortales multiforme peccatum. Postquam verò octauo tempore, hoc est, post tēpus Legis, veteremq; illum sabbatismū, circuncisione non manufacta, circūcisi sumus per Spiritum, formati autem sumus etiam in Christum, diuinæ ipsius naturæ facti participes, remota est à nobis culpa, sordesq; abolitæ, atque omnis cōtaminatio, siue immundities profligata. Neq; enim amplius parimus in corruptionem, atque interitum propter transgressionem in Adam, sed in vitam, atq; incorruptionem per iustificationem in Christo, qui propter nos immolari sustinuit: vt agnus immaculatus, ac verus, vt turtur diuinus, ac spiritualis. Neque enim alia ratione saluati sumus. An non ita se res habet? PAL. Omnino. Manifesta enim valde est figura.

Natura, quæ nos ad corruptionem peperit, quo pacto mundata, et ad incorruptionē traducta sit.

Circuncisio in spiritu.

Explicit liber decimusquintus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPI ſcopi Alexandrini, de Adoratio ne in ſpiritu, et veritate.

Liber decimus ſextus.

BONAVENTVRA VVLCANIO
Brugenſi Interprete.

Quòd oporteat nos offerre ſacrificia ſpiritualia, et oblationes Deo.

Sufficere equidē ea, quæ
dicta ſunt, arbitror,
ad eundú generoſè ad amoli-
tionē peccati, et expiationē per Chri
ſtum: qui, omnes, quæ in nobis ſunt
ſordes, abſtergere valet, et Spiritus
vi, atq; efficacia abſumere: ablutosq;
nos, ac ſanctos efficere. Idcirco ſacer
etiam ſermo huiuſmodi Spiritus effi
caciā in nos futuram, præclamauit,
Malac. 3. dicens: *Quòd ſubitò veniet in tem
plum ſuū Dominus, quem vos quæ
ritis: et angelus teſtamēti, quem vos
vultis: ecce venit, dicit Dominus om
nipotens. Ecquis autem ſuſtinebit
in viſione eius? Quia ipſe egredietur
quaſi ignis conflatorij, et quaſi her-
ua lauantium. Et ſedebit conflans, et
emundans tanquam argentum et
aurum.* Conſonat autem his etiā
diuinus Eſaias, dicens: *Quòd eluet Eſai. 4.
Dominus ſordes filiorum, et filiarū
Sion, et ſanguinem Ieruſalem pur-
gabit de medio eius in ſpiritu iudi-
cij, et ſpiritu ardoris.* Iuſtitiæ igitur
in Chriſto intellectæ ratio, perficia-
turne in nobis, Palladi, per id ſolùm, Peccato
quod abſtergamur, ſolaq; veterum rū aboli-
peccatorum amolitio ſufficiatne for tio non
taſſe ad gloriam, quæ ſanctos decet, ſufficit
et ad ſupremum honorem conſequē ad ſalu-
dum? An potius præclarius nobiſcū tem.
agetur, ſummáq; meritò capitibus Mūdati
noſtris laudem conciliaturi ſumus, per Chri
ſi veluti ſpiritualem quandam obla ſtū a pec
tionem, ac ſacrum reuera donarium catis, ſpi-
offeramus Deo vitam in pietate et rituales
ſanctimonia, ſpiritualem cultū ipſi oblatio-
exhibentes? PAL. Ita cenſeo. CYR. nes Deo offerre de
Res enim eſt ſacris legibus conue- bemus.
niens, Deoq; in primis grata, et ſum
mo apud eum in pretio. Ceſſare enī
ab omni opere iuſsit in ſabbato: neq;
quidquam in vniuerſum agere per-
miſit, ita in Exodo dicens: *Memē- Exod. 20
to diem ſabbatorū ſanctificare illā:
Sex diebus operaberis: et facies om-
nia opera tua. Septima autem dies, Sabbatiſ
Sabbata, quies Domino Deo tuo eſt. mus ſpi-
Nō facies in ea omne opus.* Sabba- ritualis.

tisimum nimirum in Spiritu, typo significante, quãdo ad cessationem, ac quietem ab omni carnali opere, prauisq; studijs per ipsum Christũ vocati sumus, peccati pondus excutientes, defectionemq; à prauitate amantes. Defuit enim huiusmodi sabbatismus Israëlitis. *Neq; enim ingressi sunt in requiẽ Christi,* iuxta B. Pauli vocem. Nos verò quiescere fecit Christus, et spiritualem sabbatismũ agere, virtuti deditos, pulchramq; à peccatis quietẽ colentes. PAL. Optimè ais. CYR. Atqui præcepit quidẽ etiam olim Deus, vt omnes ab opere vacarẽt in sabbato. Cœterũ qui diuino ministerio addicti erant, sanctoq; tabernaculo præfecti, peragebant sacra, et profanantes sabbatum, iuxta Saluatoris vocem, culpa vacabãt, neque violatæ legis accusationẽ incurrebant. A terrenis igitur studijs etiã nos ipsi cessabimus in Christo, spiritualem sabbatismum colẽtes: nequaquã verò à sanctis operibus absistemus, ab offerendo, nimirũ Deo, spiritualia sacrificia, et oblationes: sed quodãmodo Christi vestigijs insistẽtes, vt scriptũ est, cõsecrabimus nos ipsos, nõ ouium mactationibus, aut vitulorũ sanguine vniuersorũ Deũ colentes, sed nos ipsos in odorem suauitatis ipsi dicantes. *Placebimus enim ei supra vitulum cornua efferẽtem, et vngulas:* iuxta Psalmistę vocem. PAL. Rectè dißeris. Cœterum age rursum, et ex sacris literis adeò prẹclari, atq; admirandi cultus rationem præfiguratam ostende. CYR. Ait itaq; Deus in Leuitico: manifestũ vèrò, quòd ad omnes Israëlitas: *Homo ex vobis, si obtulerit dona Domino de iumẽtis, et de bobus, et de ouibus offeretis dona vestra. Si holocaustum donum eius, ex bobus masculum immaculatum, offeret illud ad ostiũ tabernaculi testimonij: offeret illud acceptabile coram Domino: et imponet manum super caput hostiæ acceptabile ei ad propitiãdum pro eo. Et immolabit vitulum coram Dño, et offerent filij Aarõ sacerdotes sanguinem, et effundẽt sanguinẽ super altare in circuitu, quod ante ostium tabernaculi testimonij, et excoriantes holocaustum, concidẽt illud per membra. Et imponent filij Aaron sacerdotes ignem super altare, et accumulabunt ligna super ignem. Et imponent filij Aarõ sacerdotes membra scissa, et caput, et adipem super ligna, quę super ignem existentia super altare. Intestina autem, et pedes lauabunt aqua. Et imponet sacerdos omnia super altare. Holocaustum est, sacrificium odor suauitatis Domino.* An non manifestus typus est sanctorum vitæ, integræq; familiaritatis cum Deo in Spiritu, et sanctitate? Similes enim sumus animalibus mansuetis, vitulo, inquam, et oui, morientes quidem mũdo, per mortificationem carnis, vt viuamus Deo per vitam euangelicam: ascendentes autem veluti in sacrificium reuera spirituale, atque odoratißimum, per Filium ad Patrem. Atqui age rursum de singulis dicamus. Vnusquisque propriam vitam, veluti donum quoddam, Deo consecrat: cęterum prout cuique largitum est, et pro suo quisq; modulo. *Hic enim sic. Hic verò aliter, vt priuatim quisque à Deo nactus est,* iuxta sapientißimi Pauli vocem. Si quidem in magnitudine animalium siue

Marginalia: Hebr. 3. — Matt. 10 — Psal. 68. — Oblatio spiritualis in figuris Legis figuratur. — Leuit. 1. — Oblationis holocausti ritus. — Holocaustũ vituli, typus est vitæ sanctorum. — 1. Cor. 7.

ſiue in ſpecierum differẽtia, inæqualitas, ac diſsimilitudo ſpiritualis vniuſcuiuſque potentię, aut intellectus, obliquè ſignificatur. Siue igitur veluti in vitulo, magnus fortè ſit, ac valdè robuſtus, ſiue tãquam in oue vtrâque hac parte inferior, et à perfecto minor in donũ ſeſe offert Deo: atque hoc quidem in holocauſtum, hoc eſt, in integram cõſecrationem, non diuiſam habẽs ad ea, quę in mũdo ſunt, vitam: ſed totam in vniuerſum acceptam, et ſacram Deo. Qualis autẽ futurus ſit ſacrificij modus, declarat: maſculum, et immaculatũ ſit ſacrificium, inquiẽs. Sancti enim ſemper Chriſti formam præ ſe ferunt, qui maſculus, et immaculatus reuera eſt: maſculo quidem, principatum: immaculato verò, ſupernaturalem, atque incredibilem ſanctitatem ſignificante. Vnus enim noſter eſt princeps, atque incomparabiliter purus, Emanuel. Aliter autem (hoc enim etiam dicẽdum arbitror) maſculos, et immaculatos eſſe debere cenſeo, qui Deo conſecrati ſint, nihil muliebre in ſe habentes: neque remiſſos, ac vecordes, ſed ſummo ſtudio ad fortitudinẽ contendentes: maſculamq; in ſeipſis, atq; erectã, vigilemq; mentem tuentes. Quin et hoc adiecerim, quòd mundos, et immaculatos eſſe oportet, quoad ab humana natura præſtari poteſt. Canit enim alibi, et quidem ſapienter admodum diuinus Dauid: *Iudica me Dñe ſecundum iuſtitiam meam, et ſecundum innocentiam meam in me.* Commenſuratus enim eſt à Deo humanæ pietatis modus, excellente nimirum ea, quæ ſanctorum angelorum eſt, noſtramq; mẽſuram longè excedente. Maſculum igitur, et immaculatum ſit ſacrum ſacrificium. Defertur autem ad ipſa ſancti tabernaculi oſtia. Neque enim aliter aut alibi conſecramur, quàm cum omnino in eccleſia ſumus, accepti Deo, ac Patri, adducente nos, veluti ſacerdote, Chriſto. Per ipſum enim acceſſum nacti ſumus: ipſeq; nos inſtaurauit ad vitã, præcurſor pro nobis ingreſſus in ſancta ſanctorũ, vera via nobis oſtenſa. Imponere autẽ vitulo manus iuſsit: obliquè per hoc ſignificans, quod pro ſeipſis in typo offerunt, imaginem quãdam ſanctè viuendi: per id, quod mundo moriãtur, animalis mactationem exhibentes. Vide igitur, quo pacto nobis vmbra veritatem figuret. Mactabatur enim vitulus coram Domino. Affundebatur autem ſanguis altari. Mori enim mundo, et carnalibus affectibus, Deo iocundiſsimum eſt, ſupernaq; aſpectione dignum. Tale enim quid diuinus etiam Dauid nobis alibi canit, ita dicens: *Pretioſa in conſpectu Dñi, mors ſanctorum eius.* Erit enim veluti ſacrum quoddam donarium Deo, mors ſanctorum: nõ ſecundum carnem, inquam, ſignificat autẽ nobis potius ſermo ea, quæ ſuſtinere conſueuerunt: morientes quidem mundo, viuentes autẽ Deo in pietate, et ſanctitate. Fieri enim non poteſt, vt ſanctam vitam degamus, niſi prius mundo emoriamur. Scribit enim beatus Petrus de Chriſto: *Qui peccata noſtra tulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt à peccatis liberi, iuſtitiæ viuamus.* Vituli itaque immolatio videtur ſignificare mori peccatis, et ſuſtinere mortem, quæ apud Deum in pretio ſit, quam etiam

[Margin: Vitulus maſculus immaculatus in holocauſtũ, quid ſignificet.]
[Margin: Pſal. 7.]
[Margin: Pſal. 115.]
[Margin: Pretioſa in cõſpectu Dñi mors ſanctorũ ei⁹ quo pacto intelligendũ.]
[Margin: 1. Pet. 2.]

etiam suo aspectu dignetur. Mactabunt enim, inquit, vitulum corā Domino. Sanguinis autem fusio ad altare, vitæ consecrationem, animæq; dicationem in gloriam Dei significet, vt ego quidem arbitror. Excoriatur autem sacrificium, et membratim conciditur. Ac per excoriationē quidem nudatio, reuelatioq; eorū, quæ in nobis sunt, significatur. Per dissectionem verò ad compagines, et medulas vsque Christi sermonem peruenire. *Viuēs enim est sermo Dei, inquit, atque efficax, et penetrātior quouis gladio ancipiti, et pertingēs vsque ad diuisionem animæ, simul et corporis: compaguimq; ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis: neque est vlla creatura, quæ nō manifesta sit in cōspectu illius: sed omnia nuda, et resupinata oculis illius, ad quem nobis est sermo.* Sacerdos verò, ignē accendens, imponit altari frusta concisa cum capite, et pedibus, necnon intestinis ablutis aqua. Suaueolentia enim sunt omnia sanctorum, nihil in se, quod reiectitium apud Deum sit, habentia. Carnes autē typus sint crassioris quodammodo ipsorum, et agentis in corpore vitæ. Veneranda siquidem etiā ipsa, purissimaq; est. Caput autem, mentis signum est. Intestina verò, cogitationum, et desideriorum. Pedes autem, actionis, atq; incessus typus sunt. PAL. Quàm acutus sermo. CYR. Habet tamen in se veritatem, veluti in nebula, ac tenebris micantem. Obscura enim est Lex.*Si autem ab ouibus, inquit, donū eius Domino fuerit ab agnis, et hędis in holocaustum masculum immaculatum offeret, et imponet manum super caput eius, et immolabunt illud à latere altaris ad Aquilonem coram Domino.* Discinditur autem etiā ipsum ablutis intestinis eâdem ratione, qua vitulus. Adferri autem oportere, præcepit, ad altare. Eadem autem fuerit etiā hac de re cōtemplationis ratio. Cœterum habet aliquid etiam diuersum. Mactabatur enim agnus ad latus altaris, Aquilonem versus. PAL. Quænam autem fuerit etiam huius rei ratio? CYR. An nescis, quòd Iudæorum regio magis ad Austrū vergat: cām verò, quæ ad mare Aquilonare est, innumeram gētium multitudinem sortitam esse, regionibus, atque vrbibus distinctam? PAL. Scio. CYR. Figura igitur significat populos etiā ad Aquilonē sitos, sacros Deo fore per id, quod ad partem Aquilonarē agnus immoletur. Idcirco etiam Saluator de Gentium grege prædixit, dicens: *Et alias oues habeo, quæ nō sunt de hoc ouili, et illas oportet me adducere, fietq; vnum ouile, et vnus pastor.* PAL. Intelligo, quid velis. CYR. Porrò Deus vecordiam omnem, segnitiemq; ab eis remouens, qui, quæ præscripta erant, exequi vellent, planiorem quodāmodo, leuioremq; oblationis viam efficit: et per ea, quæ ouibus minora essent sacrificia, peragi præcipit, dicēs: *Si autem ab auibus holocaustum offerat donū suum Domino, et offeret de turturibus, vel de columbis oblationē suam, et offeret eam sacerdos ad altare, et retorquebit caput eius, et sacrificabit sacerdos super altare, et effundet sanguinem ad basim altaris, et auferet vesiculam cum plumis: et proijciet ea apud altare versus

Marginal notes: Excoriatio vituli in holocaustum quid spiritualiter significet. — Dissectio vituli, quid spiritualiter significet. — Heb. 4. — Leuit. 1. — Holocaustū ouis, quid significet. — Holocaustū ouis, cur ad Aquilonē fiebat. — Ioan. 10. — Leuit. 1. — Holocausti auiū ritus, qd significent.

ſus orientem ad locum cineris, et cõfringet illam ab alis, et non diuidet, et imponet illud ſacerdos ſuper altare, ſuper ligna, quę ſuper ignem. Holocauſtum eſt ſacrificij, odor ſuauitatis Domino.* Vide itaque rurſum, quàm pulchrè, artificioſeq; ſancti Chriſti formam præ ſe ferre, atque exprimere ſtuduerint. Eſt enim reuera ipſe cœleſtis, maximeq; ſonorus turtur. Similiter verò etiam mãſuetiſsima columba. Vnde in Cantico canticorum ſcriptum eſt de eo:

Turtur, et columba, typi Chriſti.

Cant. 2. *Vox turturis audita eſt in ſolitudine.* Summæ verò manſuetudinis typum veluti quendam, atq; exemplar ipſum nobis propoſuit, dicens:

Matth. 11 *Diſcite à me, quia mitis ſum, et humilis corde.* Cœterum animaduerte, quo pacto ſancti, vt Chriſti formam referrent, ijſdem quodammodo virtutibus ornati, illuſtresq; eſſe ſtuduerunt. Turtures enim etiam ipſi meritò dicantur, diuinum ſanctumq; auditoribus ſermonem inſonantes, odasq;, et cantus in gloriam Dei concinentes. Idcirco etiam dicunt:

Turtur, typus ſãctorum.

Pſal. 70. *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuã.* Quin etiam vitam in Chriſto degunt, manſuetiſsimaq; euangelicæ vitæ via incedunt: eis, qui eos in

Matth. 5. dexteram maxillam cedere velint, ſiniſtram etiam præbentes: ijs, qui eos adegerint ad milliare vnum, ſpõte concedentes, etiam ſi duo ire velint. Seipſos itaque in odorem ſuauitatis, et in holocauſtum cõſecrant Deo, atque inſtar turturum, et columbarum. Deinde collum contorquens ſacerdos, altari imponit, et affundit ſanguinem. Sancta enim reuera ſanctorum mens, ſanctiſsimo Deo conſecrari debet. Bonis enim cogitationibus referta eſt, et veræ Dei cognitionis vnguento fragrat. *Cogitationes enim iuſtorum iudicia,* ſicut ſcriptum eſt. Quòd verò ſancta etiam ſit vita timẽtium Deũ, manifeſtum fuerit per id, quòd ſanguis ſancto altari affundi debebat. Vitæ enim typus eſt ſanguis. Atqui aufertur quidem auium ingluuies cum alis. Abijcitur enim tanquam prorſus inutilis. Signum autem fuerit etiam hoc manifeſtum vitam ſanctorum a corporea delectatione alienam eſſe debere, vt videantur quodammodo, ne ventre quidem ciborum receptaculo, indigere. Eiuſmodi enim ferè eſt eorum, qui laborioſi in primis ſunt, vita: qui nulla ciborum, pariter et ventris ratione habita, conſumunt carnem, et voluptates enecant, liberiq;, ac vacui ſunt ab omni re mundana, et ſuperflua. Hoc enim arbitror ſignificare, plumarũ abiectionem. Neceſſariæ quidẽ ſunt auibus alæ: quin etiam nobis ea, quę ad terreni huius corporis vſum requiruntur: veſtes inquam, et alimenti inſtrumenta, ac per quæ huiuſmodi comparãtur, pecuniarum, inquã, ſuppeditatio: qua egeſtatem propulſamus: lecti etiam molles, aliaq; his ſimilia. Cœterum etiam ſi commoda hæc neceſſariaq; ſint terreſtribus corporibus, à ſanctis tamen nihili æſtimantur: quin potius tanquam vanam harum rerum poſſeſſionem reijcientes, tantumnon nudis corporibus, et abſque veſtium apparatu, in mundo degunt: ea ipſa, quæ obuia, faciliaque paratu ſunt ad carnis neceſsitatem, ægrè corpori ſuppeditantes. Confractis

Prou. 12.

Plumarũ et ingluuiei abiectio in holocauſto auiũ, quid ſignificet.

Sãcti paruam ventris, et cutis curã gerunt.

autem alis, exemptaq; ingluuie, confringet, inquit, alas: sed non auellet: et deferet ad altare. Porrò fractura alarum, manifestus typus fuerit, sanctorum mentem nequaquam alta cogitare, neque sublimem efferri; sed potius humilem, ac demissam se tenere: et quodammodo inferna quærere. Elata enim semper est superborum mens, atque alta petit: humiliũ consuetudinem non ferens, moderatamq;, et demissam animi constitutionem despiciens. Alarum itaq; fractura arrogantiæ abiectionem figuratè significat. Quòd verò in vniuersum, atque integrè vitam suam Deo consecrarint, non diuulsi ad ea, quæ in mundo sunt, significatur per id, quòd non diuidantur alæ: Diuisos autem esse eos, qui coniugati sunt, sapiens etiam Paulus ait. Sacra igitur est sanctorum mens, sanctaq; vita, et corporalibus oblectamentis superior, ac mundanis curis libera, neque altum cogitans: sed neque diuisa ijs, quæ in mundo sunt. Idcirco etiam in odorem suauitatis cõsecratur Deo. PAL. Ita habet. CYR. Deducit autem sacrificij modos etiam ad minora, ac per totum annum obuia, faciliaq; paratu: laxans, vt arbitror, quodãmodo paruo, et magno, viam ad gloriæ consecutionem. Scriptum est enim: *Quia latum mandatum tuum nimis.* Neque oblationis magnitudine pietas ab optimo Deo æstimatur: sed eodẽ in pretio est cum magno paruus, pro sua facultate dans: eaq;, quę habet ac potest, in honorem Dei conferens. Ita igitur rursum ait; *Si autem anima offerat oblationem, sacrificium Domino, simila erit oblatio eius, et effundet super illam oleum: et imponet super id incensum: sacrificiũ est: et offeret illam ad filios Aaron sacerdotes. Et accipiens ab illa plenũ pugillum à simila cum oleo, et omne thus eius: et imponet sacerdos memoriale eius super altare, sacrificiũ odor suauitatis Domino.* Intelligis itaque, quo pacto offerentis humilitatem respiciat. Animam enim simpliciter, etiam si ignobilis admodũ in hac vita sit, diuina Lex nobis appellat: supremæ nimirum, ac diuinæ naturæ erga omnes æquabilitatem absque vlla exceptione per hoc significans: quemadmodum ferè cum dicit rursum, quòd omnes animę meę sunt. Nulla enim est apud Deum acceptio personarũ. Quocirca si quis eorum, qui mundanis facultatibus non abũdant, Deo offerre velit: similam, inquit, offerat: cœterũ oleo madefactam, thureq; aspersam. Quòd autem simila vitæ typus sit, thus verò suauis operum, ac rectè factorũ odoris, vitæq; ad Legis normam institutæ, longo nobis sermone declaratum est. Oportere igitur, ait Lex, eos, qui in seipsis Deum totius vniuersi oblectare velint, dedicare, ac consecrare vitam suam: nõ labores, qui pro virtute feruntur, cum mœrore, ac tædio subeũtes, (*Neq; enĩ murmuretis, inquit diuinus Paulus:*) sed spirituali odoris suauitate plenam. Tũc enim sacerdos eius memoriale, siue monimentum offeret Deo. Accedemus enim in Christo ad Deum, ac Patrem per spiritualẽ oblationem: vtq; in memoria ipsius constituti simus, consequemur. Per quæ enim præclare agere consueuimus, per ea ipsa declarabimur, quòd et

Alarũ fractura in holocausto auiũ, quid significet.

1. Cor. 1.

Psal. 118.

Oblationes a Deo non æstimantur magnitudine, aut paruitate, sed ex offerẽtis facultate.

Leuit. 2.

Oblationis similæ ritus.

Animæ voce, sacræ literæ, quo pacto vtantur.

1. Cor. 10

et memoria digni, Deoq; cogniti ſimus in Chriſto. PAL. Rectè ais. CYR. Adijcit autem his: *Si autem obtuleris donum, ſacrificium coctũ in furno ex ſimila, panes azymos cõſperſos in oleo, et lagana azyma vncta in oleo. Si autem ſacrificium de ſartagine donum tuum, ſimila conſperſa in oleo, azima erunt: et comminues ea in fruſta, et effundes ſuper illa oleum, ſacrificium eſt Dño. Si autem ſacrificium de craticula donum tuum, ſimila in oleo fiet: et offeres ſacrificium, quod feceris ex his Domino. Si autem attuleris ſacrificium primitiarum Domino, noua comminuta farra, cõminuta Dño. Et offeres ſacrificium primitiarum tuarum, et effundes ſuper ipſum oleum, et impones ſuper id thus, ſacrificium eſt: et offeret ſacerdos memoriale eius de farribus cum oleo, et omne thus eius holocauſtũ eſt Domino.* PAL. Quàm profunda Lex. Dic igitur, quo pacto hec adeò ſubtilia animo pertractãtes, à ſcopo aberraturi non ſimus. CYR. Illud in primis animaduerſione dignũ eſt, quo conſilio, artificioq; Lex vtatur. Omnium enim moribus ſe accõmodat, et quod exile etiam admodũ eſt, ſuſcipit: ſuauitatemq; odoris, atq; hilaritatem ei tribuit. Audi enim Chriſtum etiam alibi dicentẽ: *Quiſquis dederit potum vni fratrum horum paruorum, poculum frigidæ tãtùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, quòd nõ perdet mercedẽ ſuam.* Eiuſmodi quid etiam illinc exiſtimare oportet legiſlatoris bonitatem conuenientibus ipſi laudibus celebrandam. Neque enim auerſatur, vt dixi, etiam ſi quis velit rebus facillimis paratu Legis præſcripta exequi: ſiue enim panis ſit, inquit, ſiue placenta, ſiue ex furno, et ex ſartagine, et frixorio: ac nequaquã quidem ex tritico, farra autem ſint, et comminuta, hoc eſt, farina ex leguminibus, oleoq; madefiat oblatio, atque inſuper thure aſpergatur. Videtur autem ferè ſermo in his, per ea, quæ igne adhibito, multoq; labore fiunt, necnon per trituram, ſanctorũ laudem nobis ſignificare: furnus enim, et focus, eaq;, quæ mola comminuũtur, ſigna planè ſunt eorum, quæ tritura ac labore explorantur, veluti per ignem. Idcirco etiam exclamarunt, qui vſque adeò glorioſa via tranſierunt: *Quia probaſti nos Deus, igne examinaſti nos, ſicut examinatur aurum.* Quin etiam diuinus Dauid ita nobis canit: *Cor contritum, et humiliatum Deus nõ deſpiciet.* Quòd verò ij, qui huiuſmodi laborum periculum ſubierunt, bono Chriſti odore præditi ſint futuri, et Spiritus gratia delibuti, manifeſtũ fuerit ei, qui thuris, et olei vſum cõſideret. An non enim ſubtiles quaſdam figuras, atque vmbras Lex præ ſe fert? PAL. Omnino. CYR. Nos ipſos itaq; Deo offeremus, ſi quidem peccato mortui fuerimus, ſanctãq; hãc mortem ſpiritualiter ſuſtinuerimus, viuẽtes iuſtitiæ, iuxta id, quod ſcriptum eſt: atq; inſtar ſacrificij priuatam noſtram vitam conſecraueri mus immaculatam, pietatiſq; gloria decoram. Hoc enim ipſum ex alijs etiã legibus intelligemus. In Leuitico enim ita ſcriptũ habetur: *Si autẽ ſacrificiũ ſalutaris oblatio eius Dño, ſi quidẽ ex bobus ipſe obtulerit, ſiue maſculum, ſiue fœminam, immaculatum

Oblationis placẽtarum ritus.

Matt. 10.

Tritura, furnus, focus, typus ſunt laborũ, quos ſancti ſubeunt.

Pſal. 65.

Pſal. 50.

1. Pet. 2.

Leuit. 3. Oblationis ſacrificij ſalutaris ritus.

latum adducet illud coram Domino: et imponet sacerdos manus suas super caput doni, et immolabit illud apud ostium tabernaculi testimonij. Et effundent filij Aaron sacerdotes sanguinem super altare holocaustorum in circuitu: et adducet de sacrificio salutaris holocaustum Domino, adipem operientem ventrem, et omnem adipem qui super ventrem, et duos renes, et adipem, qui super ipsos, qui super femora et reticulũ, quod super iecur cum renibus aufe ret: et referent ea filij Aaron sacerdo tes super altare, super holocausta, su per ligna, quæ super ignem, oblatio nem in odorẽ suauitatis Domino.* Immaculatus itaque vitulus. Mundos enim esse decet, omniq; macula liberos, qui in odorem suauitatis ad Deum conscendere velint. Occidebatur autẽ ad ipsa sancti tabernaculi ostia, impositis ipsi manibus offeren tis. Et quænam sit huius rei ratio, apertè dictum est. Offerebatur verò in sacrificium adeps, qui super ventrem, et duos renes, exempta vnà cũ ipsis pinguedine, qua inuoluti sunt, et reticulum iecoris. Atqui adeps, qui super ventrem, significauerit, mea quidem sententia, bonum quodammodo mentis habitum, pingue dinemq; viscerum optimè nutritorum spirituali cõmeatu. Bona enim nutritio animalibus rationis expertibus, necnon humanis corporibus pinguedinem conciliat. Diuinorum autem donorum participatio omni bono sanctorum mentem implet. Idcirco etiam sacri, et in odorem sua uitatis sunt electi à Deo. Renes autẽ typus sunt facultatis discretiuæ, quę in mente sita est: cuius adminiculo

Renes, typus sũt facultatis discretiuæ.

ea, quæ noxia sunt reijcit: quę verò vtilia ac salutaria amplectitur. Scribit autem etiam diuinus Paulus: *Omnia probãtes, quod bonum est tenete: ab omni specie mali abstinete.* Quando igitur renes discretiua in corpore pars sunt (discernunt enĩ optimè superflua, id quod bonũ, vti leq; est naturæ applicantes, artificio seq; distribuentes, quibus, ac quantum distribui oportet) meritò ad mẽ tis discretionẽ renes transferemus. Sacri igitur, et donarium Deo sunt, sanctorum renes, hoc est, ea, quam in mente habent, discernendi vis. Ex perti enim trapezitę sunt ij, qui Deo addicti sunt, reprobãtes quidem id, quod prauum est, amplectentes verò, quæ vtilia sunt. Hoc pacto arbitror etiam diuinum Psalmistam prę clarè agere solentem ad Deum clamasse: *Quia tu possedisti renes meos.* Reticulum verò iecoris nihilo minus nobis significat, aut animæ operationem, siue mentis motum, quò feruntur ad cupiditates. Porrò nonnulli, qui huiusmodi res diligen tius inquirunt, affirmant omnibus animalibus cupiditatis sedem in hepate sitam esse. Cõsecrandum itaq; Deo etiam hepatis reticulum, hoc est, ipse quodammodo omnis nostrę cupiditatis fons, iuxta Psalmistam canentem: * Domine aduersum te omnis concupiscentia mea.* Gloriatur autem quis in seipso, ac venerandam à Deo, admirandamq; vocem cantat, si ea solùm: quæ Deo placent, appetat: eaq; desideret, quæ ipsi fieri vult. PAL. Assentior. Rectè enim sentis. CYR. Porrò de oue, et capra eandem legem statuit: eosdemq; sacrificij modos præscribit, animaliũ nimi-

1. Thess. 5

Psal. 138.

Reticulũ iecoris, quid significet.

Hepar, nõnullis cupiditatis sedes visa est.

Psal. 37.

nimirum in magnitudine differentia, eorum, qui Deo offerre ſolent, pietatis præſtantiæ menſuram ſignificante. Hic enim abundè, atque eximiè, vt per vitulum intelligi poteſt: alius autem medio quodammodo, vt per ouem: alius verò, adhuc inferius. Minor enim eſt capra oue. Atque hoc quidē eſt, terram fertilem reddere centum, et ſexaginta, et triginta, iuxta parabolam euāgelicam. PAL. Ita ſentio. CYR. Quòd verò non æqualia cuiuſq; rectè factis præmia ſint referenda, pareſq; laboribus mercedes iјs, qui viriliter egerint, à Deo tribuendæ, Saluator ipſe teſtatur, talenti diſtributionem nō æqualiter fieri dicens. Conſtituens verò ex iјs, qui præclarè rem geſſerint, hunc quidem ſuper decem vrbes, hunc autem ſuper quinque. Expenditur enim ad libellam quodāmodo vniuſcuiuſque vita, et æqualis cuiuſque pietati merces decernetur. Neque aliud quid, quàm dixi, etiā ipſa per Moyſen edita Lex nobis demōſtrauerit. Inquit enim rurſum in Numeris: *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicēs: Loquere filiјs Iſraël, et dices ad eos: Quando intraueritis in terram habitationis veſtrę, quam ego do vobis, et facietis oblationem Domino, holocauſtum, aut ſacrificium ad magnificādum votum, aut voluntarium, aut in feſtiuitatibus veſtris, vt faciatis odorem ſuauitatis Domino: ſi quidem de bobus, aut de ouibus, et offeret offerens donum ſuum Domino, ſacrificium ſimilæ decimam partem ephi confectæ in oleo in quarta hin, et vini libationem, quartam partem hin facietis in holocauſtum, aut in ſacrificium: agno vni facies tantam oblationem, odorem ſuauitatis Domino: et arieti, quando feceritis eum in oblationem, aut in ſacrificium, facies ſacrificium ſimilæ duas decimas confectæ in oleo tertiam hin, et vinum in libamen tertiam hin offeretis, in odorem ſuauitatis Domino. Si autem de bobus feceritis in holocauſtum, aut in ſacrificium, ad magnificandum votum, aut in ſalutare Domino, et offeret ſuper vitulum in ſacrificium ſimilæ tres decimas confectę in oleo dimidium hin, oblationem in odorē ſuauitatis Domino. Sic facies vitulo vni, aut arieti vni, aut agno vni, ex ouibus, aut ex capris iuxta numerum eorum† quæ feceritis, ſic facietis vni†. Omnis indigena faciat ſic in offerendo oblationem in odorem ſuauitatis Domino. Si verò aduena in vobis fuerit, in generationibus veſtris, et faciet oblationem in odorem ſuauitatis Domino, quemadmodum facitis vos, ſic faciet congregatio Domino. Lex vna erit vobis, et aduenis appoſitis inter vos. Lex ſempiterna in generationes veſtras: ſic vos, et aduena eritis coram Domino. Lex vna erit, et iuſtificatio vna erit vobis, et aduenæ appoſito inter vos.* PAL. Atqui quo pacto æqualitas, vt dicis, hac in re obſeruetur, videamus. CYR. An nō audis Legem manifeſtè dicentem, quòd ſi quis velit implere vota, aut holocauſta, ſi quidem agnum ſacrificauerit, decimam ephi partem ſimilæ, vini, autem, et olei quartā partem hin (menſuræ autē hę iuxta Hebraicam phraſim ſunt) adferant ad adolendum? Si autem aries fuerit, inquit, plus ad hoc requiritur, hoc eſt, tertia pars.

Minus

Matth. 3.

Præmia, et mercedes, quo pacto Deus referat.

Luc. 19.

Num. 15.

† Nō eſt in Cyrillo.

Minus enim est quarta pars mensuræ, quàm tertia. Si verò vitulus offeratur, similæ et aliarum rerum, maior quàm tertia pars mensurę requiritur, nimirum medietas. PAL. Audiui. Sed quid hoc sibi vult? CYR. Scis autem omnino, quòd vitæ quidem typus sit simila frumentacea: lætitiæ verò oleum. Scriptũ est enĩ:
Psal. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* Gaudij verò intellectualis, superni nimirum ac per Spiritum, typus est vi-
Ibidem. num. *Vinũ enim, inquit, lætificat cor hominis.* PAL. Intelligo. CY. Pro eorum itaque, quæ offeruntur, modo, atque mensura, vita cum hilaritate, et gaudio suppeditatur, atque compensatur. Neque verò dicimus, quòd in vita, aut viuificatione maius, aut minus apud Deum sit; (Mera enim nugacitas ea esset,) vita autem dicentes, splendorem vitæ intelligimus, quo nimirum quis alterum antecellet, aut ab alio superabitur: cęterum non omnino honore, et glo-
1. Cor. 15. ria caret. *Stella enim à stella gloria differt.* Differentia itaq; sacrificiorum typus est gloriæ, quæ in sanctorum vitis lucet, quantitate nimirum eorum, quæ ad quodq; sacrificium requiruntur, gloriæ modum atque mensuram nobis describente. Quòd verò gentes vnà cum ijs, qui ex sanguine Israël vnum Saluatoris iugũ subituræ essent, quodq; ad eorũdem sacrificiorum vsum, ac spiritualem laudem ducendæ essent, ostendit, dicens: aduenam non debere alijs legibus vti. Vna siquidem omnibus via proposita est ad familiaritatem cum Deo, ac Patre consequendam; Christus nimirum, quemadmodum no-
Act. 4. bis Petrus ait: *Non est aliud nomẽ

Gẽtes, et Iudæi, sub vnũ iugũ redigẽtur.

sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluari.* PAL. Quàm pulchrè, artificioseq; sermo procedit. CYR. Quòd verò nihil dissentaneum à veritate dicturi simus, si affirmauerimus diuersos esse gloriæ modos, tribuiq; á Deo mercedes vniuscuiusque modulo cõsentaneas sapientissimus nobis Paulus declarauerit, dicens: *Qui parcè seminat, 2. Cor. 9.
parcè mettet: et qui seminat libẽter, ac benignè largiendo, copiosè messurus est.* Præclamauit etiam nobis alibi Dauid: *Et retribuet mihi Do Psal. 17.
minus iuxta iustitiam meam: et secũdum mũditiem manuum mearum, reddet mihi.* An non enim longè diuersam esse censes iustitiam Pauli ab aliorum, qui tales non fuerint? Cuiusmodi enim is fuisse existimandus est, spirituali, inquam, robore, qui apertè proclamare potuerit:
*Mihi verò non contingat gloriari, Gal. 6.
nisi in cruce Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* PAL. Ita est. CYR. Quid verò? Nonne aliam esse fatebimur puritatem manuum Ioannis præ aliorum, qui adhuc in exordijs vitæ euãgelicæ subsistunt? PAL. Fatebimur certè. Quis enim neget? CYR. Præterea cum iustus sit vniuersorum iudex, exigetne à nobis iustitiam sanctorum virtutibus similem, planeq; æqualem? An potius roboris, quo præditi sumus, mensura explorata, nihil amplius, quàm quod quis habeat, ac præstare posit, requiret? PAL. Ita aio. Sic enim Christus ipse dixit, quòd *cui multum datũ est,
multum requiretur ab eo.* Manife- Luc. 12.
stum autem est, quòd vice versa, parum petetur ab eo, qui minus acceperit.

Gloriæ, varij sũt modi.

Iustitia a nobis exigitur, viribus nostris consentanea

perit. CYR. Vide itaque rem in Lege deſcriptam, Deumq; pro cuiuſq; modo, ac menſura exigentem. Cum verò ineffabili clemẽtia preditus ſit, omniſq; benignitatis fons, atque origo, neminem quidem eorũ, qui per fidem ipſum accedunt, arcet: admittit autẽ vnumquenque cum ijs, quæ habet: et ſpirituales oblationes ſuſcipit: id, quod vires noſtras ſuperat, omnino reſpuens. Lex verò in Leuitico hac de re ita habet: *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſraël, et dices ad eos: Homo, qui vouerit votũ in pretiũ animæ ſuæ Dño, erit pretium maſculi à viginti annis vſque ad ſexaginta annos, erit eius pretiũ quinquaginta didrachma argenti, menſura ſancta: at fœminæ erit pretiũ triginta didrachma. Si autẽ à quinq; annis vſq; ad viginti annos, erit pretium maſculi viginti didrachma: at fœminæ decẽ didrachma. Ab vno verò menſe vſque ad quinq; annos, erit pretium maſculi quinq; didrachma argenti: at fęminę tria didrachma argenti. Si autem à ſexaginta annis, et ſupra, ſi quidẽ maſculus fuerit, erit pretium eius quinque et decem didrachma argenti: at fœminæ decem didrachma. Si autẽ pauper fuerit, ad æſtimationem ſtabit coram ſacerdote, et appretiabit eum ſacerdos, quẽadmodum poteſt manus eius, qui fecit votum, ſic appretiabit illum ſacerdos.* Accedebant enim nonnulli deſcribẽtes ſe ipſos in ſanctificationem et donariũ Deo, conſecranteſq; libenter pręfinitam à Lege didrachmarum quantitatem. Si verò quis eſſet parùm generoſus, aut nobilis, non iam ex Legis præſcripto ꝑſolutio fiebat. Aeſtimante verò ſacerdote, qui tum temporis ſacris præeſſet, pecuniaria pœna pro ipſius modulo ipſum cenſebat. Atque hoc quidem eſt planior literæ explicatio, ac ſenſus. Porrò neceſſarium eſſe, arbitror, eos, qui ſacris ſermonibus præſunt, commonefacere, quod Chriſtus aliquando Phariſæis dixit, atque huius præcepti manifeſtè, clareq; monuit. Hi enĩ vanam quandam, neque Legi conſonam vitam inſtituentes, et docentes doctrinas, pręcepta hominum, ſicut ſcriptum eſt, accedebãt, dicentes: *Quare diſcipuli tui, trãſgrediũtur præceptum ſeniorum? Neque enim abluunt manus ſuas, cum edunt panem.* Saluator autem extemplò eis reſpondit, dicens: *Quare et vos tranſgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtrã? Nam Deus præcipit, dicens: Honora patrem tuum, et matrem tuam, vt bene ſit tibi. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, et matri: Donum, quo à me iuuaberis, ſacra res eſt, non honorabit patrem ſuum, et matrem ſuam: et irritum feciſtis præceptum Dei propter traditionem veſtram.* Cum enim Phariſæi ſtudioſi admodum pecuniæ, attentiq; ad rem eſſent, quamplurimos ad hanc ſecundum Legem deſcriptionem aſpirare cupiebant, vt nimirum marſupia ſarcirent, à ſingulis eorum, qui accedebant, pecuniam inſatiabili manu corradentes. Cœterum par erat tergiuerſari nonnullos, eamq; deſcriptionem renuere, paupertate nimirum, ac quidem iuſtiſsimè, ſeſe excuſantes, ac neceſsitate ſubueniendi patrum, ac matrum ſenectuti: eaq; de cauſa ſe non abſque multo labore

Leuit. 27

Matt. 15.

Donum quod a me acceperis. &c quo pacto intelligendũ. Matt. 15.

conferre posse. Impij verò Pharisęi, eos, vt prompto animo sese consecrarēt, incitabāt: nequaquam rectè sentientes, neque Legis voluntatē exequentes, quæ nimirum, vt debitum parentibus cultum præstemus, benignitatemq; erga eos exerceamus, iubet: at potius Legis obseruationi valedicere iubentes; (Cum enim Lex eos accusaret, atq; dānaret, qui sibi vsurparent ea, quæ in gloriam Dei oblata essent, cumq; dona vocarentur, quæ Deo consecrata erant,) docuerunt dicere parētibus subsidium ab ipsis petentibus: Donum, quo ex me iuuaberis, hoc est, quod ego tibi darem, donum, siue res consecrata est: et scito, te Legem offendere, ea, quæ in gloriam Dei dicata sunt, furans, impieq; subripiens. Porrò inhumanitatem, qua aduersus parentes suos vtebātur, culpa vacare affirmabant, turpissimarum ipsis inuentionum authores, qui nimirum eis, vt Deo potius facultates suas consecrarent, suadebāt. Hoc, vt arbitror, est: Quicunq; dixerit patri suo, aut matri suæ: donum, quod à me est, hoc tibi proderit, non honorabit patrem suum, aut matrem suā. Liceat enim non honorare patrem, neq; matrem reuereri ijs, qui dicunt: Donum, quo ex me iuuatus fueris, hoc est: Id, quod tibi dans, iuuerim fortasse, hoc ipsum diuinum est: et sacrorum donariorum subreptor, ac fur es futurus. PAL. Rectè, ac verè dictū aio. CYR. Cum itaq; rudis historiæ sensus minimè iam obscurus sit, eamus ad spiritualia: et cōtemplationem rerum, nequaquā sub sensus cadentiū, aggrediamur. PA. Age igitur. CY. Vnusquisque nostrum, Palladi, qui in fide iustificati, et in Spiritu sanctificati sumus, sacrum donarium effectus est Deo. Debemus autem Deo propriam quisque vitam. Quēadmodū enim diuinus Paulus ait: Pretio empti sumus, et nō sumus nostri ipsorū, et vnus pro omnibus mortuus est: vt qui viuūt, nō amplius sibi ipsis viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Acquisiuit enim nos per seipsum Deo, et Patri, pretiū veluti quoddā pro nobis persoluens suum ipsius sanguinem. Accedimus itaq; ad cōmunem omnium Saluatorem Christum per fidem, et sanctitatem, offerentes retributionem eorū, quæ in nobis ab ipso proueniūt, cōsecrationē vitæ in pietate. Cæterū varius meritò, neq; vniformis censendus est oblationis modus. Quidam enim, nō admodū vehemēter: alij verò, summa animi alacritate, mētisq; feruore, et validissimo impetu, ad ea exequēda ferūtur, quæ Deo placent. Sint verò hi, iuxta id, quod ex historia significatur, qui in ea ætate, quæ ab anno vigesimo ad annū sexagesimū vsq; est, sunt cōstituti. Procedit enim, et viget robur corporis ad sexagesimū vsq; annū, mensq; valida est, atq; optimè cōparata ad omnia, quæcūq; velit, percipiēda. Qui verò nouit ficturam nostrā, sicut scriptū est, exploratū omnino habet, cuiusmodi etiā sit animarū nostrarū constitutio, atq; ætas. Siquidem similitudine corporaliū ad spiritualia sermo ꝓcedit. Siue igitur masculus sit, siue fœmina in vigore ętatis adhuc cōstituta, offerāt ea, quæ pręscripta sunt: hoc est, masculus, veluti in didrachmis quinquaginta ꝑfectissimū, omnibusq; numeris absolutū spiritualis cultus

Iustificati per fidē vitam suā Christo debēt

cultus

cultus fructum, qui per ſepties ſeptẽ abſolutiſsimus, perfectiſsimusq; eſſe apertè probatur. Fœmina verò veluti in didrachmis triginta (minor enĩ eius eſt, quàm maſculi gloria) offert tamen; veluti ſecundum propriam ſuam naturã, fructũ in perfectione, et labore, qui per tres decades ſignificatur. Qui verò à quinto anno ad vigeſimum vſq; eſt cõſtitutus, ſi quidẽ maſculus ſit, viginti didrachma cõſecrat. Si verò fœmina, decem. A quinto enim, arbitror, vixdũ anno incipit quodãmodo mens ad intellectũ ſeſe attollere; puerilem quidẽ illũ, atque imbecillem: cœterũ paulatim ad melius ꝓcedentẽ. Corpus verò ſemper roboris incremẽta accipit. Intelligisne, quod dico? PAL. Optimè. CYR. Appẽditur itaq; et cõmẽſuratur ſpirituali robori vniuſcuiuſq; fructus. Inferior autẽ eſt in omnibus fœmella maſculo: ac ſæpenumerò toto dimidio. Quòd enim vas imbecillũ ſit, diuinus Paulus manifeſtè teſtatus eſt.
1.Cor.14 Multũ enim ab indole virorũ diſtat: ac tacet quidẽ in ecclesijs, neque loquẽdi authoritate prædita eſt. Neq; verò robuſta ſatis, ac valida eſt ad virtutis exercitationẽ, quẽadmodũ vir.

Fœminei ſexus debilitas, præ maſculo.

A quintò autẽ menſe, inquit, vſq; ad quintũ annum maſculus quinq; didrachma conſecret: fœmina verò, tria. Quis enĩ ab infantibus fructus exigatur? Recens itaq; in Chriſto natum infantẽ ſermo nobis ſignificat: quibus lac cõuenire in cibũ D. Pau- Hebr.5. lus dixit. Eorum enim, qui recenter vocati ſunt ad fidẽ, et infantes adhuc ſunt, exiguus eſt fructus. Cuius rei nõ ignari ſancti diſcipuli ijs, qui ex Gẽtibus erant, præcipiunt (cum alioqui quamplurima euangelica præcepta à Chriſto tradita eſſent) vt abſtinerẽt à ſtupro, et ſuffocato, et ſangui- Act.15. ne: atq; hoc præſtãtes rectè facturos dicebant. Neq; enim grauiori pondere onerari oportet teneram adhuc, et puerilem mẽtem. Adijcit autẽ Lex à ſexageſimo anno, et vltra, exigi debere: à maſculo quidẽ, quindecim didrachma: à fœmina verò, decẽ. Quod enim iam ad imbecillitatem, debilitatemq; vergit, nõ omnino ſterile iudicandum eſt, quemadmodum ferè ſeneſcentes arbores veteraſcẽte ipſarũ radice, ſegnius fructus proferũt. Iuſtus itaque reuera, et miſericors Deus cõuenienter pro vniuſcuiuſq; habitu, aptitudineq;, ac diſpoſitione mentis, fructus capit. Neq; id, quod imbecillum eſt, atq; ad ſenectutẽ vergit, deſpiciens, atq; reijciens tanquã vile: neq; verò id, quòd robuſtũ eſt, premij expers relinquens. Latam autem quodammodo viam ſternẽs ijs, qui ad gloriam cõtendere velint, ſuo quemque modulo æſtimat. Ijs verò, qui imbecilliore habitu ſunt, ipſe oblationem viribus eorum parem ſtatuet. Hoc enim, vt arbitror, eſt: Stabit corã ſacerdote, et æſtimabit eum ſacerdos, quẽadmodum poteſt manus eius, qui votũ fecit. PAL. Quã ſubtilis ſermo. CYR. Offerẽda itaq; eſt, Palladi, Deo, veluti in odorẽ ſuauitatis, atq; inſtar debiti, ſanctimonia, eximiæq; vitæ gloria. Audi verò quendam ſanctorum ita dicentẽ: *Honora Dominũ iuſtis laboribus Prou.3. tuis: et primitias offer ei à fructibus iuſtitiæ tuæ.* Veteres enĩ illũ boum victimis, et ſuffitibus colendum putabant. (Siquidẽ hæc legalis cultus eſt via.) Nos verò in Chriſto per fidem lõgẽ meliore, præſtãtioreq; via ince-

incedentes, cultum in spiritu, et veritate cōsecrabimus Deo: omnem quodāmodo rudentem mouētes, ad ea, quæ oportet, fortiter præstanda: et ad Deum spiritualibus, sanctisq; donarijs colendum. Siquidem meminisse nos oportere censeo ipsius per Moysen manifestè dicentis: *Quæ egressa fuerint de labijs tuis, serua: hoc est: quod voueris, præsta: et quidem velociter: Neque enim cunctatio in eiusmodi rebus damno vacat. Si enim voueris, inquit, votum Domino, ne tardaueris reddere. Præstat enim te non vouere, quàm vouere, et nō præstare.* PAL. Ita est. CYR. Porrò elegantissimum artificij modum ad exequenda vota, et cōfessiones, non aliunde quisquam rectè dixerit, præterquam ex Lege. Scriptum est enim: *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumē semitis meis.* An non enim diuinæ legis luce ducimur, facileq; quis recta via absque aberrando insistat, veluti lucernam quandam eius splendorem præ se ferens? PAL. Quis dubitet? Psallit enī alibi etiam diuinus Dauid: *Mandatum tuum longè splendens, illuminans oculos.* CYR. Quanam igitur ratione illustres futuri simus, laudabilem, purissimamq; vitam agentes, et splendidum donarium pietatem nostram Deo consecrantes; facilè quidem, aperteq; intellexeris ex alijs oraculis, ac præceptis nobis à Deo editis. Ita verò in Numeris habetur: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicēs: Loquere filijs Israël, et dices ad eos: Vir, aut mulier quicunque vouerit votum, vt sanctificetur sanctificationem Domino, à vino, et sicera sanctificabitur. Acetum ex vino, et acetum è sicera non bibet. Et quæcunque operantur ex vua, non bibet. Vuam recentem, et vuas passas non comedet omnibus diebus voti sanctificationis suę. Quęcunque fiunt ex vitibus, vinum ab vuis vsque ad acinum nō comedet omnibus diebus voti sanctificationis suæ. Nouacula nō transibit super caput ipsius, quousq; impleantur dies, quos vouit Domino. Sanctus erit nutriens comam, capillum capitis omnibus diebus voti Domino. Super omnem animam mortuam non introibit, super patrem, et matrem, et super fratrem, et super sororem, nō polluetur in eis, mortuis illis, quia votū Dei super eum, et super caput eius omnibus diebus voti sui, sanctus erit Dn̄o. Si autē quis morte moriatur subitò super eum, statim polluetur caput voti sui, et radet caput suū, in qua die mundatus fuerit. Die septimo radetur, et die octauo offeret duos turtures, aut duos pullos columbarum ad sacerdotē super ostia tabernaculi testimonij. Et faciet sacerdos vnā pro peccato, et vnā in holocaustum; et propitiabit pro eo sacerdos, pro quibus peccauit, pro anima; et sanctificabit caput eius: In illa die sanctificatus est Domino omnibus diebus voti. Et adducet agnū agniculum in holocaustum delicti. Et dies priores innumerati erunt, quia pollutum fuit caput voti sui.* PAL. Facilè quidem est intellectu præceptū, nisi aliquam subtilem in se contemplationē habeat. Neq; enim radi capillū, sed promissam comam nutrire: præterea abstinere à vino, et aceto, vuaq;, et acinis, qualemnam in se cultus rationem habet? CYR. Nullum

Marginalia (left column): Deut. 23. — Vota cito persoluenda. — Psal. 118. — Psal. 18. — Num. 6. — Lex de voto sanctificationis Domino.

lum profectò, Palladi, si quidem res per se, ita vt est, secundum suam naturam consideretur. At verò Legis scopus, atq; mens, digna est animaduersione, quippe quæ artificiosè Græcorum mores ad normam, melioremq; statum reuocet, et ad figuram vitæ euangelicæ trásferat etiam id, quod vanum, atque absurdum videtur. Si quis igitur iuxta magnum votum sese Deo consecrare voluerit, hoc est, iuxta supremę vitę modum ad perfectam iustitiam, rectamq; atque inculpatam viam tenendam, à vino et sicera in vniuersum abstineat, hoc est, ab omni eo, quod inebriare solet et contaminare, mẽtem suam liberam seruet. Sint autẽ hæc, vt arbitror, cogitatio mundana, terrenaq; desideria, curę carnis, vanęq; occupationes. Ac quidem eiuscemodi vitijs nonnullos sacerdotum affectos propheticus sermo lugebat, ita dicens: *quòd sacerdos, et propheta emoti sunt propter vinum, ab ebrietate siceræ.* Et de alijs quidem Propheta ait: *Ex vite enim Sodomorũ vitis ipsorum, et palmes eorũ ex Gomorra: et vua eorum, vua iræ, racemus acerbitatis ipsorum, furor draconum vinum ipsorum.* Potare autem dicuntur etiam alij quidam subuersionem turbidam. Aliena itaque à sanctorum mente esse vult omnia, quæ inebriandi facultate prædita sunt. Quin etiam ab aceto abstinere oportere, optimè ait. Acetum, vt arbitror, voluptates naturæ repugnantes, atque abominãdas vocans. Vuæ verò passę, et acinorum etiam vsum vetat, ne tantillum quidem ad veterum voluptatum reliquias mentem redire permittens. Vinũ igitur, omniaq;, quæ ex ipso fiunt, per Legem vetita sunt, hac sola, vt ego quidem arbitror, et non alia de causa. Reliquum est, vt, quid oblõgam Deo comam nutrire debere significet, dicamus, illud præfati. Stolidissimi Græcorũ filij moribus naturæ repugnantibus addicti, atque instar brutorum rationis expertium viuentes, demittebant comam, dæmonibus eam nutrientes, atque hic quidem nymphis Oreadibus: alius autem flumini abradebat, atque hoc religio quædam, ac ritus ipsis erat. Porrò Moyses, aut potius sapientissimus, optimusq; artifex Deus, cum Israëlitæ ægrè admodum ab Aegyptiacis erroribus discederent, similia eis sanxit, per veteres ritus, ac modos paulatim transferens ad exhibendum non iam dæmonibus, sed totius vniuersi Deo, veluti per typum, ac figuram, cultũ. Idcirco etiam leges de victimis statuit, et sacrificia sanguinolenta inuoluntariè suscepit, clareq; per vocem Esaiæ dixit: *Quis enim requisiuit hæc de manibus vestris?* Stoliditas itaque illa Græcorum fuit. Docet autem præstantiora Lex: quodq; absurdum videtur in Græcorum sacrificijs, in melius immutat. Placetne verò, vt de singulis, quoad eius fieri poterit, particulatim, explicateq; dicamus? PAL. Omnino. CYR. An nescis, (memini id à me dictum) caput esse typum mentis, vtpote eius domicilium? Ita enim sacra scriptura probat. PAL. Assentior. Quid igitur hoc? CYR. Quòd capilli quidẽ sunt fructus capitis, atque instar naturalium germinum ex eo oriũtur. Cogitationes vtique, et omnia, quæ ex mente procedunt, sunt fructus

Ii 3 men-

Vini, et siceræ, et aceti vsus cur cõsecratis vetitus.

Esai. 28.

Deut. 32.

Acetum, typus voluptatũ naturæ repugnãtium.

Vuæ passæ, et acini, voluptatũ reliquias significãt.

Comæ nutritio consecratis præscripta, quid significet.

Græcorũ stoliditas in nutriẽda coma dæmonibus.

Esai. 1.

mentis, capillitium nobis pullulantes, et quodammodo pulchra, floridaq; coma ornantes. Oportet itaq; nos, non nuda, ac bonis cogitationibus vacua, ac veluti abrasa mēte prę ditos esse, sed tanquam pullulante, Deoq; comam nutriente, accuratā nimirum optimarum rerum cognitionem, per quam ipsam diuinam pulchritudinem, quænam sit, inquirit: splendideq; ea, quæ veluti in profundo latent, intuetur: rectitudineq; sermonum locupletatur, ita vt syncc ram omnino de Deo cognitionem nanciscatur: rectissimaq; via ad gloriam contendat. Nonne enim ad fastigium laudis eiuscemodi hominē peruenisse censueris? PAL. Maximè. CYR. Quid verò abrasio et detonsio capitis, præciso à cute capillo, an non ignominiæ notam ei inusserit, qui ita incesserit? PAL. Omnino. CYR. Dicente enim Deo ad Iudæorum matrem, Ierusalem inquā: *Radere, et tōdere propter filios delicatos tuos. Dilata caluitium tuum sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt à te.* Ignominiosa vtique est, ac dedecens abrasio, et lugentibus conueniens. PAL. Rectè ais. CYR. Nuda itaque, et vilissima est mens, et turpitudine plena, quæ nihil in se admiratione dignum habet. Numerentur verò inter hos, et quidem meritò admodum, vecordes quidam, quiq; corruptam de Deo opinionē habent, ita vt saxa adorent: imprudenterq; audeant cultum soli creatori debitum, creaturis deferre: omniaq; veritati repugnantia cogitare, simul ac dicere: et veram quidem, inculpatamq; fidem reijcere: aliorum verò stolidæ loquacitati acquiescere, ideo quòd mentem bonis cogitationibus comatam nō habeat. PAL. Optimè ais. CYR. Sit igitur rectis cogitationibus referta mens, veluti coma ornata. Prudens enim eiusmodi est, optimeq; comparata ad illuminationem in fide per Christum consequendam. Eum verò, qui adeò pulchram, eximiamq; vitam exercuerit, quiq; eiusmodi mente prædi tus sit, quàm longissimè ab omni re, quæ contaminare possit, discedere debere diuina lex præcipit, et à carnalibus operibus desiscere, ac quæcunque ad mortem, atque interitū vergunt, procul abijcere. Idcirco nō oportere accedere ad mortuos, neque super mortuo contaminari omnino nobis subinnuit. Vetat enim huiusmodi omnia Lex: Deiq; voluntatem patrum reuerentiæ præfert. Ad patrem enim, inquit, et matrem non ingredietur. Nam in virtutis exercitio valedicendum est carnali amori, ac Dei potior est habenda ratio, quàm coniunctionis sanguinis: quod et ipse Christus testatur, inquiens: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Quòd verò ea, quæ ad Deū pertinent, parentum cultui præferenda sint, ipse etiam Saluator nos docuit. Accedente enim quodam ad eum, qui iam inter apostolos accensus erat, ac dicente: *Domine, sine me primùm abire, et sepelire patrē meum, respondit: Sequere me. Et sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* Mortuos, vt opinor, vocans eos, qui mūdanis cogitationibus vacant, et ab operibus mortuis non desistunt. PAL. Ita est. CYR. Hic igitur est modus purissimæ, eximiæq; vitæ,

Abrasio capitis, ignominiosa est.

Mich. 1.

Matt. 10

Matth. 8

vitæ, iuxta Legem: imò verò in Spiritu, et veritate. Vmbra enī eſt Lex. Cœterum ſi cōtigerit, inquit, ſuper mortuo contaminari eum, qui ſanctificatus ſit, tūc demum tōdeatur, et radatur caput, quippequi iam comam ſuam polluerit. At octauo die offeret par turturum, aūt duos pullos columbarum. Offeret autē etiā, inquit, agnum immaculatū, et dies priores non cōputabuntur, quia pollutum erat caput voti ſui. Si enim contigerit ſanctificatum præ ſua vecordia à recto abduci, et mortuis operibus contaminari, ad ea, quæ carnis ſunt vergentem, neceſſe planè fuerit, eum puriſsimæ vitæ gloriam perdere, ignominiamq; capiti ſuo conciliare. Tale enim quid ſignificat abraſio. Cùm autem in caſſum præterito tempore laborarit, laborum ſuorum iacturam lugebit. Hoc enim, vt arbitror, eſt, quòd dies priores non ſint computandi. Eiuſmodi quid etiam per vocem Ezechielis inquit: *Iuſtitia iuſti non liberabit eum, quocunque die errauerit: et iniquitas impij non nocebit ei, quocunque die ab iniquitate ſua ſe conuerterit.* Quocirca ſi contigerit interim contaminari ſanctificatos, iacturam quidem facient eorum, quæ prius operati fuerint. Cœterum nō inde incurabili damno afficientur. Expiantur enim in Chriſto, qui veluti in turture, et columba ſeipſum pro nobis obtulit Deo, ac Patri: atq; inſtar agni ſacrificatus eſt, et morte propriæ carnis nos iuſtificat. Idcirco præcepit, vt qui abraſus eſſet, offerret ſacrificium in typo Chriſti iuſtificantis impium, et corroborantis infirmum, atque erigentis eum, qui

Ezech. 33.

cecidit: conuertentis eum, qui errabit: et abluentis contaminatū. PAL. Optimè ais. CYR. Ego verò arbitror, ſi quæ propoſita ſunt, diligentius inueſtigemus, nos etiam alium quē quam ſubtilem, ac profundum ſenſum eruere poſſe. Neq; enim temerè nos Lex ad hoc inſtigat de eo, qui comam Deo nutrit. *Si autem quis, inquit, morte moriatur ſubitò ſuper eum, ſtatim polluetur caput voti ſui: et radet caput ſuum, in qua die mundatus fuerit. Die ſeptimo radetur, et die octaua offeret duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ſacerdotem, et ſanctificabit, inquit, caput ipſius in illa die.* Offerre autem etiam agnum anniculum iubet. PAL. Dubitet autem quis meritò diſcendi cupidus, quid ſibi velit figura. Tu igitur quorſum tendat, percupido declara. CYR. Dicamus igitur, quoad fieri poterit. Tu verò, ſi nōnihil à via digreſſus fuero, ignoſces. Difficilis enim eſt ſermo, et obſcura figura. PAL. Placet. CYR. Cū nobis, Palladi, caput corporeū, mentem, cuius domiciliū ac ſedes eſt, ſignificet, (ita enī viſum eſt diuinę, ſacræq; ſcripturæ) cogitationes, quæ ex ipſa, atq; in ipſa naturaliter oriūtur, per quas ad cognitionē vniuſcuiuſq; rei ducimur, capillis et comæ cōparamus. Hæc enim nobis è capite pullulāt. PAL. Ita eſt. CYR. Intōſa itaque, et in nobis quodāmodo comata Deo mens eſt, quæ bonis cogitationibus eſt referta. Nuda verò et raſa, turpiq; caluitio laborās, quæ rectè de Deo nō ſentit, neque in omnibus rebus agēdis optimam, inculpatāq; ſciētiam nacta eſt. PAL. Verū. Hoc enī nobis, et accutè quidē ptractatū

Num. 6.

Caput, typus mētis. Capilli, et coma, cogitationū.

Mens comata, q̄ ſit, et q̄ tonſa.

Capitis abrasio de Israelitis allegorice interpretata.

ctatũ est. CYR. Quocirca ante quidem aduentum Saluatoris, Israël ad Dei cognitionem per Moysen vocatus est: idcirco etiã sanctificatus est. Vouit autem quodammodo Deo votum sanctitatis. Legis enim obseruatorem se fore apertè promisit in mõte Choreb, ita dicẽs: *Et omnia, quę cunque dixit Dominus Deus, faciemus: et obediemus.* Erat itaque legali disciplina mentem refertam habens, et tanquam nutriẽtem comam Deo, præceptorum, videlicet, quæ Moyses præscripserat, obseruantiæ laudem. Cœterum polluti sunt super mortuo. Occiderunt enim Emanuelem. Et sancta quidẽ reuera est Christi mors. Pollutio autem fuit ipsis, qui interfecerunt, Dominicæ cædis crimen. Tondi itaq; eos Lex deinceps iubet, veluti comam quandam, Legis disciplinam, et tantumnon abradi ea, quæ in typis sunt die septima, hoc est, quæ octauam antecedit, in qua reuixit Christus, instaurans nos ad incorruptionem, et ad nouã simul, atque euangelicam vitam refingens. Qui itaque abrasus est, ea, quæ ante octauam diem sunt, deintegro comam nutrit, et sanctificat caput post diem octauam. Nutrit verò comam mens, non amplius typis, atque vmbris, vt prius, sed ipsis in fide ac veritate dogmatibus. Nõne enim censes oportere eos, qui in fide iustificati sunt, abradi quodammodo legalis cultus iactantiam, renasci verò denuò, ac in mentem interiorem, ac cor euangelicæ vitæ cognitionẽ immittere, vtpote quæ priori illa multo præstantior, vtiliorq; sit?. PAL. Quo pacto ais? CYR. An non apertè, manifesteq; Paulum Legem probẽ callens, de veteri illa, ac legali gloria exclamabat, dicens? *Quæ mihi erant lucra, ea arbitratus sum propter Christum damnum esse. Quin etiam arbitror omnia damnum esse, ꝓpter excellentiã cognitionis Christi Iesu Domini nostri, propter quẽ omnia pro dãnis duxi, habeoq; pro reiectamentis, vt Christum lucrifaciam, vtq; reperiar in illo, non habẽs meam iustitiam ex Lege, sed eam, quæ per fidem est Christi.* PAL. Ita audiui. CYR. Increpabat autem etiam alios, qui legalem circuncisionem obseruabant post acceptũ Christi mysterium: Christus, inquiens, vobis est factus ociosus: quicunque per Legem iustificamini, à gratia excidistis. Nos autem per fidem, spem iustitiæ expectamus. Abolitum autẽ vetus illud mandatum dixit, nõ omnino sine querela se habens: inductũ verò esse aliud, hoc est, euãgelicum. PAL. Ita est. CYR. Ociosam igitur esse legalem disciplinam figura hæc declarat, iubẽs abradi Israëlitas, qui votum fecerant, veluti pollutos super mortuo: hoc est, Dominicæ cædis reos. Comam autem quodãmodo aliam sanctificare Deo post octauam diem, hoc est, post resurrectionem, euangelicorum, videlicet, præceptorum, accuratam, elegantissimamq; disciplinam. Porrò eum, qui comam nutrit, post octauum diem turtures offerre, et colũbas Lex præcipit. Eum, qui contaminatos expurgat, hoc est, Christum, per hæc præfigurans. Per vtraq; enim ipse significatur, vt sonorus maximè, et vocalis, in turture: vt verò mansuetissimus, per colũbam: cum alioqui Lex tardiloqua sit, et à mãsuetudine aliena.

Marginal notes: Exod. 24 (beside "te Choreb, ita dicẽs"); Philip. 3. (beside "*Quæ mihi"); Gal. 5. (beside "Christus, inquiens").

na. Statim enim de ijs, qui deliquerint, pœnas sumit. Offertur autem etiam agnus vná cum auibus, vt per omnia intelligatur Christus: per aues quidẽ, veluti supernus, atq; cœlestis: per agnũ verò, infernus, atque terrestris. Deus enim existens secundum naturam suam Verbum, caro factum est: Cœterum est etiam hoc pacto Deus, liberatq; nos ab vmbra, quę in Lege est: immittit verò in omnium corda suorum præceptorum cognitionem, et sanctos reuera declarat, proprio suo sanguine expurgãs, iuxta scripturas. PAL. Ita habet. CYR. Si verò, inquit, ritè peractus fuerit voti modus ei, qui comam nutrit, tunc demum cõsecretur: et quo pacto id fieri debeat, statuit, dicens:
Num. 6. *Et hæc Lex vouentis: Quacunque die impleuerit dies voti sui, offeret ipse iuxta ostia tabernaculi testimonij, et adducet donum suum Domino, agnum agniculum immaculatum vnum in holocaustum, et agnã anniculam immaculatam vnam in peccatum: et arietem vnum inmaculatum in salutare, et canistrũ azymorum similæ, panes confectos in oleo, et lagana azyma delibuta oleo, et sacrificium eorum, et libationem eorum. Et offeret sacerdos coram Domino, et faciet quod pro peccato suo, et holocaustum suum. Et arietem faciet sacrificium Domino in canistro azymorum. Et faciet sacerdos sacrificium eius, et libationem eius. Et radetur, qui votum fecit iuxta ostia tabernaculi testimonij caput voti sui, et imponet capillos super ignem, qui est super sacrificium salutaris. Et accipiet sacerdos armũ coctum ab ariete, et panem vnũ azymum de canistro, et laganum azymum vnũ, rt imponet super manus illius, qui vouit, postquam raserit caput suum. Et offeret ea sacerdos impositionem coram Domino, sanctũ erit sacerdoti super pectusculum impositionis, et super brachium separationis: et post hæc bibet qui vouit, vinum. Hæc lex vouentis, quicunque vouerit Domino, donum suum Domino pro voto, quæ inuenerit manus eius secundum potentiam voti sui, quod vouerit secundum legem sanctificationis eius.* Qui enĩ quodammodo Mosaicæ discipline crassitudine sese exonerauerit, cultusq; in typo, atque vmbris veluti oblonga quadam, grauiq; coma mentem liberarit, et ad sanctificandum votum capillum quodammodo pullulãtem Deo nutriuerit, præceptorum, videlicet, per Christum editorum sanctificantem reuera cognitionem, et disciplinam, is demum sanctus, ac sacer est futurus, dignusq; qui recipiatur. Offeret autem seipsum Deo in odorem suauitatis, ac veluti sacrificium seipsum consecrabit, acceptam Deo, laudabilem, omnisq; maculæ expertem vitæ suæ pulchritudinem. Offeret enim, inquit, donum suum agnum anniculum in holocaustum, et agnam rursum in peccatum: et arietem in salutare: et canistrum azymorum oleo madentium: et lagana azyma delibuta oleo. Ac per agnum quidem intelligatur meritò eius, qui sacrificium offert, simplicitas, atque innocentia. Per arietem verò, mentis, et fructificationis perfectio.*Fra- 1. Cor. 14
tres enim, inquit, ne sitis pueri sensibus: sed nequitia pueri sitis. Sensibus

bus verò perfecti estote.* Agnicula verò pro peccato. Per quod nobis rursũ facilè est animaduertere, quòd etiam eorum, qui valde sanctificati sunt vita, simplicitate innocentiaq; in Christo prædita, et eorum, qui in perfectione, integritateq; mentis cõsecrati sunt, non in vniuersum omnis labis expers sit, sed expiatione omnino egeat. Nemo enim perfectè animi culpa vacabit. Hoc enim soli Christo seruatur, eiq; tanquam proprium tribuitur, verè dicere posse:

Ioan.14. *Venit princeps seculi huius, et in me nõ inueniet quidquam.* In agno igitur, et agnicula, atque ariete, ea, quæ dixi, significãtur. In panibus vero azymis vita syncera, et doli expers innuitur. Præcipit enim alibi sanctificatis sapientissimus Paulus:

1.Cor.5. *Expurgate igitur vetus fermentũ, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* In laganis autem suauitas, ac veluti dulcedo vitæ sanctorum. Offeremus itaq; nos ipsos, tãquam in agno quidem, per simplicitatem in Christo: vt in agnicula verò, propter imbecillitatem naturæ, procliuitatẽq; ad vitia. Imbecillitatis enim typus est fœmina: vt in ariete verò perfecti, et ad mensuram ætatis in Christo, perducti: vt verò in panibus azymis puri: suaues autem, vt in laganis: cœterum misericordiã consecuti per Christum. Iustificati enim sumus, non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos, sed sucundum magnã misericordiã eius. Idcirco rectè oleũ panibus infundebatur. Mediator autem rursus est sacerdos, et offeret quidem primùm pro peccato, deinde holocaustum, tertio arietem salutaris. Mediante siquidem Christo, et

Offerimus nos ipsos Deo veluti in agno, et agnicula, et ariete, et panibus azymis, et laganis oleo perfusis, mediante sacerdote.

offerente nos Deo, ac Patri, accepti quidem futuri sumus, pro proprijs peccatis preces offerentes, et veterũ peccatorum veniam poscẽtes. Offeremur autem in holocaustum spiritualiter, hoc est, in vniuersum, atque integrè sancti, et sacri, in odorẽ suauitatis consecrati erimus Deo, non diuisi ijs, quæ in mundo sunt. Totũ enim holocaustum igne absũmebatur. Consecrabimus autem etiã munera pro nostra ipsorum salute, ac vita: non corruptibilibus, ac terrenis rebus Deum colentes, sed veluti xenium ipso dignum puram, et syncerãm, suauemq;, ac sanctam vitã ipsi offerentes. Huiusmodi enim ferè est sanctorum vita. Postquam verò obtulerit sacerdos sacrificium ex Legis præscripto, radatur, inquit, caput is, qui votum fecit, ad ostia tabernaculi testimonij, et imponet manus suas super ignem. PAL. Quidnam verò hoc esse censes? CYR. Voti persolutionem, ac quodammodo promissorum finem. Neq; enim quemadmodũ pollutus super mortuo, pollutũ ac profanum capillum abradebat: ita etiam hîc eodem abrasionis modo vtemur: sed veluti iam consecratus Deo, quiq; aliã comam nutriuerit, post octauum diem consecrat Deo, tanquã in typo, promissa. Argumento autem est suscipi à Deo oblationem, absumi ab igne capillum. Ignis enim species semper diuinæ naturę comparat sacra scriptura. Vnde etiã diuinus Moyses inquit: *Deus noster ignis absumens est.* Ingentem, vt arbitror, diuinæ atque immortalis naturæ vim, atque potẽtiam igni assimilans. Vide autem quo pacto ad ostia tabernaculi abrasio in perfectio-

Ignis, typus deitatis.

Deut. 4.

ctione fiat, hoc est, omnis nostræ iustitiæ, et puritatis finis. Solæ enim, quæ à nobis præstãtur, puritas, et iustitia, quo pacto nos in sancta sanctorũ inducere possint, cum in vniuersum culpa, et vitio nõ careãt? Nemo enim perfectè vacuus est sordibus. Inducit autẽ nos Christus, abolita delictorum nostrorũ memoria nos liberans, omniaq; peccata nobis remittens. Præcursor enim pro nobis ingressus est, non sibi ipsi omnino, sed ijs, qui extra ostium siti erant, et in ipso quodãmodo sancti tabernaculi limine viam ad ingressum sternens. PAL. Rectè. CYR. Ipse enim nobis instaurasse dicitur recẽtem, ac viuẽtẽ viã. *Postquã verò abrasus fuerit, et ad ipsa sancti tabernaculi ostia accesserit, necnõ capillum igne absum pserit. Accipiet, inquit, sacerdos armũ coctũ ab ariete, panemq;, et laganum, et imponet super manus eius, qui vouerit, et rursum recipiẽs, offeret, inquit, impositionẽ coram Dño, et sanctũ erit sacerdoti, quẽadmodũ etiã pectusculũ separationis.* PAL. Quidnã verò Lex per hęc significat? CYR. Familiare est sacræ scripturæ per brachiũ significare validum, aut validã actionem. Vitę autẽ sanctę, ac purę typus est panis azymus. Iucunditatem verò, suauitatẽq; significat laganum oleo subactum, et in placẽtam desinẽs. Sacerdotis autẽ mediatoris personã, meritò admodũ quis Christo tribuat. Quicũq; igitur summam puritatẽ cõseruarit, et eximiũ donariũ sanctissimo Deo valida opera obtulerit, (manifestum autẽ est, quòd spiritualia, veluti in armo arietis significata) vitãq; immaculatam, tãquam in pane azymo intellectam: suauitatem verò et iucunditatem in sanctitate vitæ, vt in lagano: tantum non proprijs manibus imponẽs, consecrat Deo, intercedẽte Christo, qui quodãmodo per manus suscipit oblationes summo etiam in hoc honore syncerũ, ac genuinum cultorem afficiens. Idcirco, inquit, quod proprijs suis manibus imponẽs, quo sanctum adeò, atq; purissimũ votum peragit, reddet sacerdoti impositionẽ eximiã et designatã ipsi, queadmodũ et pectusculũ arietis, iuxta legislatoris voluntatẽ. Sicut enim brachium validi operis, siue viriũ ipsarũ signũ esse diximus: ita etiã pectusculũ, mentis et intellectus symbolum. In visceribus enĩ et pectore, mentis domiciliũ est. Sacra autẽ scriptura promiscuè interdũ caput mẽtis typũ, interdũ pectus, facit. Sacrũ igitur, atq; eximiũ, ac tãtum non de manu in manũ offertur per ipsum Deo ac Patri sanctificatorum spirituale robur, necnõ intellectus, si modo verè dicitur, quòd non alia ratione sanctos ea, quæ Deo grata sunt, præstare cõtigerit, nisi spirituali robore, et bona mẽte. PAL. Rectè ais. CYR. Coctum autẽ armum accipi iussit id, quod veluti crudum est, et conuenientem rationem excedit, alienum à sanctorũ robore esse debere significans. Neque enim rigidos, ac duros esse oportet eos, qui Deo consecrati sunt, neq; sæua mente præditos sed cõpositè, ac leniter, artificioseq; admodũ virtutis opera exequi. Ita enim, neq; alio pacto futura sunt opera sanctorum bona, et diuino esui apta, nihil in se crudũ, atque odiosum habẽtia. Audi verò alibi eorum, qui in sanctimonia, puritateq; vitæ versantur, salutarem cibũ, suum quodãmodo vocantem Christum, et sanctis discipulis dicentem; *Ego

Brachiũ, typ⁹ fortitudinis.

Pectus, typ⁹ mẽtis, et intellectus.

Armus coctus sacerdotibus dari iussus, qd significet.

Ioan.4. *Ego cibum habeo, quem manducem, quem vos nescitis.* Repete autem memoria, quòd etiam sacrificare iusserit agnum in typum Christi, Exod.12. Præcepit verò, dicens: *Non comedetis ab ipsis crudum, neq; coctũ in aqua.* Odiosum quid, vt arbitror, et difficile concoctu crudum esse dicens: Oportere igitur, inquit, coctũ accipi armum: per incoctum significans id, quòd nequaquam suaue, neque esui aptũ est: atq; ideo odiosum. PAL. Quàm subtilis, ac verus sermo. CYR. Persoluenda sunt itaque vota Deo, et quæ quis promisserit præstãda absq; vlla cũctatione: adeò vt nisi celeriter eiuscemodi præstentur, grauissimam, periculosissimaq; rem esse iudicarim, ipsa etiam sacra scriptura id testante. Si enim indecens, ac turpe in primis esse iudicamus rectè sentientes, mendacij conuinci, quo pacto non fœdissima res fuerit, vouere, ac polliceri Deo, et promissis non stare? Omnem itaq;, qui vouerit, ac cunctatus fuerit, et in vniuersum persoluere recusauerit, peccati accusat. Liberat autem à culpa eos, qui nihil proprium habuerint, sed veluti necessario quodam vinculo deuincti, sub alterius potestate degunt. Ita verò in Numeris scriptum est: *Et locutus est Moyses ad principes tribuum filiorum Israel, dicens: Hoc verbum quod præcepit Dominus. Homo, qui vouerit votum Domino, aut iurauerit iuramentum, aut determinauerit determinatione pro anima sua, non faciet irritum verbum suum. Omnia, quæ exierint de ore eius, faciet. Si autem mulier vouerit votum Domino, aut determinauerit determinatione in domo patris sui, in iuuentute sua, et audierit pater eius vota eius, et determinationes eius, quas determinauit de anima sua, et tacuerit pater eius, et cõstabunt omnia vota eius, et omnes determinationes eius, quas determinauit de anima sua, manebunt. Si autem renuens renuerit pater eius, qua die audierit vota eius, et determinationes eius, quas determinauit de anima sua, non constabunt, et dominus mundabit eam, quia renuit pater eius. Si autẽ fuerit, inquit, mulier legitimè nupta viro, eadem lex obtinebit. *Viduæ autem, et repudiatæ, vota rata esse vult, et promissis omnino stare iubet: semper eos, qui liberi, nulloq; iugo subditi sunt, culpæ subijciens, si promissis non stent: eos verò, qui eiusmodi non sunt, et in alorum potestate sunt cõstituti, culpa liberat. Nam si domini, pater, scilicet, aut maritus, cõsenserint, et tãquam annuerint, eorum, quos in sua potestate habent, promissis, impietatis reos facit, nisi vota persoluerint. Sin autem ijdem renuerint, à culpa eximi debere concedit: sponte enim oblata, et non necessitate expressa donata esse debent, quæ Deo offeruntur.

Periculosum est, votis nõ stare.

Vota liberos obligant, eos vero qui in aliena potestate sunt, non item.

Num.30

Explicit liber decimussextus.

D.CY-

D. CYRILLI, ARCHIEPIscopi Alexandrini, de Adoratione in spiritu, et veritate.

Liber decimus septimus.

BONAVENTVRA VVLCANIO Brugensi Interprete.

De festiuitatibus sanctis.

DE puritate quidem, atq; ijs, qui vota nuncuparunt, et de sacerdotibus hæc dicta sint. Reliquum est, vt adijciamus, quænam sit à Deo laborũ merces expectãda: et quò cõuersi, quidq́; cõsequi studentes eius cultores summos honores sint adepturi, speiq́; in secula participes futuri. PAL. Rectè mones. CYR. Par enim est, Palladi, vt qui ad vitam vsque adeò laudabilem, atq; eximiam sese compararũt, tantumq́; in hoc illustri viuẽdi genere profecerint, vt omniũ optimã sortẽ cõsecuti sint, summo gaudio fruãtur, festa iucũdo alacriq́; animo agẽtes, authorẽ, et caput festiuitatis suę habẽtes Christũ, vtq́; firma spe stabiliti sint. PAL. Par est profectò, et verus est sermo. CYR. Placetne igitur, vt festa, quæ Lex in typo obseruat, accuratè inuestigemus: et sacrificiorũ, quæ in eis peraguntur, modos declaremus: sensuum, qui in ipsis recõditi sunt, vim ad rei veritatẽ transferẽtes? PAL. Velim equidẽ. CYR. Quando itaq; tibi rectè sensisse videor, quòd hæc etiã ad rectã iudicij normã reuocãda existimem, age primùm hoc inquiramus, quãdo, et quibus de rebus festũ agere nos sacræ literæ iubeant. Ita enim recto ordine nobis sermo processerit, et artificij ratio cõstabit. PAL. Aggredere igitur. Iuueris enim non mediocriter. CYR. Congregatis olim in deserto ad mõtem Choreb Israëlitis, Deus nobis legem de rebus agẽdis præscripsit: cumq́; quamplurima vtilissima præcepta sanxisset, adiecit: *Tribus tẽporibus anni festa celebrabitis mihi.* (Deut. 16.) Quænam verò ea stata tẽpora sint, rursus declarauit, inquit enim: Festum azymorũ obseruate. (Festa Iudæorum pręcipua) Septem diebus comedetis azyma, queãdmodum pręcepi tibi tẽpore mẽsis nouorum. In eo enim egressus es ex Aegypto. Nõ apparebis coram Dño Deo tuo vacuus. Et festum messis primitiuorũ facies: operum tuorum, quæ seminaueris in agro tuo. Et festũ cõsummationis in exitu anni in cõgrega-

gatione operum tuorũ, quę in agro. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum coram Dño Deo tuo.* Quòd igitur celebrare festa Deo masculis cõueniat, non autem ijs, qui remissam, atq; imbecillam in se mẽtem habent, et carnalibus, mũdanisq; rebus eneruatam, ostẽdit, dicens: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculum coram Domino Deo tuo.* Celesti itaq;, et diuino conspectu dignum habetur id, quod masculũ est, iuxta eos, qui modò dicti sunt, modos. Cœterũ sanxit vtiliter obseruanda esse festa sancta. Oportebat enĩ, eis, qui iam ad exordia rectè disciplinæ ducebãtur, quiq; iam sub iugum Dei ibant, legalis vitæ finem omnino in delectationem, gaudiũq; (spiritualia nimirum) ipsis desiturum significare. Idcirco recitata prius Lege, damnatisq; ijs, quę nocere, et laudatis ijs, quę iuuare solẽt, viaq; ad vitam ipsi gratam proposita, suauem, ac iucundum laborum suorum finem futurum declarauit. Primum itaq; festum erat in mense nouo. Secundum verò, et proximũ, Messis primitiuorũ. Tertium autẽ, atq; vltimum sub finem anni, collatis iam fructibus, septimo anni mense. Nonne ita sacra scriptura ait? PAL. Omnino. CYR. Necessarium igitur fuerit, vniuscuiusq; tẽporis, ac festi rationem quo pacto, et in quibus peragi conuenit, quoad eius fieri poterit, inuestigare. Israëlitas Aegypto excedere misericors Deus iusserat, et intolerãdæ seruitutis iugum excutere, atq; ad terrã promissionis contendere. Restitit autem diuinis oraculis Pharao, et atrocem aduersus ineffabilem gloriam vocẽ edidit,

Festũ agere spiritualiter masculos decet.

Festorũ institutio in Lege, quid spiritualiter significet.

Non noui, inquiens, Dominũ, neque concessurum Israelitis trãsitum sæpenumero affirmans: vnde frequẽtibus, assiduisq; plagis afflictus fuit. Cum autem peruicax esse non desisteret, atrociaq; aduersus Deum flagitia machinaretur: Deus, in cuius potestate omnia sunt sita, vniuersa Aegypti primogenita vnica nocte peremit: prouiditq;, ne Iudeorũ cœtus in hostis potestatem veniret, longissimeq; à tyranni manu, siue ira esset remotus. Cœterum non alia ratione id cuiquam præstari possit, quàm per Christum, qui est vita, et viuificans, vtpote ex vita, secundum naturam genitus, Patre. Præfigurauit itaq; Lex mysterium de ipso. Ita verò inquit: *Dixit autem Dominus ad Moysen et Aaron in Aegypto dicens: Mensis iste vobis principium mensium, primus est vobis in mensibus anni. Loquere ad omnem congregationem filiorum Israël, dicẽs: Decima mensis huius accipiat vnusquisque agnum per domos familiarum, agnum per domum. Si autem pauci fuerint, qui in domo, vt non sufficientes sint ad agnum, assumet secum vicinum proximum suum iuxta numerum animarum, vnusquifque quod sufficit sibi, connumerabitur in agnum. Agnus perfectus, masculus, immaculatus, anniculus erit vobis. Ab agnis, et ab hœdis accipietis, et seruabitur vobis vsque ad quartam et decimam mensis huius, et immolabunt eum omnis multitudo congregationis filiorum Israël ad vesperam. Et accipient de sanguine, et ponent in duobus postibus, et super limen in domibus, in quibus comederunt illos

Exod. 5.

Exod. 12.

Figuratè igitur significat, quòd Christi mysterium nihil habeat, quod admitti non possit ob mendaciorum magnitudinem, neq; aquosum, aut decoctum. Græcorum enim oratores, poëtæ, et scriptores, ac quantum ad sermonem attinet, sapientes, deorum suorum Orgia describentes, immaniter mentiuntur: fabulas, quas humanus animus admittere non debeat, adferunt, multa aquositate plenas. Adulteria enim, et mulierum amores, et pueros corruptos, virilia præcisa, virginesq; in arbores transformatas, aliasq; huiusmodi turpitudinis plenas fabulas cōminiscuntur. Atverò in Christo omnia vera sunt, aptaq; ad cibum menti sufficiendū, nihilq; molle, aut aquosum in se habentia: quæq; potius ad probitatem eos, qui mentem suam ijs accommodare velint, deducant, quàm ad voluptatis, et carnis desideria, quēadmodum ferè Græcorum frigidæ, anilesq; fabulæ. Intelligisne apertè, quod dico? PAL. Omnino. CYR. Quòd verò oporteat eum, qui iam Christi particeps effectus sit, per sanctæ ipsius carnis, et sanguinis sumptionem, mentem etiam ipsius præ se ferre, interioresq; ipsius actiones imitari, intelligentem optimè, quòd in ipso est, significauit, dicens, debere comedi caput cum pedibus, et intestinis. Nunquid enim caput, mentis typum esse diximus? pedes verò, incessus? Significant verò etiam interiora, et occultiora sacrificiorum, intestina. PAL. Rectè mihi hac in parte sentire videris. Cœterum illud dicito: Quænam sit Christi mens, quis verò incessus, quæ etiam ea, quæ occulta esse dicis? CYR. Mens quidem

Agni caput comedēdū cū pedibus, et intestinis, quid significet.

Mēs xpi quænam sit, et quis eius incess⁹, nobis imitāda.

Christi fuerit, ea sola curare, quæ ad Dei, ac Patris gloriam attinēt, eaq; præstare velle, quæ genitori placēt. *Descendi enim, inquit, de cœlo, nō vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Hoc ipsum sentire, ac præstare cupientes etiā sancti discipuli apertè dicebant: *Nos autem mentem Christi habemus:* docueruntq; in orationibus dicere: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, sic et in terra.* Vides, quo pacto conformes, vniusque sententiæ cum Christo, etiam ipsius mētem se habere testati sint? Atq; hoc, vt ego quidem arbitror, est, comedi caput agni. Incessus verò Christi est, ipsam etiam fortiter ferre, neque exhorrescere mortem, vt, quemadmodum Paulus ait, peccatores saluet. Promptissimos autē ad hoc esse nos ipsos oportet: ipsam etiam pro fratribus corporalem vitam impendētes. Vnde et quidam sanctorum discipulorum inquit: *Passo itaq; Christo pro nobis in carne, et vos etiam pro ipso eâdem cogitatione armemini.* Paulus vtique quosdam increpat, ita dicens: *Quid fletis affligentes cor meum? Ego enim non solùm ligari, verumetiam mori paratus sum pro nomine Domini nostri Iesu Christi.* Christus autem ipse suis vestigijs insistere præcipiens: *Qui non accipit, inquit, crucem suam quotidie, et sequitur me, non est me dignus.* Sanctus verò etiam alia ratione omnino est Christi incessus, ac via, per omnia nimirum virtutū genera. Intestina autem intelliges occultum, absconditumq; in ipso Verbum.

Ioan. 6.

2. Cor. 2.

Matth. 9

Discipuli, Christi mentē se habere dicebāt.

1. Pet. 4.

Act. 21.

Matt. 10.

Intestina typ⁹ verbi in xpo latentis.

Ioan. 1.

bum. Deus enim secundum naturã, et ex Deo existens Vnigenitus, *caro factus est, et habitauit in nobis.* atq; imago, ac similitudo cum sit Patris, demisit seipsum in exinanitionem, et in formã serui. Recipiemus itaq; in nostras animas, non sola humana, atque exteriorem Emanuelẽ, verumetiam intestinis ipsis, hoc est, absconditis ipsius mysterijs propriã mẽtem replentes, spirituali cibo saginabimur. Porrò vnica nocte absumi agnum debere ait, nulla planè ipsius parte relicta, in sequentem diem. Cõminui autem os non sinit. Ac prius quidem significat, quòd in futurum seculum alio quodam modo sanctificabit, et benedicet Christus eos, qui ipsi per fidem, et sanctificationem consecrati sunt: neque verò rursum propria carne nutriet, et sanguine viuificabit, quemadmodum fortè nunc: sed veluti abolita iam morte, et dissoluto in vniuersum interitu, spiritualis quidem erit sanctificandi modus. Nihil igitur aliud, mea quidem sententia, significatur per matutinum tempus, quàm futurum seculum. Per posterius verò, nimirũ non esse comminuenda ossa, ad sententias de Christo nos deducit: vtq; sanctorum concionatorum voces sequamur persuadet. Diuinus vtique euangelista corporalius hoc de Christo præceptum explicans, *Non fregerunt, inquit, milites eius crura, vt impleretur, quod scriptum est: Et os non comminuetur ab eo.* Comedunt verò agnum succinctis lumbis, calceatis pedibus, baculos in manibus habentes: ac, vt semel dicam, in habitu eorum, qui iter faciunt.

Agni, nihil in crastinũ relinquendũ, quid significet.

Mane, typus futuri seculi.

Ossa agni nõ cõminuẽda quid spiritualiter significet.

Ioan. vlt.

Exod. 12.

Agn⁹ in habitu viatorũ comedẽ

Et rectè admodum. Parati enim ad transmigrationem spiritualem, et quodammodo profectionem instituentes, cupientesq; relictis mundanis occupationibus, et auocamentis, ad optima quæque nos transferre, sanctißimè, purißimeq; Christi participes futuri sumus. Neque enim temporarijs rebus adhærescimus: quinpotius generosè, ac fortiter ad solida, ac manentia bona aspiramus: et à carnali immunditia discedentes, in spiritualem pulchritudinem commigramus, memores Christi dicentis: *Surgite, discedamus hinc.* Idcirco induti sunt habitu, quo iter facientes vti solent, ij, qui agnum comedunt in typum Christi. Præterea festinanter comedi oportet. Pascha enim est Christi, hoc est, transitus, siue sacrificia, quæ pro trãsitu fiunt. Cum enim tempus præsens sit, quo necesse sit nos à prauitate mundana ad ea, quæ Deo placent, conferre, nisi id summo studio, summa animi contentione faciamus, sed cunctantes quodam modo, et tergiuersantes, veteribusq; adhuc malis affixi, quo pacto nõ periculosum, noxiũq; in primis fuerit? Vnde diuinus Paulus: *Currite, inquit, vt comprehendatis.* Eundum itaque est ad participationem Christi per fidem, omni negligentia abiecta, nullusq; cunctationi locus est dandus: sed omne nostrum studium ad id conferendum est. Ita enim ex peccato ad iustitiam transfugiemus, à morte ad vitam, et abiecto turpi seruitutis iugo, gloriosum adoptionis in filios ius consequemur. PAL. Optimè ais. CYR. His verò ita ritè obseruatis,

dus, qd significet.

Ioan. 14.

1. Cor. 9.

illos in ipſis. Et comedēt carnes hac nocte aſſas igne, et azyma cum heruis amaris comedent. Non comedetis in eo crudum, neque coctum in aqua, ſed aſſa igne, caput cum pedibus, et inteſtinis. Non relinquetis ex ipſis vſque mane. Et os non confringetis ab eo: at relicta ex eo vſque ad mane, in igne comburetis. Sic autem comedetis eum. Lumbi veſtri præcincti, et calceamenta in pedibus veſtris, et baculi veſtri in manibus veſtris, et comedetis eum cum feſtinatione. Paſcha eſt Domini. Et tranſibo in terra Aegypti in nocte hac, et percutiam omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vſque ad pecus, et in omnibus dijs Aegyptiorū faciam vltionem. Ego Dominus. Et erit ſanguis vobis in ſigno in domibus, in quibus vos eritis illic, et videbo ſanguinem, et protegam vos, et non erit in vobis plaga, vt deleamini, quando percuſſero in terra Aegypti. Et erit dies hæc vobis in memoriale, et celebrabitis eam feſtum Domino in generationes veſtras legitimum ſempiternum. Celebrate eum: ſeptem dies azyma comedetis. A die autem prima expelletis fermentum ex domibus veſtris. Omnis, qui comederit fermentum, peribit anima illa ex Iſraël à die prima vſque ad diem ſeptimam. Et dies prima vocabitur ſancta, et dies ſeptima vocata, ſancta erit vobis. Omne opus ſeruile nō facietis in eis, præter quæ fient omni animæ, hoc ſolum fiet vobis. * Viſne igitur, vt minutim, ac raptim ſingula percurrentes, quæ nobis videtur,

Prou. 9. dicamus? * Dabimus enim ſapientibus occaſionē, ſiue anſam: et cognitum faciemus iuſtis: * ſicut ſcriptum eſt. Adijcient autem etiam ipſi, quæ viſum eis fuerit, et longè quidē præſtātiora. PAL. Placet. CYR. In principio itaque anni, et in primo menſe Chriſti myſterium ſignificatur. Nouum enim nobis ſeculum eſt, tempus aduentus noſtri Saluatoris, omnia in melius transferens, et in nouitatem nouæ creaturæ pulchrè transmutans id, quod veteraſcit, et ſeneſcit, interituiq; proximum eſt Noua enim creatura eſt ea, quæ in Chriſto, et vetera præterierunt.

Principium anni et mēſis primus, typus eſt myſterij Chriſti.

* Ecce omnia facta ſunt noua. * Viui 2. Cor. 5.
mus autem etiam nos, non iam Moſaicè: at potius ad euangelicam vitam traducti operante in nos per Spiritū Chriſto. PAL. Rectè ais. CYR. Singuli autem accipiunt agnum, et conueniunt conuiuæ in domum vnam. Diuiſi enim quodammodo etiam nos, vt in vno naturaliter ſubſiſtamus, in vnitatem ſpiritualem in Chriſto coaluimus. Anima enim deinceps in nobis eſt vna, et cor vnum. Agnus autem eſt id, quod immolatur, ſiue ex capris. Atque ouis quidem ob incomparabilem manſuetudinem, ac innocentiam, ac pręterea fœcunditatem. * Sicut ouis e- Eſai. 53.
nim ad occiſionem ductus eſt, et ſicut agnus coram tondente ipſum mutus. * Agnus autem, quia immolatus eſt propter nos, et propter peccata noſtra traditus eſt, ſicut ſcriptum eſt. Hircus verò pro peccatis ſacrificium iuxta Legem. Perfectū, et maſculum pecus. Significante, ſcilicet, perfecto, vel id, quod omni macula caret, firmumq;, et ſanum eſt. Immaculatus enim Chriſtus, et ab omni vitio liber, vel perfectum re-

uera. Omnibus enim numeris absolutus, perfectusq; est Emanuel, ex seipso, naturaliterq; habens id, per quod est Deus. Per musculum verò significatur, quòd omnium dux sit. Mas enim semper principatum obtinet. Fœmina verò in secundo ordine subsistit. Atqui accipitur quidem agnus decima mensis, sacrificatur verò ad vesperā decima quarta die. Neque enim nouitia res est Christi mysterium, neque tunc primum cognitum, quod et Iudæi ipsi obijcerent. Prior autem, multoq; antiquior passione fuit, prædicentibus id sanctis, et præclamante Lege, ipsiusq; mysterium sacra scriptura nobis præfigurante. Quocirca habuimus in nobis ipsis, veluti in prænotione, nondum verò immolatum agnum: Immolandum autem ad vesperum nequaquam ignorantes. Vltimis enim seculi temporibus, et ad occasum vergēte seculo, Christi mors peracta est. Immolatus autem ab omni multitudine. Mortuus enim est pro omnibus: vt scirent hi, pro sua ipsorum salute offerentes agnum, quòd pretio empti sint, neq; sui ipsorum iuris sunt. * Sed vnus pro omnibus mortuus est, vt viuentes nō amplius sibi ipsis viuant: sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit.* Cum enim pro nostris peccatis traditus fuerit, propter nos mortuus dicitur. Idcirco etiam nos sumus, qui eum mactamus. Ij siquidē, propter quos necessariò mortuus est, tantumnon ipsius passionis operatores dici possint, etiā si per alios ea peracta sit. Quòd verò saluat vnctos sanguinis aspersio, statim declarat, dicens, sanguine inungi debere domuū ingressus, limina nimirum ianuarum, et postes. Arcet enim, ac præcludit morti ingressum Christi mysterium. Reliquū igitur est, quòd pretiosissimo sanguine peruncti mortis vim supērabimus, interitumq; euademus, interfectoris minas nihili planè faciētes. Tuetur enī nos sanguis vitę, hoc est, Christi. Adijcit verò in vna nocte agni carnes absumi debere. Vnū siquidē est salutaris passionis tēpus, *et semel mortuus, nō amplius moritur: mors ei non amplius dominatur. Nā quòd mortuus fuit peccato, mortuus est semel: quòd autē viuit, Deo viuit.* Assæ verò comeduntur carnes cū panibus azymis, ac herbis amaris. Per assum quodammodo perfectio passionum Christi significatur. Oportebat enim ducem salutis nostræ per passiones perfici. Per azymorum verò, et amararum herbarum esum figuratè describitur, quòd oporteat etiam nos, quibus appositus fuerit in participationem Christus, omni fermento spirituali vacuos esse, hoc est, malitia, et dolo: at verò potius tolerātiam pro dilectione ipsius æquissimo animo præstare, grauesq;, et amaros labores subire, eius, qui pro nobis mortem adijt, vestigijs insistentes. Ad hoc enim nos instigans: *Non est, inquit, discipulus supra magistrum suum: neque seruus supra dominum suum. Si me persecuti sunt, etiā vos persequentur. Si ipsum patremfamilias vocauerūt Beelzebub, quāto magis domesticos illius?* Vetat itaque Lex, ne crudū comedamus, aut elixū: cū alioqui nemo, vt arbitror, comedat crudū, etiā si id Lex nō vetet.

Christi mysteriū nō est res noua.

2.Cor.5.

Peccātes Christū crucifigimus.

Januarū limina, et postes agni sanguine aspersa, qd significent.

Agnus vna nocte deuorandus, quid significet.

Rom.6.

Agnus assus comedēdus cum herbis amaris, quid significet.

Matt.10

Crudum neque elixum nō comedēdū agnū, quid significet.

Figu-

die composite ambulemus.* Vsque mane igitur significat per omnem vitam, hoc est, donec futurum tempus ostensum fuerit. Quo pacto vero etiam hoc fiat? In fine enim vniuscuiusque vitæ, tantum non ingreditur futurum seculum, si modo verū est, quod iustificatus est à peccato, qui mortem subijt. Conclusit enim Deus contra ipsum, sicut scriptum est. Seruatur autē tribunali Christi, et sicut affectus fuerit, cū finis suus ipsi aduenerit, ita sistetur. PAL. Intelligo quid velis. Et recte admodū sermo se habet. CYR. Hoc igitur pacto Christi mysteriū veteribus adūbratum est, immolato suo tempore agno: in quo reuera etiam ipse Emanuel pro nostra omnium vita immolari sustinuit. Vnde diuinus Paulus ita scribit: * Quia pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Porro diuinus sermo ait, secūdo etiā mense sacra peragi debere, et festi rationem obseruandam, si modo necessarium aliquod impedimentum in causa fuerit, quominus in primo mēse id præstare potuerimus. Ceterum placetne, vt adiecto ipso diuino oraculo, quæ verisimilia fuerint, dicamus? PAL. Omnino. CYR. Scriptū itaque est in Numeris: *Et locutus est Dominus ad Moysen in monte Sina in anno secundo postquā egressi sunt ex Aegypto in mense primo dicens: Dic, et faciant filij Israël pascha iuxta tempus suum quarta et decima die mensis primi ad vesperam facies illud, iuxta tempus suum secūdum legem eius, et iuxta cōparationem eius facies illud. Et locutus est Moyses filijs Israël facere pascha incipiente quartadecima die mēsis, in deserto Sinai: sicut præcepit Dominus Moysi, sic fecerunt filij Israël. Et venerunt viri, qui erant immūdi super anima hominis, et non potuerunt facere pascha in die illa: & accesserunt coram Moyse, et Aaron in die illa, et dixerunt viri illi ad illos: Nos immundi super anima hominis. Num igitur fraudemus ad offerendum donum Domino iuxta tempus suum in medio filiorū Israël? Et dixit Moyses ad eos: State ibi, et audiemus, quid præcipiet de vobis Dominus. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicēs: Loquere filijs Israël, dicens: Homo, qui fuerit immūdus super anima hominis, aut in via longe, aut in vobis, aut in generationibus vestris, et faciet pascha Dño in mēse secūdo in quarta et decima die ad vesperam facient illud, in azymis et herbis amaris comedent illud: nō relinquent ex eo in mane, et os non confringent ex eo: iuxta legem paschæ facient illud. Et homo, qui mūdus fuerit, et in via longe non est, et fraudabitur facere pascha, exterminabitur anima illa de populo suo, quia donum Domino non obtulit iuxta tempus suum, peccatum accipiet homo ille. Si vero accesserit ad vos aduena in terra vestra, faciet pascha Domino iuxta legem paschæ, et iuxta ordinem eius sic facient illud. Lex vna erit vobis, et aduenæ, et indigenæ terræ.* PAL. Quinam vero immundi super anima hominis, atque hinc occasionem captantes non celebrandi pascha, velim equidem apertius mihi declares. CYR. Multus admodum est historiæ hac de re sermo. Siquidem Deus ad sacrorum oraculorum

Finis vniuscuiusq; vitę principiū est futuræ.

Rom. 6.

1. Cor. 5.

Num. 9.

Immūdi super anima hominis, qui dicātur.

lorum interpretem Moysen ita pro clamat: Loquere filijs Israël, et eijciatur è castris omnis leprosus, et omnis seminifluus, omnisq; immūdus super anima. Ac de his quidem, abūdè satis à nobis dictum est. Illud tantùm in præsentiarum dicam. Immūdum super anima hominis sacra scriptura vocat eum, qui super mortuo contaminatus sit. Vetat enim corporis mortui cōtactum: eosq;, qui propinquum aliquem, et sanguine coniunctum lugent, vetus mādatum immundos censet. Idcirco etiam è castris eijciebantur. Figurabat autem per hæc Lex, quòd impurus quis sit futurus, etiam spirituali immunditia. Mortuis enim moribus sunt præditi, de quibus à Christo dictum est: *Sine, vt mortui, sepeliant mortuos suos.* Quocirca extra diuina septa, et primogenitorū cœtus, extra sanctorum gregem ablegatur is, qui cū ijs, qui mortua cogitant, et faciunt, communicans: prope accesserit, voluntate nimirùm eadem cogitandi, et faciendi. Ac Legis quidem figura ita se habet. Quòd autem ad verum sensum attinet, nobisq; spiritualibus maximè conuenientem immundos super anima, atque idcirco in mense secundo celebrantes festum, immolantesq; sacrificium in typum Christi, iuxta legem paschæ, nō alios esse censebimus, quàm Iudæos sanguinolenta Christi cæde pollutos, et immunditiei notam habentes, quòd Emanuelem contumelia affecerint. Hi enim sancta nostra festiuitate exclusi sunt. Posteriores enim effecti, frustratiq; sunt eo tempore, quo cōmunis omnium vitæ largitor consummatus est per passionem. At verò misericordia eius, qui omnes saluare vult, temporibus postmodum secuturis; veluti in mense secundo, etiā ipsi participes sunt futuri Christi; vnaq; festum celebrabunt cum sanctis in tempore vocatis; nimirū cum gētibus. Vide enim, quo pacto ij, qui in Aegypto erant, profligatis statim idololatriæ sordibus, immolant agnum in primo mense, et ad fidei exordia prosiliunt. Hi verò vncti sanguine Domini, nihili facient interfectorem, et mors nihil in eos iuris est habitura. Qui verò tanquā in anno, et mense secundo sunt constituti, ægrè vixdum accedūt, et pollutionem confitentur, quodq; immūdi sint super anima hominis apertè asseuerant: vtq; benedictionem cōsequi possint, implorant. Posterius verò, ac post primos celebrant festū. *Quādo enim intrauerit, inquit, plenitudo Gentium, tunc omnis Israël saluabitur.* De quibus Propheta etiam alibi prædixit, inquiens: *Et post hæc conuertentur filij Israël, et quærent Dominum Deum suum, et Dauid regem ipsorum: et stupebunt in Domino, et in bonis eius nouissimis diebus.* Quæretur enim in nouissimis diebus à derelictis ex Israël ex semine Dauid secundū carnem, Christus. PAL. Verus est sermo. Versatur enim in spe Israël. CYR. Quòd verò culpa nō careat, at potius noxium in primis sit, festū in Christo non celebrare eum, qui immundus non fuerit super anima, neque longo itinere dissitus, neque aliud necessarium impedimentum habentem, extremum suppliciū incursurum dicens, nisi mandata præstiterit. Intelligatur itaque à nobis im-

Iudei immūdi super anima hominis spiritualiter secundo mēse pascha celebrabant, non primo.

Rom. 11.

Oseæ. 3.

Festū paschæ non celebrare primo mēse eis, qui iusta de causa impediti nō sunt, noxiū in primis est.

tis, et præstitis iuxta legislatoris sententiam, pertranseunda est, inquit, ac tota quodam modo peragranda Aegyptiorum regio, interficiendaq; primogenita, et vindicta de dijs Aegyptiorum sumenda, hoc est, de omnibus, qui inter ipsos essent adeò excelsi, atque elati, ac tantumnon inter eos collocati, quibus adoratio ob gloriam defertur, supplicium sumi adeò prauæ, flagitioseq; mentis, tantæq; superbiæ. Protegi autem iussit filios Israël, perunctis sanguine postibus ianuarum, quod et signum vocauit amicitiæ cum ipso. Videbo enim, inquit, signum, et protegam vos. Cum enim Deus iram suam, atque furorem exerceat in omnem altum, ac sublimem, iuxta Prophetæ vocem, et morte mulctet proteruos, ac contumaces, pietatemq; in ipsum despectui habentes, soli euadunt, pœnæq; expertes sunt, qui bona nota signati sunt, et Christi sanguine aspersi. Audi enim dicentem: *Amen amen dico vobis, qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et in iudicium non venit, sed transit ex morte in vitam. Qui verò non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super illum.* Aeternæ igitur vitæ participes, et Deo, ac Patri amici, et noti, mortisq; expertes sunt sanctificati per participationē Christi, iuxta modum nimirum mysticum, et sanguine sancto inuncti. Porrò oportere perpetuā apud eos huius legis obseruationem esse ait. Nequaquā enim desinemus in Christo festum agere, fermentum eijcientes è proprijs terminis, hoc est, ex omni terra, in qua versemur. Oportet enim eos, qui per fidem vocati sunt in iustificationem per fidem, spiritualiter festum agentes, non in fermento malitiæ, et prauitatis hoc facere: sed potius expurgantes vetus fermentum, ad melius transformari, et noua quædam massa videri, idq; cum toto genere, et familia, cumq; ijs, qui per totam regionem sunt: per quod significatur eorum, qui fidem suscepturi sint, ingentem, atque innumerabilem fore multitudinem. Primum autem hebdomadæ diem, sanctum, ait, vocari debere, sanctumq; vocari etiam septimum. Illud, vt arbitror, significans Lex, primum tempus vitæ hominis sanctum fuisse, veluti in primo generis parente Ada: cum nondum transgressus esset præscripta, neque diuina mandata violasset. Sanctum verò multò magis postremum tempus, hoc est, in Christo, qui secundus est Adam reformans, atque instaurans ex ijs, quæ ipsi acciderant, in nouitatem vitæ in spiritu. Præcipit verò necessariò, vt sabbatum colamus die septimo. Conuenit enim, et quidem meritò, ijs, qui per fidem in Christi requiem ingressi sunt, ab omni deinceps carnali opere abstinere, et à terrenis studijs, vanisq; occupationibus: at verò ea potius sola præstare, quæ nos ad immortalem vitam perducant, quæque nos sanctos efficiant. Nam, vt sapientissimus nobis Paulus scribit, *Qui ingressus est in requiem ipsius, Christi nimi-

Agno comesto, peragrāda Aegyptus, et primogenita interficienda, quid significet.

Postium inunctio sanguine agni, signū amicitiæ cum Deo.

Esai. 2.

Ioan. 6.

Prima, et septima dies sanctæ, quid significent.

Hebr. 3.

nimirum, et ipse requieuit ab operibus suis, quemadmodũ à suis Deus. PAL. Ita est. CYR. Ita ergo diuinũ præceptum habet. *Quod, cum Israelitas docuisset diuinus Moyses, inquit: Eũtes accipite vobis ipsis agnũ per cognationes vestras, et sacrificate pascha. Accipietis autem fasciculum hyssopi, et tingentes ex sanguine, qui apud ianuam, et tangetis limen, et vtrosque postes à sanguine, qui apud ianuam. Vos autẽ nõ egrediemini vnusquisq; ianuam domus suæ vsque ad mane. Et transibit Dominus ad percutiẽdum Aegyptios, et videbit sanguinem in limine, et sup per vtrosque postes: et transibit Dominus ianuam, et non sinet exterminatorem ingredi in domos vestras ad percutiendum.* Quòd igitur per domos familiarum, siue per cognationes accipi agnum, significat, vt arbitror, spiritualis amicitiæ veluti in fide, et voluntatis similitudine cõsensum. Neque enim cum ijs, qui vanis cogitationibus vacant, festum agemus: neque cum ijs, qui aliud quid quàm quod rectũ, ac verum est, sentiunt, societatem inibimus: sacrãq; ac viuificantem victimam communicabimus: sed cum ijs, qui eiusdem sententiæ, ac fidei nobiscum sunt, ac veluti fratres in vnitate spiritus. Adhibetur autem hyssopus ad sanguinem agni, non absq; mysterio. Quænam verò sit etiam huius rei ratio, paucis dicã. Hyssopum, Palladi, herbam esse aiunt, magno apud medicos in pretio, quippequæ singulari quadam facultate prædita sit ad immunditiem, quæ in visceribus latet, absumendã: et pituitosos, viscososq; humores extenuandos per innatam

Exod. 12.

Agnus p cognationes sumẽdus, qd significet.

Hyssop⁹ cur ad sãguinem agni adhibeatur

ipsi naturalis caloris vim. Adiungitur itaque, vt modò dixi, hyssopus sanguini, typo nimirum obliquè nobis significante, pretiosum Christi sanguinem nõ solùm ab interitu nos liberare, verumetiam ab omni interiore, occultaq; immũditia: quodq; frigescere nos, aut torpere nõ sinat, sed feruentes spiritu efficiat. Quòd verò necessarium, vtileq; sit, eos, qui semel participatione Christi digni habiti sunt, stabilem in sanctitate vitam tueri: neque ab ea latum, quod aiunt, vnguem discedere debere, significat rursum Lex, intra ianuas se continere iubens, eos, qui agnum comedunt: ne vnà cum Aegyptijs pereant, domibus suis egressi. Neque enim fas fuerit ambigere, quòd vnusquisque eorum, qui inter sanctificatos accensi sunt, veluti propriã quãdam domum virtutem habens, si à sanctificatione excedat, vnà cũ alijs sit periturus, pariq; supplicio plectẽdus quo, qui flagitiosa, atque incurabili vita laborant. Idcirco etiam diuinus nobis Psalmista, *Ne disperdas, inquit, cum impijs animam meam, et cum viris sanguinum vitã meam, quorum in manibus iniquitates.* Vide igitur, quo pacto, *Non egrediemini, inquit, ianuam domus vestræ vsque mane.* Sacræ enim literæ præsens seculum nocti comparant. Diem autem expectatum, esse seculum futurum. Vnde beatus Paulus videns præsens seculum iam ad exitum labi: imminere autem, ac tãtum non pro foribus esse futurum seculũ, exclamauit, dicens: *Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, et induamur arma lucis, tãquam in die

Agn⁹ intra ianuas domũ cõmedẽdus quid significet.

Psal. 25.

Nox, typus præsentis seculi.

Dies, typus futuri seculi.

Rom. 13.

immundus quidem ſuper anima hominis, quemadmodum modò diximus, Iudęus Domini interfector. Lõgo verò itinere diſsitus, atque extra portam Ieruſalem, ſiue ſanctam Saluatoris noſtri eccleſiam cõſtitutus, *qui dicit ligno: Deus meus es tu: Et lapidi dicens: Tu genuiſti me.* Nec non qui creaturis cultum creatori debitum tribuunt: aut alioqui quicũque alio errore laborant: ſi modò verè dicitur, quòd omnis vir bonus, ſynceraq́; de Deo opinione imbutus, prope Deum ſit conſtitutus. Remotus autem lõgèq́; diſsitus eſt, qui ita affectus non eſt. Quocirca ij, qui neque immũdi ſunt ſuper anima hominis, vt Iudæi: neque longo itinere diſsiti, vt Græci, et hæretici, diligenter, ac ſine vlla cunctatione offeremus ſacrificium, et feſtum Domini colemus. Celebrabit autem feſtum vnà nobiſcum, atq; eandem planè legem obſeruabit, et congaudebit gaudentibus, aduena. Cum ijs enim, qui temporis ſucceſſu fidem in Chriſto amplectuntur, incruẽtum ſacrificiũ cõmunicamus, eosq́; ad ſanctæ menſæ participationem vocamus. Illud verò adijciẽdum puto, hunc in eccleſias morem ex hac, vt arbitror, lege manaſſe, vt ſi exciderit primo mẽſe, decimus quartus ſecundũ lunã dies, ſecundum et proximum efficit menſem, et in ipſo præfinita dies quæritur, ne feſtiuitatis tẽpus à vero aberret. Res autem ita ſe habet, quemadmodũ etiã Lege prædictũ eſt. PAL. Rectè ais. Cœterum illud dicito: an cuiuis, etiam ſi longo itinere ab Ieroſolymis ſit ſeiunctus, Lex paſcha celebrare impunè permittat? CYR. Nequaquã. Nam in ſola ciuitate ſancta ſacrificare iuſsit, in qua vetus tẽplũ Solomõ ædificauit. Porrò Moyſes in Deuteronomio ita Iſraëlitas alloquitur, dicens: *Obſerua menſem nouorum, et fac paſcha Domino Deo tuo, quoniam in menſe nouorum egreſſus es ex terra Aegypti nocte. Et ſacrificabis paſcha Domino Deo tuo, oues, et boues in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius illic. Non comedes in illo fermentum. Septem diebus comedes in eo azyma, panẽ afflictionis, quoniam in velocitate egreſsi eſtis de Aegypto nocte, et recordemini diei egreſsionis veſtrę de terra Aegypti omnibus diebus vitæ veſtræ. Non apparebit tibi fermentum in omnibus terminis tuis ſeptẽ diebus, et non remanebit de carnibus, quas ſacrificaueritis veſpere, die primo vſque mane. Non poteris ſacrificare poſthac in vlla vrbium tuarum, quas Dominus Deus dat tibi, ſed in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi, illic ſacrificabis paſcha veſpere ad occaſum ſolis in tempore, quo egreſſus es de terra Aegypti. Et coques, et torrebis, et comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Quamplurimis enim vrbibus, ac vicis Iudæorum regio referta erat. Sacra verò peragi, et paſcha celebrari in ſola ſancta ciuitate oportere, Deus præcepit: Illud, vt arbitror, nobis legali litera ſignificante, fas non fore, neque licitum quibuſdam Chriſti myſterium eo, quo ipſis libeat modo, aut loco celebrare. Locus enim ſolus ipſi conueniens, ac reuera acceptus eſt, Sancta ciuitas, hoc eſt, eccleſia in qua

Impediti ad celebrationem paſchæ primo menſe, qui nã ſint, et quid ſpiritualiter ſignificet.

Ierem. 2.

Sacrificare extra ſanctã ciuitatem, nefas.

Deut. 16.

Chriſtus extra eccleſiã coli nõ poteſt.

in qua etiam legitimus sacerdos, et per manus sanctificatas sacra peragit, Deoq; omnipotenti incẽsum offert, et purum sacrificiũ, iuxta Prophetæ vocem. Nihili igitur planè hanc legem faciunt hæretici recta distorquẽtes. Sacrificãt enim agnũ, non in sancta ciuitate, neque per manus eorum, qui per Spiritum sanctũ ad sacrorum administrationem sunt electi: sed quemadmodum diuinus nobis Paulus scribit, sibi ipsis eum honorem suscipientes, atque vsurpãtes, et in quouis loco offerentes. Sicut tauri enim feroces, atque insolẽtes ad ea solùm, quæ ipsis videntur, temerario impetu feruntur. Cœterũ illi acerbas temeritatis vesanięq; suę pœnas iudici luent. Nos verò rursum ad viam tritam, rectãq; eamus, illud in Lege, quam præ manibus habemus, inquirẽtes. Audisti enim manifestè dicentem: Obseruate mẽsem nouorum, et facies pascha Domino Deo tuo, oues, et boues. Quid verò dicat quis, quòd cum ijs, qui in Aegypto erant, legem de paschæ celebratione statueret, vnum tantùm agnum sacrificare pręceperit: ouiũ autem, et boum nequaquam meminerit? Errauitne igitur Moyses? Neutiquam. Nam in Numeris adijci ad agnum boues, et oues Deus iussit, ita dicens: *Et in mense primo, decimaquarta mẽsis pascha Domino: et quintadecima mensis huius celebrate festum. Septem dies azyma comedetis, et dies prima celebris sancta erit vobis: Omne opus seruile non facietis. Et adducetis holocausta oblationem Domino vitulos è bobus duos, arietem vnũ, septẽ agnos anniculos: immaculati erunt vobis. Et sacrificium eorum simila confecta in oleo, tres decimæ vitulo vni, et duæ decimæ arieti vni fient: et septem, septem agnis. Et hircum ex capris vnum pro peccato ad propitiãdum pro vobis, præter holocaustũ sempiternum matutinum, quod est holocaustum continuitatis facietis hæc. Secundum hæc facietis in septem dies donum et oblationem in odorem suauitatis Domino, in holocausto sempiterno facies oblationẽ eius. Et dies septima celebris sancta erit vobis, omne opus seruile non facietis in ea.* Quòd igitur in mense primo, et decima quarta mensis die necessè sit, iuxta Legis præscriptum pascha celebrare, iam antea diximus. Quid autem significare voluerit azymorũ esus, et cessatio ab opere in sabbato: quid etiam, quòd celebres ac sancti vocati sint primns, ac septimus dies, supra declaratum est. Omissis igitur his, ad sacrificiorum modos rursus nos conferamus. Domino itaque vituli in holocaustum, et sacrificium, vnus autem aries. Agni verò numero septem. Omnes immaculati, et anniculi. Et oblatio quidem super his, simila oleo delibuta. Cœterum non æquali mensura. Vnicuiq; enim vitulo tres decimæ, duæ verò arieti, et vna singulis agnis assignãtur. Deinde adfertur vnà etiam hircus ex capris pro peccato. Et hæc omnia, inquit, præter holocausta continuitatis, siue perpetua. Vide itaque, Palladi, mortem Emanuelis multos iuuantem, iuxta illud apertè, vereq; ab ipso dictũ: *Amẽ amen dico vobis, Nisi granum frumẽti, quod ceciderit in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem

Marginalia: Hæretici extra sanctã ciuitatem, hoc est, ecclesiã, sacrificant. — Locus Deut. 16. cũ loco Exod. 12. conciliatus. — Num. 28 — Ioan. 12.

autem mortuum fuerit, vberem fructum fert.* Mactatur itaque agnus in typum Christi menſe quidem primo ſecundum Legem. Die autẽ rurſus decimaquarta. Offeruntur verò vituli, et aries, atq; agni in ſacrificiũ, et holocauſtomata eorum, qui per fidem vocati ſunt ad ſanctificationẽ: vt ego quidem arbitror, multitudinem, et ſpiritualis roboris menſurã typo ſignificante. Niſi enim mortuus eſſet pro nobis Chriſtus, neque nos recepti eſſemus in odorem ſuauitatis Deo, ac Patri. Quando verò conſummatus eſt per paſsionem, ſtatim effecti ſumus ſacrum donarium Deo, et Patri: ſpirituale reuera ſacrificium nos ipſos offerentes. Porrò duo ſunt vituli: duo enim ſunt populi, Iſraëliticus nimirum, et Gentilis. Vnus autem aries. Vniti ſiquidem ſumus in Chriſto, *qui vtraq; fecit vnum: et maceriem, quæ nos diſtinguebat diſſoluit: legemq; mandatorum in dogmatibus † aboleuit, vt duos formaret in vnum nouum hominem, faciens pacem, *ſicut ſcriptum eſt. Septem autem erant agni. Vnum enim omnes in Chriſto facti, ingens quædam turba ſumus, qui in vnius ſummi paſtoris poteſtatẽ venimus: et ex duobus ouilibus in vnũ iam collecti, puraq;, et immaculata vita conſpicui in mundo degimus, per eum, qui pro nobis cum iniquis reputatus, proq; omnium peccato mortem ſuſtinuit: qui etiam in hirco ſignificatur. Vituli vtique, et arietis, nec nõ agnorum mentionẽ faciẽs Lex, tres differentias ſanctorum, qui vitam Deo gratã inſtituunt, ſignificauit: ſupremã nimirum, et mediã, aliamq; adhuc minorem, et inferiorem. Nam in corporali animaliũ magnitudine, ſpiritualis roboris quantitas figuratur. An non enim etiã optimam terram triplicem fructum edere euãgelicus ſermo teſtatur? PAL. Maximè. Hæc enim, inquit, tulit cẽtum. Hæc verò, ſexaginta: tertia autem triginta. CYR. Cõſtat igitur differentiam virtutum, vitæq; diuerſitatem, veluti in quãtitate ſacrificiorũ, et tanquã in mole corporea pulchrè adumbrari. Summè enim, atque excellenter, veluti in vitulo. Medio autem modo, quodq; nonnihil à perfectione diſcedit, veluti in minore ariete. Remiſsiore verò adhuc atq; inferiore, agno. Minor enĩ eſt ariete agnus, queadmodũ ferè aries vitulo. Idcirco pro cuiuſq; magnitudine ſimilæ, vitæ typũ præ ſe ferentis, mẽſura offertur. Tres ſiquidem vitulo decimæ: duæ verò arieti: atq; vna agno tribuitur. Cœterũ oleo delibuta eſſe omnia debere ait. Nam pro cuiuſq; mẽſura merces à Deo tribuetur: multaq; erit in gloria ac beatitudine vitæ differẽtia. His enim ſummus honor et gloria cõueniat. His verò minor. Alijs autẽ inferior adhuc, et remiſsior. Stella enim à ſtella differt gloria: atq; in ipſis quidem ſanctis angelis multa eſt in gloriæ mẽſura diuerſitas. Cœterum qualicunq; menſura ſanctorum vita prædita ſit, hilaritatem, et alacritatem coniunctam habet, Deiq; donis impinguatur. Vides enim, quo pacto oleum nõ ſolùm tribus decimis affundebatur, ſed etiam duabus, et vni. Sacrificiũ autẽ iuge, ac perpetuum, et holocauſtomata, vocat agnum immaculatum in ſancto tabernaculo, manè et ſub veſperũ, per quod rurſus intelligi poteſt, quòd

Mortis Christi neceſsitas.

Duo vituli typus ſunt duorum populorũ, Iſraelitici, et Gẽtilis.

Epheſ. 2.

† Deeſt fortè in Cyrillo ευαγγελικοῖς

Sanctorũ differẽtiæ tres

Gloriæ, ac beatitudinis diuerſitas.

quòd suauis admodum sit sancti tabernaculi odor, atq; perpetua reuera ecclesiarum fragrantia, et sanctorū, qui in eis sunt. Spirāt enim Emanuelem, et Christi mysterium peragūt, incruentum cultum offerētes Deo. Siquidem hoc esse existimo, manè et vesperi agnos in holocaustum offerri. Nam sub initiū, mediū, ac finē accipitur. Ab initio itaque ad finem vsq;, suauitas odoris est in ecclesijs, veluti in agno, Christo. PAL. Rectè ais. CYR. Aliam autem Lex priori festiuitatem adiungit: ac tantum nō eadem nobis tēpora coaptat in Nu-
Num.28 Festū nouorum. meris dicens: *Et die nouorum quādo obtuleritis sacrificium Domino nouum hebdomadarum, celebris sancta erit vobis: omne opus seruile non facietis: et adducetis holocausta in odorem suauitatis Domino, vitulos è bobus duos, et arietem vnum, septem agnos anniculos immaculatos: sacrificium eorum simila confecta in oleo. Tres decimæ vitulo vni, et duæ decimæ arieti vni, et septem, septem agnis, et hircum ex capris vnum pro peccato ad expiandum pro vobis, præter holocaustum sempiternum. Et sacrificiū eorum facietis mihi. Immaculati erunt vobis, et libationes eorū.* In mense enim primo, iuxta Hebræorum leges, agnus occidebatur. Proximo autem moris erat colligere, quæ in agris: legumina, in quā, matura: et fasciculum ordei, demisso iam etiam frumēto. Tēpus itaq; nouorum est, quādo colligere oportet ex agris ea, quę in ipsis seminata sunt. Celebre autē rursum etiam eiusmodi, inquit, est festum: riteq; celebrandum, ab omni labore, atq; opere vacando. Quiescere enim mos est in festis, et à quouis opere abstinere. Ex hoc verò intelligere licet rursum, quòd sanctos festū Deo agētes, turpia, grauiaq; peccata cōmittere nō deceat, at potius quietā mentem tenentes virtutis studijs vacare. Offeruntur autem in holocaustū, et sacrificium, vituli quidem duo: aries autem vnus, et septem agni. Simila oleo delibuta, et hircus ex capris. Et quid sibi velit Legis figura, cum iam satis dixerimus, nequaquam repetemus. Cæterum illud necessariò dicemus, quòd tempus nouorum, Saluatoris nostri resurrectionis tēpus nobis præfigurat. Refloruit enim hominis natura in primo, Christo, abolito interitu, et antiquo peccati iugo abiecto. Idcirco etiam hac de re vehementer gloriatur, inquiēs: *Exultet anima mea in Domino. Induit enim me vestem salutaris, et tunicā lætitiæ*. Vestem siquidē salutaris, et tunicam lætitiæ, supernam, atque cœlestē, et in Christo sitam incorruptionem vocauit. Manifestius verò de hac ipsa festiuitate Legem, eiusq; figurā ob oculos ponit in Leuitico, dicens: *Loquere filijs Israël, et dices ad eos: Quando ingressi fueritis in terrā, quā ego do vobis, et messueritis messem ipsius, et feretis manipulos, primitias messis vestræ ad sacerdotem, et offeret manipulum coram Domino acceptabile vobis, crastina die à primo offeret illum sacerdos. Et facietis in die, qua tuleritis manipulum, ouem immaculatā aniculam in holocaustum Domino, et sacrificium eius duæ decimæ similæ confectæ in oleo, sacrificium Domino in odorem suauitatis Domino: et libationem eius quartam par-

Tempus nouorū, typus est resurrectionis Dominicæ.

Esai.

Leuit.23

partem hin vini, et panem: et toſta farra non comedetis vſq; ad ipſam diem hanc, quoad obtuleritis dona Dei veſtri, legitimum ſempiternũ in generationes veſtras in omni habitatione veſtra. Et numerabitis vobis à poſtero die ſabbatorum, à die qua obtuleritis manipulum impoſitionis, ſeptem hebdomadas integras numerabis vſque ad craſtinum vltimæ hebdomadæ numerabitis quinquaginta dies.* Feſtum enim ſalutare reuera eſt Emanuelis pro nobis mors. Perſoluit enim pro nobis debita: et verum eſt, quòd ipſe tollit peccata noſtra, ac pro nobis affligitur, ac vibice ipſius nos ſanati ſumus.

Coloſ. 2. *Affixit enim propriæ cruci, quod contra nos erat chirographum: et in ipſa triumphum tulit de ijs, qui antiquitus in terra imperium obtinebant: principatus, inquam, et poteſtates, et ſpiritualia malitiæ, ac præ alijs de Satana.* Feſtum autem proximum ſtatim, neque minus eſt, Reſurrectio à mortuis, mortem profligans, et delens peccatum, atq; in nouam vitam nos transferens, quæ in ſanctitate, incorruptioneq; eſt, abolita morte. Exuti enim ſumus veterẽ hominem, et induti nouum, hoc eſt, Chriſtum. Vide itaque renouatę humanitatis primitias, hoc eſt, Chriſtum, veluti in typo manipuli, et primitiarum agri, ac veluti primitias fructuum, hoc eſt, Chriſtum, ſacrum donarium oblatum Deo, ac Patri. An non enim inſtar ſpicarum refloruimus in mundo? PAL. Maximè. Idcirco de nobis ipſe etiam Chriſtus ſanctis diſcipulis dixit: *Nonne vos dicitis: Adhuc quatuor menſes ſunt, et venit meſsis? Ecce dico vobis, attollite oculos veſtros, et videte regiones, quoniam albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, et qui congregat.* Spicis enim, et frumentis noſtra cõparantur. CYR. Quocirca inſtar primitiæ ſpicarum, et veluti nouus fructus in faſciculum redactus Chriſtus intelligitur, primogenitus mortuorum, quiq; nobis reſurrectionis via eſt, quiq; omnia ad nouitatem transfert, et vetera antiquat. *Vetera enim, inquit, præterierunt. Ecce facta ſunt omnia noua:* ſumusq; in Chriſto noua creatura ſecundum ſcripturas. Offerebatur autem faſciculus coram Domino. Suſcitatus enim à mortuis Emanuel, nouus humanitatis fructus, et corruptionis expers aſcendit ad cœlum, vt appareat nunc pro nobis in conſpectu Dei, ac Patris. Neque verò omnino ſeipſum in conſpectum ducens ipſius (vnà enim cum ipſo perpetuò exiſtit, neque á Patre ſeparatur, vt Deus) ſed potius veluti in ſeipſo, nos in eius conſpectum adducens, qui ab eius conſpectu remoti eramus, eiusq; iræ obnoxij propter transgreſsionem in Adam: et peccatum, quòd in nos imperium obtinebat. In Chriſto itaque id conſequimur, vt in conſpectu Dei conſtituamur. Dignatur enĩ nos ſuo aſpectu deinceps, vtpote ſanctificatos. Animaduerte autem, quo pacto nobis etiam Lex conueniens reſurrectioni tempus præfigurarit, hoc eſt, tertiam diem. Perendino enim, inquit, poſt primum diem offeret ſacerdos manipulum coram Domino. Tertius autem omnino à primo dies non craſtinus, ſed perendinus

Margin notes: Manipulus primitiarũ agri, typus Chriſti. — Ioan. 4. — 2. Cor. 5 — Faſciculi frugum oblatio corã Domino, quid ſignificet. — Chriſtus quo pacto apud Patrem pro nobis appareat. — Reſurrectionis Dominicæ tempus in Lege præfiguratũ.

dinus est. Resurrexit enim Christus tertio die. PAL. Ita est. CYR. Offertur vnà cum fasciculo etiam agnus immaculatus, duabus decimis similæ oleo mistæ ipsi adiectis. Nam is, qui veluti in fasciculo, et primitijs fructuum describitur, ex grege primitia accipitur, grege autem viuente, tanquam in pinguedine gratię, et in lætitia spiritus. Idcirco ait, vnà cũ agno offerri debere similam, oleum, et vinum. Atqui simila quidem signum fuerit vitæ, quemadmodum iam sæpe diximus: pinguedinis verò, oleum: lætitiæ autem vinum. Offertur autem veluti in pane rursum, et in farris comminutis. Farra verò legumina vocat, idcirco, vt arbitror, quòd à triturantibus comminuta pistrinis admoueantur. Intelligatur verò nobis etiam per hæc Christus veluti noua massa, ad quẽ nos transformati sumus, iubemurq; celebrare festa, expurgati à veteri fermento, vt et nos noua massa efficiamur, in similitudinem eius, qui omnem nobis viam ad nouitatem vitæ instaurauit, hoc est, Christi. PAL. Rectè ais. CYR. Præcipit verò etiam abstinendum nobis esse a fructibus nouis, nihilq; planè ab ijs edendum, donec fasciculi oblatio, cõsecratioq; peracta sit. Noua enim non comedetis, inquit, vsq; ad ipsam diem hanc, donec obtuleritis vos dona Deo vestro. Tempus enim conueniens participationi nouæ, atque immortalis vitæ, solùm id fuerit, et quidem meritò, quo eluxit Emanuel. Nemo verò omnino ante ipsum par erat, ad nos in nouam vitam transformandos. Primitiæ autem quodammodo, et primus ipse eorum, qui in incorruptionem creati sunt, quatenus factus est homo, assumptaq; carne nobis similis est redditus. Cum verò septem hebdomadas numerãdas esse iubens post fasciculi oblationem, apertè nobis sanctam pẽtecosten prefigurauit. Nam post diem Saluatoris nostri, resurrectioni sacrum, septem hebdomadis continuis elapsis, Pentecostes festum fideles celebramus. PAL. Quàm apertus est sermo. CYR. Quòd verò tempus resurrectionis nostri Saluatoris transmutet sanctificatos, et in Spiritu, ac fide iustificatos, vt nouam, ac synceram vitam offerre posint, apertè ostendit, ita statim dicens: *Et offeretis sacrificium nouum Domino ab habitatione vestra. Offeretis panes impositionem, duos panes ex duobus decimis similæ erunt, fermentati coquentur primitiarum Domino. Et offeretis cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum vnum ex bobus, et arietes duos immaculatos, et erunt holocaustũ Domino: et sacrificia eorum, et libationes eorum, sacrificium odor suauitatis Domino. Et facietis hircũ ex capris vnum pro peccato, duos agnos anniculos in sacrificiũ salutaris cum panibus primitiarum impositionem coram Domino, cum duobus agnis, sancta erunt Domino. Sacerdoti offerenti ea, ipsi erunt. Et vocabitis hanc diem celebrem, celebris sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis in ea. Legitimum sempiternũ in generationes vestras in omni habitatione vestra. *Veluti primitia igitur creaturæ in nouitatem trãsformatæ est Emanuel. Intelligitur verò

Penteco stes festũ typis Legis præfiguratũ.

Leuit. 23.

verò primus in nobis tanquam panis, et noua maſſa: nosq́; eâdem via arrepta iuxta ſimilitudinē cum ipſo, noua etiam maſſa vocati ſumus. Typus autem huius rei fuerit panis ex nouis frugibus oblatus. Cœterum non vnus eſt panis, ſed duos offerri debere, inquit. Duo enim populi ſunt, etiam ſi vnum effecti videantur per mediatorem Chriſtum. Præterea fermentati coquentur panes, inquit. Quidnam verò hæc figura ſibi velit, age dicamus, Legis obſcuritatem, quoad eius fieri poteſt, eruētes. Anne igitur fermentum in his intelligēdum eſt, quod veluti in prauitate eſt, et fictitium? Quo pacto verò non ſtultum ſit id cogitare? Quomodo enim adhuc à prauitate liberabimus eos, qui in nouitatem vitæ euangelicæ tranſlati ſunt? Aut quænam hæc nouitas? Aut quo pacto noua maſſa dicantur, ſi fermenti reliquiæ in ipſis adhuc hærent? Erunt vtique profanæ, execrabilisq́; prauitatis non in vniuerſum expertes. Intelligendum itaque eſt, iuxta conuenientem huic contemplationi rationem, aliud fermenti genus, quod nihil fictitium in ſe habet: at potius in ſacra ſcriptura laudatum. Saluator itaque fermento diuinæ, euangelicæq́; diſciplinæ laudabilē vtilemq́; vim, atque virtutem comparat, dicens: *Simile eſt regnum cœlorum fermēto, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum.* In mentem etenim et cor penetrans euangelicæ doctrinæ viuificans vis, animam ſimul, et corpus, ac ſpiritum in ſuam quodammodo qualitatem tranſmutat. Eiuſmodi igitur fermento populos fermentatos eſſe exiſtimandum eſt, tanquam in forma panum oblatos. Porrò ſinguli ex duabus decimis duplicem doctrinā figuratè nobis ſignificant. PAL. Quid ais? CY. Nunquid, Palladi, ita cenſes, quòd per duplicem doctrinam, legalem nimirum, et euangelicam ſancti futuri ſumus, et accepti Deo? Quodq́; hoc pacto ad nouam, eximiamq́; vitam imus? PAL. Ita cenſeo. CYR. Hoc ipſum Saluator etiam nobis declarat, dicens: *Idcirco dixi vobis: Quòd omnis ſcriba doctus ad regnū cœlorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui depromit è theſauro ſuo noua, et vetera.* Qui enim mētem Moſaicis præceptis inſtructam habent, veterisq́; illius, ac typici mandati plenam, eiq́; nouam, atque euāgelicam diſciplinam coniunxerint, dublici proculdubio doctrina gaudent. PAL. Rectè ais. CYR. Cœterū non in ſolis panibus nobis deſcripta eſt multitudo corū, qui in nouitatem vitæ apparati ſunt: iubet verò Lex ſeptem agnos offerri cum vitulo vno. Libatio etiam ſacrificium cōmitabatur, hoc eſt, vini affuſio, ac veluti in quarta parte hin, hoc eſt, ſi noſtra lingua interpreteris, ſextarijs ſex. Septē igitur agni typus fuerint rurſum multitudinis credentium, in fantis adhuc in Chriſto. Infantiæ enim ſymbolum eſt agnus: quæ tamen in robore, fortitudineq́; ſpirituali procedat ad perfectionē, et ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. PAL. Quo pacto ais? CYR. Cū agnos nominaſſet, interpoſito vitulo, ſtatim adijcit arietes. Typus autem fuerint agni, gregis: roboris verò, ac fortitudinis, vitulus: (Robu-

[Margin notes: Fermēta ti panes, cur offeruntur. Leuit. 23 — Fermentum aliquando in bonā partē accipitur. Matt. 13. — Matt. 13. — Hin quęnam męſura ſit.]

bustũ enim animal est.) Aetatis autem perfectæ, aries. Fideles itaque, terrenis rebus fortiter obsistendo, ad perfectionem contendunt in Christo intellectam. Arietes enim perfecta ætate præditi, spiritualis perfectionis mẽsuram, veluti in seipsis, significãt. Cœterum duo sunt arietes. Siquidem duplex in nobis est perfectio in Christo: in opere nimirum, et cogitatione. *Qui enim fecerit, et docuerit, inquit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Vinum verò rursum victimis infunditur. Eos enim, qui ad perfectionem in Christo intellectam contenderint, lætitia necessariò comitabitur.* Vinum etenim, inquit, lætificat cor hominis.* Atqui hircus quidẽ pro peccato mactabatur. Offerũtur autẽ etiam agni duo cum panibus in sacrificium salutaris. Mortuus enim est pro peccatis nostris Emanuel, veluti in hirco descriptus: sacramq; effecit, et acceptam nostram in nouitatem vitæ, et in nouam massam mutationem, animæq; simul ac corporis consecrationem: quam sustinere cõsueuimus, tãtum non cõmorientes ei, qui propter nos mortuus est, vt viuamus ipsi. Huiusmodi quid sapiens etiã Paulus nobis præcipit, inquiens: *An ignoratis, quia quotquot baptizati sumus in Christũ Iesum, in mortẽ ipsius baptizati sumus? Cõsepulti itaq; sumus ipsi per baptismũ in mortem ipsius, vt quẽadmodum suscitatus est Christus per gloriam Patris: ita etiã nos in nouitate vitę ambulemus.* Immolatus igitur est ipse pro peccatis nostris. Cõsepulti autem sumus ipsi etiã nos subeuntes mortem, nõ corporalem: sed mortificantes membra terrena, neq; iam amplius viuentes mundo, sed potius Christo, ac per ipsum Patri. Vide itaque mactato hirco commorientes agnos, panesq; simul adoleri. Accepta enim est nostra consecratio, et in odorem suauitatis noua nostra et euangelica vita conformata quodammodo passionibus Christi, eiusq; imitationem præ se ferens.* Si enim compatimur, etiã conregnabimus: si commorimur, etiam conuiuemus: et si socij passionum sumus, gloriæ etiam participes efficiemur.* Vocetur autem huiusmodi oblatio sacrificium salutaris, inquit. Saluat enim Christus eos, pro quibus immolatus est: siquidem liberat à peccato, et à morte corruptioneq; vendicat, consepultos ipsi, atq; commorientes eo, quo dictum est, modo. PAL. Quàm profundus sermo, et obscurum Legis negotiũ. CYR. Imago enim, Palladi, ac veluti subtilium cogitationum obscura quædam adumbratio est. PAL. Rectè ais. CYR. Tria itaque tempora Lex esse ait, quibus nos festum agere conuenit. Tria enim tempora anni, inquit, festum celebrabitis mihi. Cum itaque de duobus abundè iam à nobis dictum sit, placetne de tertio, et quo pacto peragatur, dicamus? Audi itaque vniuscuiusq; occasionem. Primùm enim, quia saluauit nos, mortem pro omnium salute sustinens, Christus: Secundum verò, quia dissoluta morte, reuixit: et in nouam vitam nos instaurauit, vtiliter celebrabatur. At primi quidem festi tempus, erat primus anni mensis. Secundi autem, vicinus statim, ac proximus, quo par est, spicis falcem admoueri: aliaq;

Perfectio in Christo, duplex.

Matth. 5

Psal. 103.

Rom. 6.

Rom. 8.

ex se-

ex ſeminibus colligere, innumerosq; agrorum fructus. Age itaq; de tertio feſtiuitatis tẽpore dicamus, inquirẽtes accuratè, quo pacto, et quibus in rebus ea celebranda ſit: eiuſq; rei cognitionem ex Lege, atq; ipſis ſacris literis petamus. Ita enim nobis ſermo rectè proceſſerit. An non tibi rectè ſentire videor? PAL. Rectiſsimè. CYR. Scriptũ igitur eſt in Leuitico: *Et locutus eſt Dñs ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſraël, dicens: Mẽſis ſeptimi vna menſis erit vobis requies, memoriale æternum tubarũ, celebris ſancta Dño. Omne opus ſeruile non facietis: et offeretis holocauſtum Domino.* Videtur itaq; nobis ſeptimus menſis conſummationis, ſiue nouiſsimum tẽpus ſignificare. Mẽſe enim ſeptimo omnia ex agris, nõ in aream cõferuntur: ſed in vniuſcuiuſq; horreis reconduntur. Præterijt enim iam meſsis tempus, imminet verò hyemis principium, corrũpens plantas, et flores areſaciẽs. Age itaq; ad nos ipſos tẽpus hoc accomodantes, dicamus, quòd labẽte iam ad finẽ hoc ſeculo, atq; imminente quodammodo alio, in quo neceſſariò de peccatoribus ſupplicium ſumẽdum ſit, coaceruabit quidem vnuſquiſq; ex proprijs laboribus, et cœleſtes theſauros ſibi recondet, memorq; erit Chriſti dicentis: *Ne reponatis vobis theſauros in terra, vbi erugo, et tinea corrumpit, et vbi fures perfodiunt, ac furantur: ſed recondite vobis theſauros in cœlo.* Cum itaque ſuſcitato Chriſto ſacrorũ doctorum ſermones nos cõſummati temporis admoneant, paſsim proclamãtes extremũ tẽpus aduenisse: collocet, atq; recondat, inquit, deinceps ſibi vnuſquiſque theſauros cœleſtes. Cœterũ in primo die menſis, in quo recõduntur fructus, erit vobis requies, inquit, memoriale tubarum. Theſaurizat enim vnuſquiſq; ſibi ex proprijs laboribus bona, æternamq; delectationẽ, et quietem ſibi cõparabit: memor quòd quemadmodum diuinus Paulus inquit: *Ipſe Dominus in voce Archangeli, et in tuba Dei deſcẽdet de cœlo. Canet enim, inquit, tuba: et mortui ſuſcitabuntur incorrupti.* *Omnes ſiquidẽ nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſq; ea, quæ fiunt per corpus iuxta id, quod fecit, ſiue bonum, ſiue malũ.* Memores itaq; ſimus ſanctæ huius, atq; horrendę tubæ, quãdo celeberrima eſt ſanctorũ ſancta feſtiuitas, cum iam expectatã hereditatem cernent, et bonorũ operum ampliſsimam mercedem accipient. Neceſſe itaq; eſt, vt nos in has cogitationes pio animo incumbẽtes ab omni opere deſiſtamus, quòd nihil omnino nos iuuare poſsit, at potius contaminare ſoleat. Hoc enim, vt arbitror, eſt, quod et ſapiẽs Paulus nobis inquit: *Tempus cõtractũ eſt, deinceps vt qui vxores habeãt, ſint quaſi nõ habẽtes: et vtentes hoc mũdo, quaſi non abutentes.* PAL. Ita videtur. CYR. Deinde ait: *Quòd decima mẽſis ſeptimi huius dies expiationis eſt, celebris ſancta erit vobis: et humiliabitis animas veſtras, et offeretis holocauſtũ Domino. Omne opus non facietis in ipſa die hac: eſt enim dies expiationis hęc vobis, propitiare pro vobis coram Dño Deo veſtro. Omnis enim anima, quæ nõ humiliabitur in ipſa die hac, exterminabitur ex populo ſuo. Et omnis*

Leuit. 23.
Matth. 6
1. Cor. 15
2. Cor. 5.
1. Cor. 7.
Leuit. 23
Feſtũ expiationis

anima, quæ faciet opus in ipsa die hac, peribit anima illa de populo suo. Omne opus nõ facietis. Legitimũ sempiternũ in generationes vestras in omnibus habitationibus vestris. Sabbata sabbatorum erunt vobis. Et humiliabitis animas vestras à nono mensis á vespera vsq; ad vesperam sabbatizabitis sabbata vestra. Humiliationem, et ieiunium, et holocaustorum oblationem, cessationéq; ab omni opere faciẽdam esse dicit: carnalium quidem desideriorũ mortificationem per ieiunium significans: per holocausta verò consecrationem in odorem suauitatis, nõ ex parte, siue diuisim: sed integrè, ac perfectè. Per quietem verò, cessationemq; ab omni opere, elegãter indicat, nihil terrenum comitendũ esse. Nõne enim existimas oportere eos, qui iam ad finem temporum peruenerint, sacræq; atq; extremæ tubæ meminerint, et de iudice cogitẽt, cœlestes deinceps thesauros reponere, spiritualis nimirum messis diuitias, mortificantes quidem voluptates, et corporalibus vitijs superiores: fragrare autem Deo pietatis fructus, lõgissimeq; abesse à vanis studijs? Sũt autem hæc mũdana negotia, et prauæ huius vitæ occupationes. PAL. Censeo certè. CYR. Quid verò ij, qui affectus superant, et mortificant membra terrena, scortationem, immunditiam, concupiscentiam malam, nonne in odorem suauitatis cõsecrati erunt Deo, atque instar holocaustorum pretium quoddam piaculare, et propitiationem pro suis ipsorum animis id persoluãt? PAL. Omnino. CYR. Diem itaque expiationis, diem ieiunij legislator vocauit: et quidem rectè admodum, atque legaliter. Mortificans nimirum carnem, et quæ eius sunt, virtutisq; suauitatem spirans: ab omni verò opere mundano non abstinens, extremis omnino malis, vt apertè ostẽdit, obnoxius fuerit. Periturũ enim de populo suo dicit eum, qui non ieiunarit, neque holocaustum obtulerit: quiq; legem de cessatione violarit. Sabbata autem sabbatorum huius festi tempus esse dicens: ostendit deinceps esse cessationem cessationum, hoc est, integram, atque vniuersalem quietem ab opere: à prauitate nimirum, et peccatis. Desinente enim seculo hoc, et tantumnon senescente tempore, quamnam deinceps in nobis in vniuersum portionem habeat vanitatis studium? at potius meliora cogitabimus, gratissimam Deo quietem agentes, et à proprijs occupationibus toti discedẽtes. PAL. Rectè ais. CYR. Præcipit verò rursum: *Et in die, inquit, quinta et decima mensis septimi huius, quãdo consummaueritis omnes fructus terræ, celebrate Domino septẽ dies. Die prima requies, et die octaua requies: Et accipietis vobis die prima fructum arboris pulchrum, et spatulas palmarum, et ramos arboris densos, et salices, et agni casti ramos ex torrẽte: et lætabimini coram Domino Deo vestro septem dies. Et celebrabitis ipsam festiuitatem Domino septem dies anni legitimum sempiternum in generationes vestras. In mense septimo celebrate ipsam.* Animaduerte itaque, quo pacto reposita iam in horreum messe agri, et collectis vniuscuiusque fructibus, prope admodum est celeberrimum festum

Expiationis dies, quid significet.

Sabbata sabbatorũ, cessationẽ cessationũ significat.

Leuit. 23

Festũ tabernaculorum.

ſcenopegiæ, vitam in paradiſo ſigni ficans, reſtituens hominem in participationem eius, quod initio fruebatur. Scenopegiam enim eſſe dicimus ſpiritualem, ac veram humanorum corporum compactionem, ſublatoq; interitu, reuiuiſcere in incorruptionem. Requies autem prima, et octaua. Nam ante primam tranſgreſsionem, cum nondum peccati grauiſsimo, ac reuera intolerabili iugo ſubditi eſſemus, liberam quandam omnisq; laboris expertem vitã in paradiſo agebamus, veluti in principio, ac ſtirpe generis Adam. Aduentu enim Chriſti, etiam qui medij acciderãt labores ad priſtinum ſtatum reſtituti ſunt octauo tempore, hoc eſt, poſt legalem ſabbatiſmum, ſiue legalis temporis cõſummationem: et graui, execrabiliq; peccati iugo animis noſtris excuſſo, ab omni prauitate deſtitimus, vocãte nos ad hoc per fidem Chriſto, et dicente: *Accedite ad me omnes, qui laboratis, et onuſti eſtis: et ego reficiam vos.* Quies itaq; prima hebdomadæ die priſtinum hominis tempus ante peccatum ſignificat. Octauæ verò diei requies, id tempus, quo reuixit Chriſtus, affixo propriæ cruci, quod contra nos erat chirographo: vnoq; ipſo pro omnibus mortuo, vt nos à morte, et peccato ereptos, à pœna, laboribusq; liberaret: priſtinamq; requiẽ per ipſum adipiſceremur. Prima, inquit, die accipient fructum ligni maturum, et ſpatulas palmarũ, aliosq; ramos: ex quo intelligere eſt rem ipſam quodammodo proclamantem, quod Deus nobis in Chriſto rurſum paradiſi delitias ſit redditurus: quas ob trãſgreſsionem amiſimus. Eiecti enim ſumus in Adam, ſed reſtituti per Chriſtum. Audiſti enim alibi dicentem latroni, qui ipſi appenſus erat: *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Auertit enim Chriſtus gladium, qui nos inde arcebat, liberq; eſt credentibus deinceps ingreſſus, ipſo omnia in priſtinum ſtatum inſtaurante, atque transformante. Porrò rami ſunt ex arboribus ſemper virentibus, ſignificantes nimirum perpetuitatem gratiæ, et ſpem quodammodo nunquam marceſcẽtem. Nunquam enim Deum beneficiorum ſuorum, ac vocationis pœnitet: et ſempiternum reuera eſt ſanctorum gaudium: quod et ſapiens Eſaias teſtatur, dicens: *Gaudium æternum ſuper caput ipſorum: laudatio, et lætitia æterna ſuſcipiet eos. Sublatus eſt enim omnis dolor, ac mœror.* Adijcitur autem præcepto de huius feſti obſeruatione, ex torrente lætari debere. Inquit enim, Vltima hebdomadæ die, ſiue octaua, hauriri quidem ex torrente aquam: atque ita fideles lætari. Porrò torrens ſpiritualis ac cœleſtis, eſt Chriſtus: ſupernis fluentis eorum, qui ipſum colunt, animas irrigans. Vnde etiam per vocem Prophetarum inquit. *Ecce ego declino in ipſos, ſicut fluuius pacis, et ſicut torrens ſtagnans gloriam gentium.* Diuinus etiam Dauid alibi ita exclamauit ad vniuerſorum Deum, ac Patrem: *Quomodo multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur à pinguedine domus tuæ: et torrente delitiarum tua-

[Margin notes: Scenopegia ſpiritualis, q̃nam ſit. — Sabbata prima et octaua die obſeruata, q̃d ſignificent. — Matth. 11 — Homines paradiſo reſtituendi. — Luc. 23. — Eſai. 11. — Torrens ſpiritualis, ac cœleſtis, Chriſtus — Eſai. 66. — Pſal. 35.]

tuarū potabis eos.* Cōuenit enim, et quidē meritò paradisi vitæ, Christi participem esse, et multiplici spiritus cōmeatu gaudere. PAL. Cōuenit certè, et rectè censes. CYR. Vide autē quo pacto in solis Ierosolymis festū celebrari iussum sit: necesseq; planè erat, ex omni Iudæorū regione eò cōuenire. Fuerit autē etiā hoc signum, oportere omnes, qui quidē gloriosam, ac laudabilem vitā agere velint in supernam ciuitatem conuenire, cœlestem Ierusalem: atq; illic vnà versantes festum in Christo celebrare. Increduli verò, quiq; resurrectionis gratiā nondum acceperūt, at potius venerādum hoc, et profundum mysterium contemnunt, capitali supplicio afficiētur. Porrò testis huius rei fidedignissimus fuerit Zacharias, dicēs: *Et erit, quotquot nō ascenderint ex omnibus tribubus terræ Ierusalem ad adorandum regem Dominum omnipotētem, et hi illis adijcientur. Si autem tribus Aegypti non ascenderit, neque egressa fuerit illuc, etiā in his erit ruina: quia percutiet Dominus omnes gentes, quæcunq; nō ascenderint ad celebrandū solennitatem scenopegiæ.* Scenopegiæ igitur optatissimum festum censebimus esse corporum omnium resurrectionem, Christum primitiam habētium. Primogenitus enim mortuorū vocatur, et est reuera. PAL. Rectissimè sentis. CYR. Cœterum illud scisne? PAL. Qualenam obsecro? CYR. In ijs enim, quę modò ex Lege recensuimus, nominatim quidem est sacrificium assiduitatis, siue perpetuū, necnon Neomenia, et sabbatorum sacra, et ieiunium, ac pręterea desideratissimum Scenopegiæ festum.

Festa scenopegiæ extra Ierosolymā celebrari nō debere, quid significet.

Zach. 14.

Scenopegiæ festū typus resurrectionis omniū corporum.

Adiecit autē vbiq; Lex ad singula eorum, quæ dicta sunt. Offerte holocaustomata Domino. Quinam autem sint à nobis sacrificiorū modi præstādi, quinam verò rursum Neomeniæ conueniant, ac sabbatis, quinam etiam ieiunio, quiq; post Scenopegiam fiunt, vel quęnam sit ea sacrificiorum assiduitas, præterijt quidē legislator in Leuitico. Latiorē verò de his sermonem agit, multoq; subtilius tractat in Numeris. Placetne autem, vt de singulis particulatim agamus, quoad in nobis situm fuerit? PAL. Omnino. CYR. Ita igitur scriptum habetur: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filijs Israēl, et loqueris ad eos, dicēs: Dona mea, oblationes meas, libationes meas in odorem suauitatis seruabitis offerre in festiuitatibus meis. Et dices ad eos: Hæ sunt oblationes, quas adducetis Domino, agnos anniculos immaculatos duos per diem in holocaustum assiduè: agnum vnū facies manè: et agnum secundum facies ad vesperam. Et facies decimā partem ephi similam in sacrificium confectam in oleo quarta parte hin, holocaustum assiduitatis, factum in mōte Sinai in odorem suauitatis Domino, et libamen eius, quartam partem hin agno vni. In sancto libabis libationem, sicera Domino. Et agnū secundum facies ad vesperam, iuxta sacrificium eius, et iuxta libationem eius facies in odorem suauitatis Domino.* Intelligis itaq;, quo pacto sacrificiorum oblationem festis maximè conuenire diuina nobis lex in his affirmat. Necessarium enim planè esse iudico nos in his bonū odorem Deo spirare, vitam nimirum in Christo,

Num. 28

ſto, inſtar thymiamatis cuiuſdam, atque odoratiſsimi holocauſti Deo adolentes, iuxta illud, arbitror, rectè admodũ dictum: *Exhibete igitur corpora veſtra hoſtiam viuentẽ, ſanctam, beneplacentem Deo, rationalẽ cultum veſtrum.* Sacrificium autẽ perpetuitatis peragi debere optimè inquit, vno quidem agno immolato manè: altero verò veſperi: ſimilam etiam vnà adolendam: oleumq́;, ac vinum offerendum. Omni enim tẽpore, atq; indeſinẽter, et ab initio ad finem vſque in ſancto tabernaculo, hoc eſt, in eccleſia per omnes virtutes bonũ odorem fragramus Deo. Manè ſiquidem et ad veſperam immolari agnos, figuratè ſignificat eũ, qui propter nos, ac pro nobis Patri ſe obtulit, vnaq; cum ipſo quodammodo etiam eorum, qui credunt in ipſum, vitam defert hilaritate plenã in firma ſpe gloriæ regni. Præterea lętari debere perpetuo gaudio, ſignũ fuerit eiuſcemodi vitæ ſimila oleo perfuſa, et vino madefacta. Sacrificium igitur ſalutaris res hæc eſt: quẽadmodum etiam id, quod in monte Sina per Moyſen peractum eſt. Scriptum eſt enim in Exodo, quando de omnibus rebus agendis leges præſcripſit omnipotens Deus: *Surgẽs, inquit, Moyſes manè, ædificauit altare ſuper montem, et duodecim lapides in duodecim tribus Iſraël: Et dimiſit iuuenes filiorum Iſraël, et obtulerunt holocauſtomata, et ſacrificium ſalutaris Deo, vitulos.* Nihil autem, vt arbitror, ad ſacrificij rationem facit, ſiue agni, ſiue vituli oblati dicantur. Vtraque enim innocentiæ typum præ ſe ferunt: quod quidem præcipuè quis Chriſti perſonę tribuat, qui per vocem Ieremię ita ait: *Ego autem ſicut agnus innocens ductus ad mactationem non cognoui.* Si autem velit quis alia etiam ratione matutinum, et veſpertinum ſacrificium ſancto tabernaculo oblatum dicere, idcirco quòd tempus humanæ naturæ ante lapſum Adæ ſuaueolens fuerit, taleq́; rurſus effectũ in vltimis tẽporibus in Chriſto, et in vita in ipſo intellecta, nequaquam errauerit, ſed rectè ſenſerit. Ita enim res natura ſe habet. PA. Credo. CYR. Sacrificia verò in ſabbato ſtatim definit, inquiens: *Et die ſabbatorum offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas ſimilæ confectæ in oleo in ſacrificium, et libationem holocauſtomatis ſabbatorum in ſabbatis pręter holocauſtum ſempiterno, et libationẽ eius.* Neque verò alius eſt ſacrificij modus, quàm qui modò à nobis dictus eſt. Sed idem planè nulla in re differens. Illud verò animaduertendum eſt. Sacrificium ſiquidem aſsiduitatis perpetuam adminiſtrationem habet, atque omni die peragitur ſecundum Legem. Sacrificium verò ſabbatorum non omni die, ſed in ſolis ſabbatis. Ne igitur ſufficere putantes ſacrificium aſsiduitatis, ſacrificium ſabbatorum prætermitterent, adiecit vtiliter, hoc eſt, holocauſtum ſabbatorum in ſabbatis præter holocauſtum perpetuum, et libationem eius. PAL. Reliquũ igitur eſt, vt præter ſacrificiũ aſsiduitatis, ſacrificium etiam ſabbatorum ex Legis præſcripto peragatur. CYR. Maximè. Neque enim dubitare fas fuerit. Sabbatiſmum enim colentes etiam nos in Chriſto, atq; in ipſius requiẽ ad-

Rom. 12

Exod. 24

Ierem. 11

Manè, et veſperi, quid ſpiritualiter ſignificent.

Num. 28

Sacrificia ſabbatorũ.

Sacrificiũ aſsiduitatis quo differat à ſacrificio ſabbatorum.

admissi, dupliciter quodãmodo spiritualem odoris suauitatẽ Deo offeremus, si modò verum est, quòd in veteribus suauis etiã sit odor legalis iustitiæ gloria. *Spiritualis enim est Lex: et, Mãdatum sanctũ, et iustum, et bonum,* iuxta B. Pauli vocem. Præstantior autem multo est vita in Christo: et sabbatismus in Spiritu, legali iustitia longè melior est in odorem suauitatis. PAL. Rectè ais. CY. Adijcit autẽ his: *Et in Neomenijs adducetis holocaustum Domino vitulos ex bobus duos, et arietem vnũ, agnos anniculos septem immaculatos, tres decimas similæ confectæ in oleo vitulo vni: et duas decimas similæ confectæ in oleo agno vni, sacrificium odoris suauitatis oblationẽ Domino. Libatio eorum medietas erit vitulo vni: et quarta pars hin erit agno vni, vini. Hoc holocaustũ mensem de mense in menses anni, et hircum è capris vnum pro peccato Domino: et super holocausto sempiterno fiet, et libatio eius.* Perpetuum sacrificium, atq; indesinẽs, veluti in singulis mẽsibus præter id, quod singulis diebus fiebat, quod est sacrificiũ assiduitatis, et in Neomenijs. Sermo autẽ nequaquam simplex de his rursum fuerit. Pura enim admodũ figura est. Neomenia itaq; spiritualis, ac vera meritò dici potest, nouũ seculum in Christo, elapso primo, legali nimirum. Erit autẽ etiam aliter Neomenia nobis in typum seculi futuri post hoc, atque ilico venturi: cæterum initium sumentis à resurrectione Christi, per quam in nouitatẽ translati sumus: veluti in arrabone gratiæ spiritũ consecuti, firmamq; spem in incorruptionem vitæ in beatitudine, et sanctitate instaurati ad id, quod initio eramus: ac rursum quodãmodo enitentes, futuroq; seculo conformati. Quodnam igitur est sacrificiũ Neomeniæ conueniẽs, hoc est, in Christo, ac spirituali, atq; futuri seculi vitæ? Mori Deo, neque amplius peccatis obnoxios viuere: sed à terreno in vniuersum viuẽdi more discedentes, vt Christo cõuiuamus. Ita etiam diuinus Paulus sanctificatis in Spiritu, et in Christo iustificatis, futuriq; seculi virtutes edoctis præcipit, dicens: *Si quidem mortui estis in Christo, quid tanquã viuẽtes in mundo quæstui studetis? Et rursum: Si quidẽ mortui estis, et vita vestra abscõdita est cũ Christo in Deo. Quãdocunq; Christus manifestatus fuerit, vita nostra: tunc et vos cũ illo manifestabimi in gloria.* Vide itaq; veluti in differente quantitate spiritualis roboris morientes sacrè Deo eos, qui præclare rem gerere consuẽuerunt, statimq; pietatis premia consequentes. Vituli enim sacrificantur duo, atq; vnus insuper aries, et septẽ agni maculæ expertes. Atqui per hæc omnia nobis sanctorum multitudo describitur, veluti summa virtute excellẽs, per vitulos: debiliore autem, atq; minore, veluti in ariete: inferiore verò adhuc rursum in agnis. Duo siquidẽ sunt vituli. Duo enĩ sunt populi, et vnus intermedius aries, præter vnitatem duorũ in Christo. Septem autẽ rursum agni. In plenitudine siquidem perfectissima est sanctorũ populus. Duo verò existentes, et vnus secundum vnitatem spiritualem, multitudo perfectissima verè intelligatur. Amplius enim admodũ, et in simplicitate in Christo, et in

Rom. 7.

Legis, ac mandati gloria.

Num. 28

Neomenia spiritualis, q̃nam sit.

Sacrificiũ Neomeniæ conueniens, quodnã sit.

Coloss. 3

et in infantia ſecundum ipſum fidelium grex eſt. Vide autē quo pacto tres quidem decimæ ſimilæ vitulo vni deſignātur: et medietas hin, hoc eſt, ſextariorum ſex, oleum, ac vinū. Arieti verò, duæ decimæ ſimilæ. Tertia autem pars hin affunditur. Vnicuique autem agno, vna quidē decima ſimilæ ſacrificiū eſt: et quarta pars hin, libatio: hoc eſt, oleum, et vinum. Ex æquo enim cuiuſque laboribus, et facultati, ac viribus ad virtutem, vitæ menſura (in gloria, ac beatitudine inquam, necnon vnitate cum Deo, et ſpirituali lætitia) à iuſto iudice reſpondetur. Nonne enim vitæ typum eſſe ſimilam ſæpe numero diximus? pinguedinis autē oleum? ſpiritualis autem lætitiæ vinum? PAL. Maximè. CYR. Hircus verò rurſum ad ſacrificia offertur pro peccatis, immolatus in typum Chriſti. Acceptum enim eſt noſtrū ſacrificium, et placens Deo per paſſionem Chriſti ſalutarem. Atq; hoc, vt arbitror, eſt, quod Saluator ipſe

Ioan. 15. diſcipulis dixit: *Abſque me nō poteſtis facere quidquam.* Neceſſariò itaque noſtræ odoris ſuauitati, Chriſti fragrātię ſuperinducitur, ſeipſam quodammodo noſtris contēperans, vnaq; deferens ad Patrem. Neque enim aliter accepti ſumus, quàm per ſolum Chriſtum. PAL. Optimè ais. CYR. Atque hæc quidē ſunt in Sabbatis, et Neomenijs ſacrificia. *In menſe autem ſeptimo, inquit, prima mēſis celebris ſancta erit vobis. Omne opus ſeruile nō facietis: dies ſignificationis erit vobis. Et facietis holocauſta in odorem ſuauitatis Domino, vitulum vnum è bobus, arietem vnū, agnos anniculos ſeptem immaculatos. Et tres quidē decimę ſimilæ ſuper vitulo. Duæ verò pro ariete: vna autē pro ſingulis agnis: ijs etiā, quæ affundūtur, proportione reſpōdentibus: oleo inquam, et vino.* Medietas enim mēſuræ, quam Hin Hebræi vocant, et tertia rurſus pars, et quarta. Quænam autē intelligatur feſti vis, declarauit, dicēs: Feſtū ſignificationis erit vobis. Significat enim extremā tubam, quæ per angeli vocem edetur, per quam omnes mortui reſurgent, atq; ſuſcitabuntur è ſepulchris, queādmodum antea diximus. Præcepit autem etiam decima eiuſdem mēſis in qua ieiunium, carnalium deſideriorum mortificationem, et à terrenis affectibus deceſsionem, eandem planè cum priore eius ſacrificij rationem deſcribens. Quo pacto verò ea ſe habeant, iuxta conuenientem contēplationis rationē, abundè à nobis dictum eſt. PAL. Ita eſt. CYR. Quænam verò à nobis ſacrificia Scenopegiæ cōuenientia peragi oporteat, preſcribit, dicens: *Et quintadecima menſis ſeptimi huius celebris ſācta erit vobis. Omne opus ſeruile non facietis, et celebrate eam feſtiuitatē Dño ſeptem dies. Et adducetis holocauſta, oblationē in odorē ſuauitatis Dño. Die prima, vitulos è bobus tredecim, agnos anniculos q̃tuordecī, immaculati erūt vobis. Sacrificia eorū, ſimila cōfecta in oleo, tres decimę vitulo vni, tribus et decē vitulis, et duæ decimæ arieti vni, ſuper duos arietes: et decima agno vni ſuper quatuordecim agnos: et hircū ex capris vnū pro peccato, preter holocauſtū ſempiternū. Sacrificia eorū et libationes eorū.* Deinde quotidie vno ſublato vitulo, ſacrificij eadē eſt ratio,

Christus ſuā odoris ſuauitatē noſtræ cōtēperās, eam ad Patrem vnà defert.

Num. 29

Feſtū ſignificationis, quid ſignificet.

Sacrificia Scenopegię conuenientia.

Num. 29

ratio et mensura. Duo siquidem arie tes, et agni quatuordecim, et hircus vnus. Porrò die secūda vituli offerebantur duodecim. Tertia verò vndecim. Quarta decem. Quinta nouē. Sexta octo. Septima verò septem. Vides itaq; per singulos dies vitulorum tantū numerū imminui: æqualis verò est arietum, et agnorum, similæq;: et eorum, quæ affunduntur, portio. PAL. Quid verò hoc sibi vult? Aut cur vituli quidē initio tredecim offeruntur, decrescēte indies numero, vnoq; vitulo quotidie dempto, arietes autē rursus duo, et agni quatuordecim, hirco sacrificijs superinducto? CYR. Arduus certè, ac perdifficilis est pręcepti sensus: et obscura admodum res. Conabor autē, quoad potero, quod in mentem venerit, dicere. Tu verò ipse corriges, si à scopo aberrauero. PAL. Sum paratus. CYR. Videtur itaq; diuinum oraculum Israëlitarum in Lege institutionem: et eorum, qui per fidē, ad sanctificationem adducti sunt, vocationem figuratè describere. Significat autem, vt arbitror, sacrificij figura, quod duo quidem fuerint tempora, quibus Iudæorum multitudo ad Dei cognitionem, et legalem vitam instructa fuisse dicitur. Quodnam verò hoc, aut illud tempus fuerit? In quo Moyses adhuc, Iosueq;, et Iudices: et in quo Prophetæ ad Ioannem Baptistā vsq;, qui abūdantiorem habuit, iuxta Saluatoris vocem, legationem, propheticumq; ministerium. Cœterum in temporibus duobus, subindicat sacra scriptura extitisse quosdam viam quidē insistentes laudabilem in Lege: at verò nō æquali mensura, neq; in vniuersum similē,

Vitulorū in sacrificio Scenopegiæ singulis diebus imminutio quid significet.

virtute, ac robore spirituali. Hi enim in summo cōsistunt, cuius typus fuerit vitulus. Alij verò rursum in mediocritate, cuius signū est aries. Alij rursus tertio loco, ac mēsura ab alijs inferiore, queādmodum videre est in corporali agnorū magnitudine. An non enim minor est vitulo aries, agnus autem arieti magnitudine cædit? PAL. Maximè. CYR. Vniuscuiusque igitur quantitatem, in pietate nimirū, animalia iam iam nominata figuratè significant. Cum verò præstantius semper, magisq; eximiū sit minus numero, quàm quod in secūdis, ac tertijs subsistit (rarius siquidē est) idcirco tredecim sunt vituli: decem autem arietes, et quatuordecim agni. Cum autem duos arietes esse dicimus duplicatus sacrificiorū numerus ostenditur. Nam pro septem agnis, quatuordecim vituli: porrò duo arietes. An non enim iustos, ac sanctos multos extitisse censes, legalis iustitiæ gloria? Queādmodum ferè de Zacharia, et Elisabeth diuinus nobis euangelista scripsit: * Quòd erant iusti ambo coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis, et iustificationibus Dñi irreprehēsibiliter.* PAL. Censeo. Deus etiā alibi Iudęorum genitricē increpat, dicēs: * Quo pacto facta est meretrix ciuitas fidelis Sion, plena iudicij. in qua iustitia sopita est in ipsa? * CYR. Erat itaq; iustitia secūdum Legem, qua etiam par erat celeberrimos fieri in obediētia Dei, etiam si Lex omnino sanctificationem non perficiat. PAL. Rectè ais. CYR. Israëlitarum itaq; vocationem significantes, veluti in summis, medijs, et inferioribus adhuc, vituli, atq; arietes, et agni Deo sacrificabantur.

Luc. 1.

Esai. 1.

tur. Minorq; autem ſemper fit vitulorum numerus, deficientibus quodammodo ſemper electis, tẽporeq; ſemper eorum, qui ſummi, celeberrimiq; ſunt i, nopia laborãte. Et quidẽ ad ſeptimũ vſq; diem fit hæc imminutio, hoc eſt, vſq; ad Saluatoris noſtri aduẽtum: in quo Sabbatiſmus eſt in ſpiritu, et ceſſatio operum ad peccatum deinceps inſtaurata eſt. Iuſtificati ſiquidem ſumus in Chriſto, vergẽtes iam ad finem præſentis ſæculi. Signum autẽ rurſum huius rei fuerit Sabbatũ, veluti in vltimo totius hebdomadæ nobis poſitum. Idcirco ſapienter ſtatuit Lex vſque ad ſabbatum veterum ſacrificiorum oblationem, hoc eſt, vocationem in Lege, ſacrumq; eorum miniſterium. Inducit autẽ eam, quæ in Chriſto eſt, vocationem, dicens: *Die octaua exitus erit vobis: omne opus ſeruile nõ facietis in eo. Et offeretis holocauſtũ in odorem ſuauitatis oblationes Domino, vitulum vnum, arietem vnũ, agnos anniculos ſeptem immaculatos. Sacrificia eorum, et libationes eorum, vitulo, et arieti, et agnis iuxta numerum eorum, ſecundum cõſuetudinem eorum: et hircum è capris vnum pro peccato, præter holocauſtum ſempiternum, ſacrificia eorum, et libationes eorum. Hæc facietis Domino in feſtiuitatibus veſtris, et voluntaria veſtra, et holocauſta veſtra, et ſacrificia veſtra, et libationes veſtras, et ſalutaria veſtra.* Audis Legem apertè dicentem, Exitus eſt. Exceſsit enim, atque abijt cultus vmbratilis, ac diſciplina in typis octaua die, in qua reuixit Chriſtus: et tempus circunciſionis in ſpiritu ſuperinductũ eſt. Secluſa enim eſt vetus vocatorum multitudo incredulitatis vitio laborans, et exortus eſt veluti populus nouus ſpirituali robore excellens (Hoc enim eſt vitulus) Perfecta etiã ætatis plenitudine pollens (Siquidem hoc aries eſt) Infantiæ præterea, atque innocentiæ eximiam pulchritudinem præ ſe ferens: Hoc enim agnus eſt: tametſi per eum etiam perfectiſsima multitudo ſignificetur. Hoc enim intelligendum eſt per id, quòd ſeptem agni dicãtur. Adiungitur autem etiam hircus. In Chriſto enim gloriam conſequitur, per fidem in odorẽ ſuauitatis aſcendens ad Deũ, vt iam ſæpe diximus. PAL. Ita eſt. CYR. Quòd autem Sabbatum celebremus in Chriſto, dãtes nos quieti, abſiſtentes à ſtudijs mundanis, terrenaſq; curas abijcientes, oblectanteſq; autem nos potius in Domino, ſicut ſcriptum eſt: eximiamq; ab ipſo ſortem nacti, declarat rurſum in Leuitico, dicens ad Moyſen: *Loquere filijs Iſraël, et dices ad eos: Quando egreſsi fueritis in terram, quam ego do vobis, et requieſcet terra, Sabbata Domino. Sex annis ſeminabis agrum tuum, et ſex annis putabis vineam tuam, et congregabis fructum eius. In anno autẽ ſeptimo Sabbata, requies erit terræ. Sabbata Domino. Agrum tuum non ſeminabis, et vineam tuã non putabis, et ſpontanea, quæ naſcuntur in agro tuo, non metes: et vuas ſanctificationis tuæ non vindemiabis. Annus requies erit terræ. Et erunt Sabbata terræ eſca tibi, et filio tuo, et ancillæ tuæ, et mercenario tuo, et peregrino adia-

Sabbatũ in vltimo hebdomadæ poſitũ, quid ſignificet.

Num. 28

Feſtũ exitus, quid ſignificet.

Sabbatũ in Chriſto celebrandũ.

Leuit. 25

adiacenti apud te, et iumentis tuis, et bestijs, quæ in terra tua, erit omne germen eius in cibum. Et numerabis tibi ipsi septem requies annorũ, septem annos septies: et erunt tibi septem hebdomades annorum, nouem et quadraginta anni. Et annuntiabitis tubæ vocem in omni terra vestra, et sanctificabitis annum quinquagesimum, et clamabitis remissionem in terra omnibus habitantibus eam. Mense septimo decima mẽsis, die propitiationis annuntiabitur tuba in omni terra vestra. Et sanctificabitis annum quinquagesimum, et clamabitis remissionem in terra omnibus habitantibus eam. Annus remissionis significatio hæc erit vobis, et abibit vnusquisq; in possessionem suam, et quilibet in familiam suam.* Intelligis igitur, quo pacto arare, et seminare, et vites putare Lex permittat ante septimum: liberos verò ab hac cura esse præcipit septimo tẽpore. Quiescemus enim, Sabbatum in Christo agẽtes, et terrenorum curam à nobis remouentes, ac discedentes in vniuersum à vanis occupationibus: septem hebdomades annorum, hoc est, secula seculorum paratis, obuijsq; fruemur bonis, diuinis nimirum, atque spiritualibus delitiantes, festumq; agentes. Tempus enim remissionis erit omnibus nobis per vniuersum orbem terrarum in nouissimis: quãdo vnusquisque in suam possessionem se conferet, hoc est, in conuenientem ipsi sortem, atque à Deo designatam. Quemadmodum enim diuersa est sanctorum vita, ita etiam paria cuiusque rectè factis præmia tribuentur, commẽsurante mercedes Deo. Meminit annuntiantis eiusmodi tubę. Tempus enim nobis Sabbatismi, veluti in Christo nimirum, necnon remissionis, atq; hæreditatis est ea, quæ per tubam, et vocem angeli futura est nouissimis temporibus mortuorum resurrectio: in qua illustris sanctorum cœtus auditurus est dicentem Christum: *Venite benedicti Patris mei in regnum, quod paratum est vobis à creatione mundi.* Quod etiam nobis consequi liceat gratia, ac benignitate Domini, ac Dei, et Saluatoris nostri Iesu Christi, per quem, et cum quo Deo, ac Patri gloria nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

Tempus remissionis spiritualiter, quodnã sit.

Matt. 25.

Finis.

Deo gloria.

Toleti apud Ioannem Ayalam
Anno. 1574.

En la epistola,pagina.3.linea.36.ad — ac

Ibidem.pagina.4.lin.29.vetò — vero

Folio.	Pagina.	Linea	Pro	Lege
3	2	25	in spiritu Dei	in digito Dei
5	2	33	q̃si	quasi
7	1	37	nolunt	nolit
14	1	8	Vecordibus	Væ cordibus
19	3	2	sermones	sermone
23	3	2	poeta	poetæ
25	3	12	proprior	propior
26	2	13	lectione	ledictione
31	4	14	transferemus	transferemur
32	4	12	saerificia	sacrificia
33	4	14	et immensura	et in immensura
35	1	9	ei	et
43	2	24	ornatu	ornatum
45	3	12	penitus	penitius
	4	6	qoud	quod
48	3	39	sin	sint
49	3	20	sed	se
51	1	2	sui	suæ
55	1	penult.	clauguerint	clanguerint
56	3	29	præbuis is,	præbuit ijs,
58	4	39	biuit	bibit
59	2	35	salutates	salutares
62	3	8	eripient	eripiet
63	1		figuras effigere	figuras effingere
65	1	22	superstione	superstitione
69	4	15	nos	non
72	3	5	et	ex
73	3	23	sæ	se
78	2	4	pater	patres
87	4	27	subitutum	subiturum
91	1	14	ex	et
93	1	37	in te-	in tene-
98	1	39	comparanda	comparandus
	4	28	autem	aurem
99	3	14	frustra	frusta
101	1	20	patri	patris
103	4	6	opinionem	opinionum
104	4	14	dixo	dixi
106	2	11	verò	verè
107	4	33	Moyses	Moysis
108	4	12	diuersæ	diuersè
110	3	21	obstensum	obtensum
	4	8	intel-	intelli-
113	1	17	geminum	genuinum
114	4	15	hostia	ostia
116	3	19	sed	et
120	2	17	signi-	signifi-
121	3	19	aurem	autem
123	4	40	Moyses	Moysi
124	3	15	smaragdi	smaragdos
125	2	34	velim	vel in
129	3	35	commisso	commisi
	4	2	si	sicut

Folio.	Pagina.	Linea.	Pro	Lege
133	1	33	introiuit	introibit
	4	38	olea	oleo
134	1	17	victimatum	victimarum
135	1	13	Deus	Deum
139	2	31	eundem	eundum
	1	in margi.	hominis alienigenæ	hominis sacerdotis
140	2	15	imprudeter	imprudenter
143	1	34	sinit	sunt
145	1	31	retis	feretis
146	1	32	ed	ad
149	2	17	decet	docet
		35	quæq; legislatore	quæq; à legislatore
151	2	vltima.	quòd credideritis.	quòd non credideritis.
152	2	21	redeptio	redemptio
153	1	35	redemptioni	redemptio in
155	3	4	supplicum	supplicium
157	3	3	Thlasiam	Tladiam
158	1	7	declinabit	declinauit
	4	2	Chanæum	Chananæum
161	1	40	hoc	hoc est
	4	8	Quit	Quis
163	4	26	possumus	possimus
164	3	11	insabtiaili	insatiabili
	4	38	Hæc	Hæ
165	4	3	morticia	morticinia
		6	ipsorumim,mun-	ipsorum,immun-
169	2	34	ad	ac
171	2	28	versutia verò laboris	versutia verò et laboris
174	4	35	abluantur	abluant
		36	abstergantur	abstergant
178	1	35	seruaberis	seruaueris
179	3	36	profluuium	profluuio
180	3	40	ex	et
	4	17	borat	borabat
186	3	24	suparabitur	superabitur
187	2	35	sarcirent	farcirent
188	4	33	agnicu-	annicu
190	3	fin.	Paulum	Paulus
191	1	12	precepto eum	preceptorum
		24	agniculum	anniculum
203	1	15	cio	cipio
204	4	21	manifestabimi-	manifestabimini

Laus Deo.

IN. D. CYRILLI ARCHIEPI ſcopi Alexandrini decem et ſeptem libros De ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE Indices duo. Alter, ſacræ ſcripturæ locorum, qui in eiſdem citantur, et explicantur. Alter verò rerum et verborum.

Quibus adiectæ ſunt eiuſdem. D. Cyrilli Sententiæ aliquot, aduerſus noſtri temporis hæreticorum falſa dogmata.

Per HIERONYMVM TORES Pintianum ſanctæ Toletanæ Eccleſiæ Bibliothecarium.

Toleti.

Apud Iacobum Ayalam.

Anno. 1576.

¶ Eſta taſſado en ſeſenta marauedis.

YO Domingo de çauala Eſcriuano de camara de ſu Mageſtad doy fee que por los Señores del Conſejo de ſu Mageſtad , fue taſſado el libro intitulado Indices de ſant Cyrillo,compueſto por Hieronimo Torés vezino de Toledo, a ſeſenta marauedis cada cuerpo del dicho libro impreſſo en molde. En fee de lo qual lo firme de mi nombre. En Madrid a doze de Nouiembre de mill y quinientos y ſetenta y cinco años.

çauala.

DOn Philipe por la gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Secilias, de Ieruſalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, Conde de Flandes, y de Tirol. &c. Por quanto por parte de vos Geronimo de Tores clerigo nos ha ſido fecha relacion q̃ vos auiades hecho dos Indices para el libro de ſant Cyrillo Patriarcha de Alexandria, intitulado de Adoratione in ſpiritu et veritate: el vno de los quales era de los lugares de ſagrada eſcriptura que en el ſe explican: y el otro de las materias que en el ſe tratan: con vna recopilacion de algunos dichos y ſentencias que en el dicho libro ſe hallan: las quales eran muy importantes: ſuplicandonos vos dieſſemos licencia y facultad para los poder imprimir, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en los dichos Indices ſe hizo la diligencia que la prematica por nos nueuamente fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra carta para vos en la dicha razon: e nos touimos lo por bien. Y por la preſente os damos licencia y facultad para que por eſta vez podais imprimir los dichos Indices que de ſuſo ſe haze mencion, ſin que por ello incurrays en pena. Y mandamos que la tal impreſsion ſe haga del dicho libro por el original q̃ va rubricado y firmado al fin del de Domingo de çauala nueſtro Eſcriuano de Camara de los que reſiden en el nueſtro Conſejo. Y que deſpues de impreſſo no ſe puedan vender ni vendan ſin que primero ſe traygan al nueſtro Conſejo juntamente con el original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme a el, y ſe os de licencia para lo poder vender, y ſe taſſe el precio que por cada volumen ouieredes de auer: ſo pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nueſtros reynos. De lo qual mandamos dar y dimos eſta nueſtra carta ſellada con nueſtro ſello, y librada de los del nueſtro Conſejo. Dada en Madrid a veynte y dos dias del mes de Otubre, de mil y quinientos y ſetenta y quatro años.

D. Eps Segobien. El Licenciado Iuan Thomas. El Licenciado Contreras. Doctor Aguilera. El Licenciado Couarruuias.

E yo Domingo de çauala Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad la fize eſcriuir por ſu mandado, con acuerdo de los del ſu Conſejo.

Hieronymus Tores Pinctianus sanctæ Toletanæ ecclesiæ Bibliotecarius, studioso lectori.

S.

QVONIAM huius operis interpres, ante quam typis excuderetur, ad suos se recepit Belgas, eaq; de causa Indicem in ipsum absoluere minimè potuit, in illius locum succedere multis rationibus iuris mei esse iudicans, opereprecium duxi (etsi circa res bibliotecæ sanctæ huius ecclesiæ nimium occupatus, ad quam exornãdam atq; augendam Illustris dominus. D. Garsias Loaysa Giron Guadalajaræ Archidiaconus, ac summus fabricæ eiusdẽ sanctæ ecclesiæ præfectus mirum in modum aspirat, ijs illius permissu paulisper intermissis, ne in tam præclaro opere quidquam desideraretur, tuq; studiose lector ea fraudareris vtilitate,) opereprecium (inquã) existimaui, in hos sanctissimi patris Cyrilli eruditissimos iuxta ac pijssimos labores duplicem Indicem componere, alterum (videlicet) rerum ac verborum, alterum verò sacræ scripturæ locorum, quæ in eisdem vel citantur ab eo, vel explicantur. Atq; hunc quidem laborem eò subij lubentius, quòd meo suasu, seu potius impulsu effectum est, vt Latio donarentur. Quantum verò, post illorum versionem, vt excuderẽtur et in lucem prodirent, laborauerim, quantumq; operæ in eisdem transcribendis, et castigandis insumpserim, non est huius loci explicare, neq; lubet verbis attolere. Quidquid verò illud sit, totum certè pro nihilopendo, dum opus adeò frugiferum, ecclesiæq; catholicæ vtilissimum ad vmbilicum perductum esse conspiciam. Et, vt ad institutum reuertar, illud te optime lector, circa verborum ac rerum Indicem, admonitum velim, nos sectionibus per literas (quod alij solent) vsos non fuisse, quòd ipsius libri marginibus sint etiam adscripta, quæ in ipso Indice sunt adnotata, quapropter inuentu non erunt difficilia. Si qua verò sunt, quæ inibi non reperiantur, (addidimus enim post excussum opus Indici, quo fieret copiosior nonnulla) ea tamen quoniã in ipso libri contextu à marginalibus adnotantiunculis non longè absunt, minimo etiam negocio reperire licebit.

¶ Ad hos præterea Indices nonnulla loca ac sentẽtias. D. Cyrilli, vt pio cuiq; ad manum essent, adijciendas putaui, quibus hæreticorum huius temporis insana paradoxa mirum in modum coarguuntur. Bene vale studiose lector, ac nostram hanc qualemcũq; opellam grato animo amplectere.

INDEX LOCORUM SACRÆ ſcripturæ, quæ his decem et ſeptem libris citantur et explicantur.

EXODVS.

Et omne,

NVMERI.

PROVERBIA SALOMONIS.

Locorum Scripturæ Index.

EZE-

Locorum Scripturæ Index.

ACTA APOSTOLORVM.

EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS. PRIOR.

EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS posterior.

EPISTOLA PAVLI AD GALATAS.

Explicit locorum Scripturæ Index.

INDEX

INDEX RERVM AC VERborum in præcedentes decem et ſeptem libros. D. Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini, de Adoratione in ſpiritu, et veritate.

A

B

Columnę

D

E

F

G

H

L

Locus

M

Merce-

N

O

Q

Sepho

Vitu-

Explicit Index rerum, et verborum.

D. CYRILLI SENTENTIAE aliquot, quæ in hoc opere ab eo adferuntur; quibus nonnulla huius temporis hæreticorum falſa dogmata reuincuntur.

DE LIBERO ARBITRIO, D. CYRILLI aſſertio. Lib.1. Fol.3.col.4.

PORrò dicimus, hominem ab initio ita creatum eſſe, vt mentem peccato, et affectibus ſuperiorem haberet: vtq; in quam vellet partē ſe inclinare poſſet. Placuit enim optimo illi totius vniuerſi opifici, propriæ volūtatis habenas cuiq; permittere: vtq; in id, quod quiſq; vellet ſpontaneo motu ferretur. Voluntariam enim, non tanquam ex neceſſitate inhærentem virtutem conſpici oportet: neque ita naturæ legibus firmatam, vt excidere non poſſit: hoc enim ſupremæ omnium ſubſtantiæ, excellentiæq; eſt proprium.

¶ Sexto verò libro. Fol.66.col.2. poſt adductum Homeri de fato iudicium, ita inquit.

QVo circa ſi quis rectè vitam inſtituere velit, prudenterq; ac piè eam tranſigere, is rectè incedet, et mala ſuperabit, rectum mentis clauum tenens, et inconcuſſum ſcopum ſibi præfigens, vitijs nequaquam inuolui. Et res quidem ita ſe habet. In nobis enim ipſis ſitum eſt, in vtramq; partem vergere, aut bonum (inquam) aut malum: et quibus curæ fuerit laudabilia ſectari, rectitudiniſq; via inſiſtere, ij grandes in virtute profectus faciēt. Qui verò in contrarium deflexerint, et mala bonis prætulerint, ij propriam corrumpentes vitam, in ſpontaneum præcipitium ruunt: atrociſſimumq; ſuis ipſorum capitibus interitum accerſunt.

DE FIDE SINE OPERIBVS, ET operibus ſine Fide eiuſdem aſſertio, Lib.XIIII. Fol.163.col.3

QVin et ſuem adfert, vt impurum animal, ideo quod bifidam quidem vngulam habeat, nō autem remandat cibum, hoc eſt, nō reducat ruminationem: ſignificans nimirum, exilem quandam, atq; inutilem eſſe operum gloriam abſq; ſermone de pietate. Quemadmodum enim Fides abſq; operibus mortua eſt: ita etiam econtrariò. Emortuus enim omnino eſt operum ornatus, ſi cum Dei cognitione coniunctus non ſit, ac niſi ſermo de pietate animas noſtras inhabitet.

¶ Item Lib.II. Fol.2[illegible] col.1

FRuctus enim, qui à nobis in Fide iuſtificatis Deo offerūtur, quinam alij cēſendi ſunt, quàm multa, atq; adeò perpetua glorificatio, et puriſſimum ſacrificium inculpatæ vitæ, incomparabili odoris ſuauitate fragrans? PAL. Pulchrè, vereq; diſſeris, quòd iuſtificatur quis, non quidem in Lege: ſed potius per Fidem in Chriſto, et Euangelicam diſciplinam. &c.

DE

D.Cyrilli ſententiæ.

DE SACROSANCTO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, quid. D. Cyrillus ſenſerit, apertè oſtẽdit Lib. XVII. vbi de comeſtione agni agit. Fol. 195. col. 1. Ita enim inquit.

QVod verò oporteat eum, qui iam Chriſti particeps effectus ſit, per ſanctæ ipſius carnis, et ſanguinis ſumptionem, mentem etiam ipſius præ ſe ferre, interioresq; ipſius actiones imitari, intelligentem optimè, quod in ipſo eſt, ſignificauit dicens, debere comedi caput cum pedibus et inteſtinis. ¶ Et vlterius, col. 2. Inteſtina autem intelliges occultum abſconditumq; in ipſo Verbum. Deus enim ſecundum naturam, et ex Deo exiſtens vnigenitus, caro factus eſt, et habitauit in nobis: atq; imago, ac ſimilitudo cum ſit Patris, demiſit ſeipſum in exinanitionem, et in formam ſerui. Recipiemus itaq; in noſtras animas nõ ſola humana, atq; exteriorem Emanuelem, verumetiam inteſtinis ipſis, hoc eſt, abſconditis ipſius myſterijs propriam mentem replentes, ſpirituali cibo ſaginabimur. &c.

DE CONFESSIONE PECCATORVM ita inquit Lib. XV. Fol. 173. col. 2.

AN non enim in æquali ordine habenda ſunt deteſtabile periurium, et iuramenti contẽptus? PAL. Omnino. CYR. Atqui horum etiam expiatio fit per confeſsionem, et agniculæ, ſiue ouis immolationem. Dic enim tu primus iniquitates tuas, inquit, vt iuſtificeris. Quinetiam diuinus Dauid exclamat, dicens: Dixi: Ediſſeram contra me iniquitatem meam Domino, et tu remiſiſti impietatem cordis mei. Cœterum ad perfectam ablutionem ſola confeſsio non ſufficit. Liberat autem abſolutè Chriſti mors, qui pro nobis paſſus eſt, noſtraq; omnium peccata ſubijt, veluti in ſpecie inconſultorum animalium: in vitulo (inquam) et oue, ac capra.

DE VOTIS PERSOLVENDIS EIVSDEM Cyrilli aſſertio. Lib. XV. Fol. 174. col. 2.

GRauiſsimum enim, inquit, peccatum re vera eſt, ſurripere aliquid ſanctificatorum et conſecratorum in gloriam Dei. Eâdem verò ratione non minor culpa fuerit, nõ perſoluere promiſſa. Fili enim, inquit, ſi voueris votum Domino, ne moreris reddere. Bonum non vouiſſe te, quàm vouiſſe, et non præſtare. Diuinus etiam Dauid alibi ita canit: Vouete, et reddite domino Deo veſtro.

DE PIIS SANCTORVM OPERIBVS. ita inquit, Lib. 4. Fol. 43. col. 3. ad finem.

ACcepta enim ſunt Chriſto, magnoq; apud eum in pretio ſanctorum præclarè facta: per quę ingẽtem, imò potius immortalem memoriã cõſequuntur, diuinaq; cura ſe dignos efficiũt.

¶ Item eodem libro. Fol. 39. col. 2.

PAL. Putabimus itaq; nos participes fore cum ſanctis, eorum, quæ ſuis ipſorum capitibus peregerunt, viriliter agentes, ſummoq; ſtudio ad gloriam contendentes. CYR. Omnino. Nam cum ſint verè diuina gratia pleni, laboribus ac ſudoribus munus adepti, innumeriſq; certaminibus conſecuti, replent etiam nos ijs, quibus donati ſunt, ex amore Dei. &c.

¶ Item eodem libro. Fol. 44. col. 1.

COnſtituunt enim Eccleſias, atq; ad ornatũ ſancti Tabernaculi neceſſaria ſunt ſtrenua ſanctorum facta, præter id, quòd animæ ſalutem pulchrè operentur, perpetuaq; gloria fortes coronent.

QVOD

54

S. CIRILLUS
ADV. ANTHROP.
ET DE ADORATIO[N]

75


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm